Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Universidad Francisco Marroquín

https://archive.org/details/theologiascoti04boyguat

THEOLOGIA SCOTI

A prolixitate, & ſubtilitas ejus ab obſcuritate libera, & vindicata:

SEU

OPUS THEOLOGICUM STUDENTIBUS

Sic attemperatum, ut in illo habeant ad manus Theologiæ Scholaſticæ integritatem brevem, & profunditatem planam.

AUTHORE

R. P. JOANNE GABRIELE BOYVIN

In Provincia Franco-Pariſina ſtrictioris Obſervantiæ Lectore Theologiæ Jubilato.

Et apud FF. Minores Virienſes emerito Profeſſore, ex eadem Urbe oriundo.

IN QUATUOR PARTES DIVISA.

QUARTA PARS.

Nona Editio Correctior.

Joseph M.ª Alvarez

VENETIIS, MDCCXXXIV

Apud Hieronymum Savioni.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

PRÆFATIO.

QUia promiserat hujusce Operis dispositio aliqua, quæ pati non potuit tripartitæ nostræ Theologiæ brevitas, utpote Tractationes de Peccatis, de præceptis Decalogi, de Ecclesia, de Pontifice, & de Conciliis: Ideò ne promissis desit effectus, tribus præcedentibus partibus quartam subjungere necessarium duxi; quæ agit, non quidem de peccatis, nec de præceptis Decalogi (hæc enim materia communiter habetur apud Canonistas) sed de virtutibus Theologicis, de Ecclesia, de Pontifice, & de Conciliis: unde, ut cum brevitate conjungatur ordo, duplicem reponimus in hac ultima parte Tractatum. In primo agitur de virtutibus Theologicis, cum præambulo quodam succincto de virtutibus in genere, & de Cardinalibus in specie. In tres Disputationes dividitur ille Tractatus: quarum prima, quæ est de Fide, quatuor habet Capita, de natura Fidei scilicet, de objecto Fidei, de actu Fidei, & de vitiis Fidei oppositis. Disputatio secunda est de Spe. Tertia denique de Charitate agit in tribus Capitibus, in quibus examinantur natura Charitatis, effectus Charitatis, & vitia Charitati opposita. Quantùm

ad ſecundùm Tractatum de Eccleſia tribus Capitibus abſolvitur, de Eccleſia nimirùm, de Pontifice, & de Conciliis. Prima ſubdividitur in tria Capita, quæ de Eccleſia in ſe conſiderata loquuntur, de Notis Eccleſiæ, de Oppugnatoribus, & Propugnatoribus ejuſdem: Ubi habentur hæreſes cujuslibet ſæculi, & Patres, ſeu Doctores, qui illas extirpare conati ſunt. Secunda Diſputatio agit de Summo Pontifice, in qua, per duodecim ampliſſimas Quæſtiones, & totidem Quæſtiunculas videntur, ni fallor, cuncta, quæ in hac materia ſcitu digna ſunt. Tertia denique Diſputatio eſt de Conciliis, in quatuor Capita digeſta, ut videamus primò, quid dicendum ſit de Conciliis in genere; ſecundò agitur de Conciliis generalibus; tertiò de Conciliis particularibus cujuslibet ſæculi; quartò denique ſubjungimus brevem, & accuratam Pontificum Chronologiam.

INDEX

INDEX

CAPITUM, DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM

QUARTÆ PARTIS.

TRACTATUS PRIMUS.

De Virtutibus Theologicis.

DISPUTATIO I. DE FIDE.

Caput I. De Natura Fidei. fol. 7.

Quæst. I. Quid sit Fides? 8
2. Quotuplex sit Fides? 10
3. Utrùm Fides sit virtus in intellectu residens? 13
4. Quomodo Fides à Charitate pendeat? 16
5. Utrùm Fides debeat esse integra? 19
6. In quibus existat Fides? 21
7. A quo sit Fides? 24
8. Quinam sint effectus Fidei? 26

Caput II. De objecto Fidei.

Quæst. I. Quodnam sit objectum formale Fidei? 32
2. Quidnam sit objectum materiale Fidei? 35
3. Utrùm dentur aliqua motiva, quæ reddant objectum Fidei aliquo modo credibile evidenter? 38
4. Quænam sit regula Fidei. 41
5. Utrum Traditiones admittendæ sint pro

regula Fidei? 44
6. *Utrùm Ecclesia sit regula Fidei?* 49
7. *De Symbolo Fidei.* 53

Caput III. De Actu credendi. 58

Quæst. I. *An sit necessariò credendum?* 59
2. *Quanam necessariò credenda sunt necessitate medii.* 64
3. *Quanam necessariò credenda sunt necessitate præcepti?* 71
4. *Utrùm Fides, quæ omnibus est necessaria, possit haberi ab omnibus?* 74
5. *Utrùm sit obligatio ad actus externos Fidei?* 76
Cap. ultimum. De Vitiis Oppositis Fidei. 84

Quæst. I. *Quid dicendum sit de Infidelitate?* 84
2. *Quid dicendum sit de Hæresi?* 91
3. *Quid dicendum sit de Apostasia?* 96
4. *Quid dicendum sit de Blasphemia?* 98

Disputatio II. De Spe.

Quæst. I. *Quid sit Spes?* 100
2. *Quodnam sit subjectum proximum Spei?* 101
3. *Quodnam sit subjectum remotum Spei?* 105
3. *Quodnam sit objectum?* 106

Disputatio III. De Charitate. 112

Caput I. de Natura Charitatis. 113
Quæst. I. *Quid sit Charitas?* 114
2. *Quodnam sit objectum Charita-*

ritatis? 116
3. *A quo sit Charitas?* 118
4. *Utrùm detur præceptum Charitatis circà Deum?* 124
5. *Utrùm detur præceptum Charitatis circà proximum?* 127
6. *Utrùm detur præceptum de diligendo inimico?* 129
7. *Utrùm debeat esse aliquis ordo in actibus Charitatis.* 131
8. *Quisnam sit ille ordo, qui extare debet in actibus Charitatis.* 134
9. *Quo ordine debeamus diligere proximos nostros?* 140

Caput II. De effectibus Charitatis. 143

Quæst. I. DE *Eleemosyna.* 144
2. *De correctione Fraterna.* 153

Cap. III. De Vitiis oppositis Charitati. 159

Quæst. I. DE *Schismate.* 161
2. *De Scandalo.* 166
3. *De Bello.* 170

TRACTATUS II. De Ecclesia.

Disputatio I. de Ecclesia. 180

Quæst. I. QUid *sit Ecclesia?* 181
2. *Quando incæpit Ecclesia?* 183
3. *Utrùm universalis Ecclesia possit errare in fide?* 188
5. *Quinam ad Ecclesiam pertineant?* 194
6. *Quas prærogativas habeat Ecclesia supra*

Synagogam? 199

Caput II. de Notis Ecclesiæ. 203

Quæst. I. *De prima nota Ecclesiæ, quæ est* Unitas? 203
2. *De secunda Ecclesiæ nota, qua est* Sanctitas. 207
3. *De tertia nota Ecclesiæ, qua est* Universalitas. 212
4. *De ultima nota Ecclesiæ, quæ* Apostolica *dicitur.* 216
5. *Quanam sunt rationes aliæ, quibus ostenditur veritas Ecclesiæ Romanæ, & falsitas reformatæ.* 222

Caput ultimum. De Oppugnatoribus, & Propugnatoribus Ecclesiæ. 231

De Hæresibus, & Doctoribus primi sæculi. 232
De Hæresibus, & Doctoribus secundi sæculi. 233
De Hæresibus, & Doctoribus tertii sæculi. 235
De Hæresibus, & Doctoribus quarti sæculi. 238
De Hæresibus, & Doctoribus quinti sæculi. 242
De Hæresibus, & Doctoribus sexti sæculi. 244
De Hæresibus, & Doctoribus septimi sæculi. 246
De Hæresibus, & Scriptoribus octavi sæculi. 248
De Hæresibus, & Scriptoribus noni sæculi. 250
De Hæresibus, & Scriptoribus decimi sæculi. 253
De Hæresibus, & Scriptoribus undecimi sæculi. 254
De Hæresibus, & Scriptoribus duodecimi sæculi. 255
De Hæresibus, & Scriptoribus tertiidecimi sæculi. 259

De

De Hæresibus, & Scriptoribus quartidecimi saculi. 261
De Hæresibus, & Scriptoribus quindecimi saculi 263
De Hæresibus, & Scriptoribus sextìdecimi saculi. 265
De Hæresibus, & Scriptoribus hujus saculi. 275

Disputatio II. de Summo Pontifice. 278

Quæst. I. *Quanam regiminis forma alteri præferenda est?* 281
2. *Utrùm regimen Monarchicum vigeat in Ecclesia?* 284
3. *Utrùm gubernatio Ecclesiastica sit Aristocratia temperata?* 290
4. *In quo resideat potestas Ecclesiæ?* 295
5. *Utrùm suprema Petri potestas transmissa sit ad Pontifices Romanos.* 305
6. *Utrùm Papa possit dici Episcopus universalis?* 315
7. *Utrùm è Summo Pontifice derivetur immediatè potestas Episcoporum.* 326
8. *Utrùm in rebus fidei & morum definiendis Papa sit infallibilis?* 333
9. *Utrùm Papa tanquam privata persona possit esse Hæreticus?* 349
10. *Utrùm Papa hæreticus deponi possit?* 352
11. *De Pontificibus, quos in errorem lapsos esse dicunt hæretici.* 355
Appendix quæstiuncularum, *quæ adhuc ad Summum Pontificem spectant.* 365

INDEX.

Ad Disputationem Tertiam. De Conciliis Prælibatio. 381

DE *Verbo Dei Scripto, seu de Scriptura.* 382
De Verbo Dei non Scripto, seu de Traditionibus. 382.

Disputatio III. de Conciliis. 389

Caput I. de Conciliis in genere. 392.

Quæst. I. QUænam *sit origo Conciliorum?* ibid.
2. *Utrùm Concilium generale necessarium sit.* 397
3. *Quotuplex sit Concilium?* 400
4. *Ad quem spectet convocatio Conciliorum.* 403
5. *Quinam sint ad Concilium convocandi?* 407
6. *Cujus sit præsidere in Concilio generali.* 412
7. *Utrùm necessaria sit Conciliorum confirmatio à Summo Pontifice?* 417
8. *Utrùm Papa sit supra Concilium è* 421

Cap. II. de Conciliis in particulari. 436

DE *Conciliis Apostolorum.* 436
De Concilio Nicæno primo. 438
De Concilio Constantinopolitano primo, quod est Concilium 2. Generale. 441
De Concilio Ephesino primo, Generalium tertio: 443
De Concilio Chalcedonensi, quod est quartum generale. 444
De Concilio Constantinopolitano 2. quinto generali. 446

De

De Concilio Constantinopolitano 3. quod est sextum generale. 449
De Concilio Nicano secundo, generalium septimo. 450
De Concilio Constantinopolitano 4. Generalium octavo. 451
De Concilio Lateranensi primo, & nono inter Oecumenica. 453
De Concilio Lateranensi secundo, & decimo generali. 456
De Concilio Lateranensi tertio, & generalium undecimo. 457
De Concilio Lateranensi quarto, inter generalia duodecimo. 458
De Concilio Lugdunensi primo, tertio-decimo generalium. 459
De Concilio Lugdunensi secundo, quarto-decimo generalium. 461
De Concilio Viennensi, generalium quarto-decimo. 465
De Concilio Constantiensi, & Basilensi partim approbatis, & partim reprobatis. 466
De Concilio Florentino, quod fuit sextum-septimo generalium. 470
De Concilio Tridentino generalium ultimo. 471

Caput III. de Conciliis Particularibus. 473

De Conciliis particularibus primi saculi. ib.
De Conciliis secundi saculi. 474
De Conciliis tertii saculi. 475
De Conciliis quarti saculi. 477
De Conciliis quinti saculi. 479
De Conciliis sexti saculi. 481
De Conciliis septimi saculi. 482
De Conciliis octavi saculi. ibid.

De Conciliis noni ſæculi. 483
De Conciliis decimi ſæculi. 484
De Conciliis undecimi ſæculi. *ibid.*
De Conciliis duodecimi ſæculi. 486
De Conciliis tertii-decimi ſæculi. 487
De Conciliis quarti-decimi ſæculi. *ibid.*
De Conciliis quinti-decimi ſæculi. 488
De Conciliis ſexti-decimi ſæculi. 489
De Conciliis decimi-ſeptimi ſæculi. *ibid.*

Caput IV. Brevem Summorum Pontificum Chronologiam continens. 491

DE Pontificibus primi ſæculi. *ibid.*
De Pontificibus ſecundi ſæculi. 492
De Pontificibus tertii ſæculi. 494
De Pontificibus quarti ſæculi. 497
De Pontificibus quinti ſæculi. 499
De Pontificibus ſexti ſæculi. 502
De Pontificibus ſeptimi ſæculi. 504
De Pontificibus octavi ſæculi. 508
De Pontificibus noni ſæculi. 510
De Pontificibus decimi ſæculi. 511
De Pontificibus undecimi ſæculi. 514
De Pontificibus duodecimi ſæculi. 517
De Pontificibus tertii-decimi ſæculi. 519
De Pontificibus quarti-decimi ſæculi. 522
De Pontificibus quinti-decimi ſæculi. 524
De Pontificibus ſexti-decimi ſæculi. 526
De Pontificibus decimi-ſeptimi ſæculi. 528

FINIS.

THEOLOGIÆ SCOTI

QUARTA PARS.

TRACTATUS

De Virtutibus Theologicis.

VIrtutum Theologicarum, quæ propriè nostri sunt instituti explicationem aggredientes, à Virtutis definitione in genere, ipsiusque divisione ordiri, nil rectius; ut ab universalibus ad particularia descendentes, postquam viderimus, quid sit Virtus in se, & quotuplex, aperiamus posteà, quid dicendum sit de Virtutibus Theologicis in specie.

Primò ergo dicendum est, quòd Virtus multis modis usurpetur; aliquando pro potentia activa, sic Medici discurrunt de virtutibus plantarum, aliquando pro actu talis potentiæ, unde Zoel dicit, cap. 2 *Ficus, & vinea dederunt virtutem suam*: sed propriè sumitur pro habitu inclinante ad actus bonos, homo enim à naturali rectitudine

desse

deflectens per peccatum, necesse habuit recuperare aliqua media, quibus ad Deum rediret; quæ quidem media nihil aliud sunt, quàm virtutes.

Secundò, quantùm ad Virtutis divisionem revocandum est, quod jam diximus in Tractatu de Incarnatione, c. 8. qu. 11. ubi Virtutem divisimus; Primò, ratione principii, in Infusam, & Acquisitam. Illa est quam nobis largitur Deus: ista verò est ea, quam acquirimus naturaliter per frequentationem actuum. Secundò, ratione subjecti dividitur Virtus in Intellectualem, quæ residet in Intellectu: & in Moralem, quæ sedem habet in Voluntate: Virtutes autem intellectuales inclinant intellectum ad verum cognoscendum sicut morales voluntatem ad bene videndum secundùm dictamen rationis: & tam intellectuales, quàm morales ad operationem bonam inducunt; sed illæ ad operationem bonam in genere naturæ, istæ ad operationem bonam in genere moris: Unde qui habet virtutes morales, potest dici bonus simpliciter: & qui habet intellectuales, potest tantùm dici bonus secundùm quid, ut bonus Philosophus, bonus artifex, &c. Tertiò ratione objecti, Virtus dividitur in Theologicam, & Cardinalem: Theologicæ respiciunt Deum, ut objectum præcipuum, & Cardinales respiciunt media, quibus homo ad Deum accedit.

Theologicæ virtutes rectificant partem superiorem animæ, eamque dirigunt immediate in ultimum finem. Virtutes Cardinales, quæ sunt veluti januæ ad Deum conducentes, rectificant partem animæ inferiorem, ut rationi subiiciantur. Prudentia enim Rationem dirigit in vitandis, & eligendis: Fortitudo Appetitum Irascibilem rectificat in per-

in perferendis molestiis, & superandis difficultatibus in operatione boni passim occurrentibus. Temperantia Appetitum Concupiscibilis inclinat, ut à delectationibus pravis coerceatur. Justitia verò totum hominem ordinat ad reddendum unicuiq; quod suum est. Licèt virtutum Cardinalium examinatio præcisè ad Philosophos Morales spectet, qnædam tamen de illis ex occasione dicere, nunc otiosum forte videbitur, antequam ex professo Virtutum Theologicarum naturam examinare suscipiamus.

Prudentia, quæ ex nomine idem est, ac procul videntia, inquantum est certa quædam futururum prævisio, præteritorum recordatio, & præsentium intuitio, secundum rem est habitus inclinans intellectum ad judicandum quid agendum, vel omittendum sit hic, & nunc, hoc est in particulari. Per primam particulam apparet Prudentia, quæ est actus intellectus, distingui ab aliis virtutibus Moralibus, quæ sunt actus voluntatis: Per secundam objectum Prudentiæ indicatur, quod est scilicèt omne faciendum, vel omittendum, cum Prudentia impellat voluntatem ad bonum, & avertat à malo: Per tertiam denique, distinguitur Prudentia à Philosophia Morali, quæ judicat quidem de omittendis, & faciendis, sed tantum in genere ubi Prudentia ad particulares circumstantias descendit. Prudentia tres species agnoscit, sicut Moralis Philosophia: nempe Prudentiam politicam, quæ versatur circa gubernationem Reipublicæ, Oeconomicam, quæ respicit directionem familiæ & Monasticam, quæ circa directionem hominis privati versatur: Cum hoc discrimine (ut diximus) quod hæ species prudentiæ dirigant

actio-

actiones in particulari, species verò Moralis dirigant tantùm in genere.

Justitia est habitus inclinans voluntatem ad reddendum unicuique quod suum est. Aliquid pertinet ad aliquem vel jure naturali, quomodò vita pertinet ita ad unumquemque, ut jus habeat illam conservandi, & defendendi: vel jure positivo, quo prædium v. g. ita ad dominum pertinet, ut illud conservare, vendere, & ab usurpatore repetere valeat, vel jure consuetudinis, in quantum consuetudo vim legis obtinet, modò conditiones requisitas habeat. Justitia duplex est, Generalis scilicet, quæ personam publicam respicit, qua Judex v. gr. decernit unicuique quod suum est; & privata, qua unusquisque alteri tribuit quod est suum. Subdividitur justitia in Commutativam, & Distributivam. Commutativa inclinat ad reddendum alteri æquale pro æquali secundùm proportionem Arithmeticam, ut patet in contractibus, v. g. in venditione; quæ est traditio rei alicujus pro alia æquivalente: in emptione, quæ est acceptio alicujus pro æquivalente: in locatione, quæ est acceptio rerum utendarum, mediante aliquo pretio; &c. justitia distributiva inclinat præsertim Personas Publicas ad reddendum unicuique quod suum est secundum proportionem geometricam; id est conferendo præmia, vel pœnam infligendo juxta meritum, vel demeritum personarum, quæ benè, vel malè egerunt. Justitia enim Distributiva dividitur in Remunerativam, quæ virtuti præmium reddit, & in Punitivam, quæ crimini infligit pœnam.

Fortitudo est Virtus, quæ voluntatem inclinat ad labores perferendos, & justa pericula aggredienda. Medium tenet inter audaciam,

ciam, & timiditatem, quia consistit in perpessione laborum, quos fugit timiditas: & in aggressione justorum periculorum: ubi Audacia ad omnia pericula inclinat, sive justa, & honesta sint, sive non. Duplex est species Fortitudinis: alia enim est vera, quæ inclinat ad justos labores perferendos, & recta pericula aggredienda, solius honestatis, & publicæ utilitatis gratia, in his servando mediocritatem: alia verò est apparens, quæ exercetur, non intuitu honestatis, aut publicæ utilitatis præcisè, sed sub alio nomine, aliisque de causis. Sic aliquando cives patriam defendunt ad damnum vitandum, aut præmia consequenda: sic milites adeunt pericula ob stipendia, vel spolia: sic iracundi ex odio, & vindicta, sic etiam imprudentes, qui nescientes pericula, actiones periculosas aggrediuntur. Duo præcipui sunt Fortitudinis actus, nimirum Aggredi, & Sustinere.

Temperantia denique est virtus inclinans voluntatem ad moderandum appetitum circà voluntates corporis, & præsertim Gustus, & Tactus. Omnes quidem delectationes animæ, & aliorum sensuum moderatione indigent, ne in excessum, aut defectum impingant: sed propriè ille tantùm Intemperans dicitur, qui immoderatè fertur in delectationem Gustus, aut Tactus; Unde aspectus mulieris intemperantiam tantùm inducit, in quantùm excitat ad libidinem, quæ spectat ad delectationem tactus: sic etiam olfactus, & visus ciborum intemperantem faciunt, quia ad eos appetitum provocant. Ideò autem Temperantia versatur præcipuè circa tactum, & gustum; quia horum sensuum delectationes sunt difficillimæ, ut regulentur; in quantum delectatio gustus inducit ad con-

ser-

ſervationem individui, mediante ſcilicet alimento: delectatio autem tactus reſpicit conſervationem ſpeciei; mediante generatione, potiſſimùm verſatur Temperantia circa tactum: quia quiſque ſentit majorem eſſe difficultatem, dum reſiſtitur Tactui, qui per omnes corporis partes diffunditur, quam Guſtui, qui in ſola linguæ cuſpide reſidet, Temperantia quatuor, habet ſpecies, quarum prima eſt abſtinentia, quæ reprimit delectationem in cibo: ſecunda eſt Sobrietas, quæ delectationem in potu moderatur; tertia eſt Charitas, quæ voluntatem regulat, ut ordinatè tantum appetat voluptates licitas; quarta denique eſt Pudicitia, quæ regulat voluntatem circa actiones externas, unde oriri poſſunt voluptates venereæ, uti ſunt amplexus, & oſcula. Nunc ad virtutes Theologicas progrediendum eſt, & primò ad explicationem fidei.

DISPUTATIO PRIMA.

De Fide.

LIcèt Charitas ordine excellentiæ Fidem præcedat, juxta D. Paulum, 1. Corinth. 13. *Fides, Spes, Charitas; tria hæc; major autem horum eſt charitas*: ordine tamen generationis primum locum obtinet Fides: unde ipſemet Apoſtolus illam ante Spem, & Charitatem collocat, & hoc jure merito; quandoquidem cognitio objecti ſpem, & amorem præcedit, cum voluntas in incognitũ tendere non valeat. Nil mirum ergo, ſi de Virtutibus Theologicis agere intendentes à Fide ſumamus exordium; hoc in præſenti diſputatione, quæ in plura capita dividetur; nempe in quatuor, quorum

rum primum erit de natura & proprietatibus Fidei: secundum de objecto Fidei; tertium de actu interno, & externo Fidei; quartum denique de vitiis Fidei oppositis.

CAPUT PRIMUM.

De natura Fidei.

VArias acceptiones nomen Fidei habet in sacra Scriptura. Primò sumitur pro fidelitate in promissis Roman. 3. *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* id est veracitatem. Secundò, usurpatur pro promissione, idest ad Timoth. 5. *Juniores vidua primam fidem irritam fecerunt*: idest, inquit Augustinus, voverunt, & promiserunt Deo, & non impleverunt promissum. Tertiò pro fama, qua quis habet, ut credatur, sic Eccl. 27. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit*; idest non amplius existimatur fidelis. Quartò, pro conscientiæ dictamine; Rom. 4. *Quod non est ex fide, peccatum est*. Quinto, pro fiducia consequendi id, quod desideratur: Matth. 14. *Modice fidei, quare dubitasti?* Sexto pro assensu, quem præbemus dictis, quæ nobis proponuntur à veraci homine; sic dicitur communiter, probis adhibendam esse fidem. Septimò denique, & ad propositum, Fides sumitur pro Virtute Theologica, quæ est quædam qualitas supernaturalis in intellectu residens, quo disponitur ad credendum Deo, & illis, quæ nobis divinitus revelantur. De ea sic sumpta discurrendum est.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Fides?

DUm Paulus ad Rom. 11. dicit, *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*, potiùs definit fidem per effectum, & proprietatem, quàm per essentiam, & rationem formalem. Dicit primò fidem, *esse substantiam sperandarum rerum*, vel quia fides est basis substans toti ædificio spirituali, quod constituitur ex virtutibus, quæ non conducunt ad professionem gloriæ æternæ, quam speramus: vel quia per fidem, seu cognitionem, jam aliquo modo subsistunt in nobis ea, quæ speramus, licèt actu nondum possideantur. Dicit secundò, fidem esse *argumentum non apparentium*, quia tanquam firmum argumentum fides assentire facit veritatibus revelatis propter authoritatem Dei revelantis. Nobis quærenda est germana, & formalis Fidei definitio, quæ quidem Fides potest considerari, vel ut est actualis, vel ut habitualis.

CONCLUSIO.

FIdes Actualis est actus supernaturalis intellectus, quo firmiter, obscurè tamen, assentimur omnibus, quæ Deus revelavit, ptopter solam revelantis authoritatem. Fides habitualis est habitus intellectualis, quo inclinamur, & disponimur ad credendum firmiter omnes veritates à Deo revelatas pro eo tempore, quo nobis innotescunt, & hoc propter solam Dei revelantis authoritatem. Ab hac virtute habituali, omnes Catholici,

sive parvuli adhuc sint, sive sint adulti, qui dormiant, aut mente sint capti, Fideles dicuntur.

Dicitur primò, habitus: non qui dat tantùm facilitatem ad assentiendum veritatibus revelatis, sed qui dat simpliciter potentiam assentiendi. Est enim hæc differentia inter habitus naturales, & supernaturales, quod naturales facilitent potentiam ad agendum: supernaturales verò dent simpliciter facultati agendi potentiam, ità quòd intellectus nequaquam credere possit sine fide, nec voluntas amare sine charitate, loquendo de fide, & amore Dei, quæ ducunt ad salutem.

Dicitur secundò, *intellectualis*; quia fides est in Intellectu, tanquam in subjecto. Ille autem habitus intellectus est eminenter Speculativus, & Practicus. Quatenus assentimur veritatibus speculativis, credendo v. grat. Deum esse Trinum, est Speculativus; quatenus autem assentimur veritatibus practicis: ut quando credimus, virtutem esse amandam, est Practicus: sic aliàs docuimus, Theologiam esse diverso respectu speculativam, & practicam.

Dicitur tertiò, *Quo inclinamur ad credendum omnes veritates à Deo revelatas.* Unde hæretici eo instanti, quo in Hæresim lapsi sunt, dicuntur amisisse fidem: cujus ratio est, quia habitus Fidei est indivisibilis, qui totus deperditur in Hæretico, dum unum articulum negat, sicque potest denominari infidelis. Quòd si videatur habere eandem facilitatem ad credendum ea, quæ non negat, ac habebat ante Hæresim: illa facilitas procedit à consuetudine, & à fide acquisita, non à fide infusa, quæ deperdita est per Hæresim. Additur, *propter solam revelantis authoritatem*; quia

sicut

ſicut in fide humana aſſentimur propoſitioni factæ ab aliquo, ob authoritatem dicentis, quem veracem credimus, ſic in fide divina aſſenſum præbemus illi, quæ Deus revelavit, & Eccleſia nobis credenda propoſuit, propter Dei revelantis authoritatem, qui ſummè verax eſt in dicendo; & hoc magis explicatur poſteà, ubi agitur de objecto formali, ſeu motivo fidei.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit Fides?

TRiplicem admittunt Calviniſtæ, hiſtoricam ſcilicet, qua creditur, omnia eſſe vera, quæ Deus in ſcripturis revelavit; Miraculorum, qua creditur nihil eſſe, quod à Deo fieri non poſſit: & Promiſſionem, qua creditur veras eſſe promiſſiones Dei de remiſſione peccatorum, & adoptione gloriæ cœleſtis per merita Chriſti. Dicunt poſteà, fidem hiſtoricam reſpondere Divinæ veritati, fidem miraculorum D. potentiæ, & fidem promiſſionum D. Bonitati. Aſſeverant denique has tres fides eſſe inter ſe diſtinctas realiter, adeòque unam poſſe inveniri ſine alia. Antequam reſolvamus contra illos ſciendum eſt, fidem poſſe ſumi pro habitu infuſo, qui in Chriſtiano permanet, vel pro actu, quo fidelis credit hanc, vel illam veritatem revelatam à Deo, & ab Eccleſia propoſitum.

CONCLUSIO.

LIcèt fides actualis poſſit eſſe multiplex, habitualis tamen eſt una tantùm, & unus tantùm habitus. Quòd fides actualis ſit mul

multiplex, patet ex eo, quod uno actu creditur unus articulus, alio alius : & sic sunt plures actus fidei, pro multiplicitate veritatum, quæ creduntur. Illi actus fidei sortiuntur diversa nomina, prout objecta partialia, quæ creduntur, diversa sunt; Unde alia Fides vocatur Fides Historica, alia vocatur Fides Miraculorum, alia denique Fides Promissionum : quatenus scilicet prima fertur in Historias à Deo revelatas : seconda in potentiam Dei, quæ potest in quocunque genere edere miracula, & tertia in ipsius bonitatem, quæ salutem hominibus promittere voluit.

Probatur autem, quòd fides habitualis sit una specie, ex D. Paulo ad Ephes. 10 *Unus Deus, una fides.* Et 2. ad Cor. 4. *Habentes eundem spiritum fidei:* Sicut & 10. *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt* : quod intelligitur de fide, quæ fuit eadem essentialiter apud Judæos, & Christianos, licèt fuerit diversa accidentaliter, in quantum credebant futura, quæ nobis sunt præsentia, & multa implicitè tantùm, quæ explicitè credimus. Ratio hujus est, quia objectum fidei, tum materiale, tum formale, est unum, nimirum Deus in se, & Deus ut revelans, ut probabitur in Cap. sequenti : ergo fides est etiam una : quandoquidem unitas specifica Virtutis petitur ab unitate objecti formalis.

Obiic. primò, fidem partialem de uno articulo esse distinctam specie à fide partiali de alio articulo, sicut quælibet scientia partialis est distincta specie ab alia, ut potè in physica, ubi scientia de elementis est distincta à scientia de corpore. Resp. non esse parem rationem, quia illæ partiales scientiæ habentur per diversas rationes, nec ac-

qui-

quiruntur per eadem argumenta, unde sunt diversæ ; fides verò tantùm unam credendi rationem adhibet, quia scilicet Deus per scripturas: & per Ecclesiam hoc, vel illud revelavit : ergo licèt scientiæ partiales distinguantur inter se specificè, & essentialiter : attamen fides partiales non distinguuntur specificè, nisi tantùm materialiter, & objectivè. Unde dicendum est ad Calvinum supra allegatum, Fidem Historicam, Miraculorum, & promissionum esse eandem; in quantùm res gestæ, miracula, & promissiones ideò creduntur, quia creduntur in scriptura. Non immeritò ergo de illis loquens Maldonatus in c. 9. Matth. ait: *Ista triplex fides, quam nuper invenerunt, figmentum est: & si unam haberent fidem, omnem haberent: qui triplicem habent, nullam habent.*

Obiic. secundò, Fidem Vivam differre specie à Mortua. Resp. differre tantùm accidentaliter, & extrinsecè: nam licèt Fides viva differat à mortua in ratione meriti (inquantum illa meritoria est, non ista) non differunt tamen substantialiter. Dices in uno fides est major, in alio minor: nam plura credunt Christiani, quàm Judæi. Resp. fidem habitualem posse augeri intensivè, in quantùm unus homo firmiùs adhærebit credendis quàm alius; non tamen potest augeri extensivè, quasi unus credat aliquid, quod alter non credit, nisi explicitè, qui enim habet habitum fidei, paratus est omnia revelata, & revelanda credere: & si aliquid dicatur credere de novo, quod illi revelatum est, quia credit aliquid explicitè, quod anteà tantùm implicitè credebat, ita quòd tota extensio fidei sit tantùm respectu fidei actualis explicitæ, non verò respectu implicitæ; qui enim credit

dit per fidem divinam, credit saltem implicitè omnia, quæ Deus revelaturus est.

QUÆSTIO III.

Utrùm Fides sit virtus in intellectu residens.

SUb hoc titulo duæ proponuntur difficultates : utrùm primò fides sit virtus, quod intelligitur tum de Fide viva, quæ conjungitur cum Charitate, tum de Fide Mortua, quæ est in peccatore. Utrum secundò illa Virtus fidei sit in intellectu, tanquam in subjecto ; & hoc proponitur ob opinionem Calvini, dicentis Fidem Justificantem consistere in certa quadam fiducia, qua quis credit omnia peccata sibi remissa esse propter merita Christi, se esse justum coram Deo, securumque de sua salute, unde multis in locis, & præsertim l. 3. Instit. c. 2. §. 5. dicit, *Fidelis non est, nisi qui suæ salutis securitati innixus diabolo, & mori confidenter insultat*. Cùm autem fiducia pertineat ad voluntatem, quoniam nihil est aliud quàm firma spes de re consequenda, & spes secundùm illos sit habitus voluntatis, ex hoc concludunt Hæretici, fidem residere, non intellectu, sed in voluntate, tanquam in subjecto.

CONCLUSIO PRIMA.

FIdes tum Viva, tùm Mortua est virtus.

Ratio primæ partis est, quia virtus est habitus perficiens potentiam, & illam ordinans ad eliciendum actus perfectos in suo genere ; sed fides viva perficit intellectum

& ipsum inducit, ut credat certò ea quæ Deus revelavit. Ergo fides est virtus, maximè, cùm ille actus credendi sit perfectus, utpotè da cælestem gloriam conducens, quam in meretur de condgino.

Probatur secunda pars, quæ majorem præ. sefert difficultatem. Primò, quia Fides, etiam Mortua, substantialiter, & Physicè sumpta, est habitus intellectum determinans ad firmiter credendum ea, quæ Deus revelavit, cum ordine saltem remoto ad vitam æternam, ad quam conducit, quandoquidem est principium Justificationis remotum: Ergo ipsa est virtus. Secundò quia infidelitas positiva est vitium; ergo Fides, qualiscumque sit, est Virtus, quoniam utraq; opponitur Infidelitati; & oppositorum opposita est consequentia. Tertiò, quia fides mortua non differt physice à viva, sed tantùm moraliter; immò Charitas, quæ fidem mortuam vivificat, extrinseca est fidei: ergo non dat illi, nec tollit ab ea, quòd sit virtùs.

Obiicies ex D. Thoma. Fidem Mortuam non esse Virtutem & ex D. August. l. 5. contra Julianum, cap. 3. nullam Virtutem vocari debere, nisi in eo, qui fuerit justus, nec censendas esse virtutes, quæ nihil prosunt ad beatitudinem, Resp. ad utrumque, fidem mortuam, nec quamcumque virtutem sine gratia, esse Virtutem in gradu perfecto: quia ultimum complementum Virtutis illi deest, in quantùm, nec reddit hominem simpliciter justum, nec conducit immediate ad vitam; est tamen fides mortua virtus entitativè, & substantialiter, quia conducit saltem remote ad vitam æternam; hoc modo explicat Cajetanus D. Augustinum.

CON,

CONCLUSIO SECUNDA.

FIdes reſidet in Intellectu, tanquam in ſubjecto, quia Theologi omnes docent, fidem eſſe habitum quo credimus, & agnoſcimus ea, quæ Deus revelavit eſſe vera: credere autem, & agnoſcere, ad intellectum ſpectat: ergo Fides in Intellectu reſidet, unde fidei viatorum ſuccedit viſio beatorum.

Obiicies. Præbere aſſenſum pertinet ad voluntatem, ſed per fidem præbemus aſſenſum omnibus, quæ à Deo revelantur; ergo fides ad voluntatem ſpectat. Reſp. quod conſenſus poſſit ferri circa bonum, & circa verum: fertur circa bonum, quando aliquod bonum utile jucundum, vel delectabile deſideramus, & in illo adepto complacemus, & tunc ſpectat ad voluntatem præbere aſſenſum: Conſenſus ſecundò fertur circa verum, cùm judicamus, & ſentimus aliquid eſſe verum, & tunc conſenſus ad intellectum pertinet, & proinde fides qua ſentimus, & exiſtimamus ea eſſe vera, quæ Deus revelavit vel per ſcripturam vel per Eccleſiam.

Addendum eſt, quod licet fides formaliter ſpectet ad intellectum: attamen requiritur aliquis actus Voluntatis, quo captivetur intellectus in obſequium Fidei, ut cum D. Paulo loquar; cum enim actus credendi ſit circa res obſcuras, requiritur aliquis actus Voluntatis imperantis intellectui, ut judicet, & credat eſſe verum id, quod credendum proponitur; & hoc facit voluntas per virtutem obedientiæ, & humilitatis, quæ vocatur ſtudioſitas, aut humilitas. Ex quo dicendum eſt, quòd fides non conſiſtat in ſola apprehenſione rerum creditarum, quoniam multa cognoſcimus, & ap-

prehendimus, quæ sunt falsa, & hęretica; sed consistit in cognitione cum firmo assensu ad ea, quæ revelantur, & ille assensus imperatur à Voluntate, licèt sit actus intellectus.

QUÆSTIO IV.

Quomodo Fides à Charitate pendeat.

SEctarii clamitant, Fidem ita à Charitate pendere, ut sine Charitate nulla existat Fides; & ideò infirmant illam divisionem Fidei, in Vivam, & Mortuam, quam admittunt Catolichi asserentes, quod revera fides maximam perfectionem desumat à charitate, attamen illam posse realiter existere sine ista, quod videndum est, antequam quæstioni respondeamus.

CONCLUSIO PRIMA.

FIdes existere potest sine Charitate. Sic Concil. Trid. Sess. 6. de Justificatione Can. 38. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Hoc est conforme D Paulo 1. Cor. 1. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem non habuero, nil mihi prodest.* Ubi Apostolus dicit, se Fidem sine charitate posse habere, quæ tamen non prodesset. Ratio in promptu est, quia illæ Virtutes à se invicē separari possunt, quæ residen in diversis subjectis, & quarum una est prior altera; Fides autem est in intellectu; & Charitas in voluntate: & illa præcedit istā ordine saltem naturę: Ergo.

Obii.

Objiciunt Hæretici, & dicunt primò, textum Pauli nihil probare, quia loquitur tantùm de fide Miraculorum, quæ potest esse sine Charitate, non de fide Promissionum, quæ semper justificat, & proinde Charitati conjungitur. Resp. negando hanc responsionem prorsus commentitiam; dicit enim, *si habuero omnem fidem*. Dicunt secundo, Jacobum cap. 2. suæ Epist. vocare Fidem sine operibus mortuam: ergo non est vera fides, sicut homo mortuus non est verus homo. Resp. esse mortuam moraliter, quia caret forma moralis, in quantum non habet principium merendi: non est tamen mortua physicè, quoniam sine Charitate habet semper suam entitatem. Ad Patres dicentes, fidem sine operibus non esse veram fidem. Resp. per hoc ipsos significare tantum, quod non sit viva, & perfecta sine operibus. Dicunt tertio hæretici, apud Scripturam & Patres justificationem semper attribui fidei, & proinde semper esse cum charitate, sine qua nemo justificatur. Resp. Fidem justificare, sed non solam; justificat quidem fides inchoative, & dispositive, in quantum fides, sine qua impossibile est placere Deo, docet ea quæ sunt agenda; Charitas verò justificat formaliter; unde dicendum est, quod Fides sit principium iustificationis, & Charitas consummatio illius.

CONCLUSIO SECUNDA.

Fides à Charitate pendet, non entitativè, sed meritoriè: ita quod Charitas sit forma extrinseca perficiens fidem in ordine ad meritum condignum; sine Charitate tamen, quæ est mortua, confert ad meritum congruũ.

Hæc conclusio multas continet partes. Primò

dicit, fidem non pendere entitative à charitate, quoniam etiam mortua habet entitatem distinctam ab entitate Charitatis, ut habetur ex conclusione præcedenti.

Secundò vult conclusio, quòd fides pendeat à Charitate meritoriè: quoniam D. Jacobus c. 2. habet; *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus* (supple charitatis) *mortua est*. Et D. Paulus 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam charitatem autem non habuero, nihil sum.* Unde Augustin. 15. de Trinit. c. 17. dicit fidem sine charitate esse posse, prodesse non posse.

Tertiò, in conclusione habetur, quod charitas sit forma extrinseca perficiens fidem, sicut enim forma perficit materiam, sic Charitas Fidem; cum hac distinctione, quod forma perficiat materiam intrinsecè, & Charitas Fidem extrinsecè, non in ordine ad se, sed in ordine ad meritum.

Quartò, diximus, quòd charitas det fidei meritum condignum; nemo enim dubitat, quin actus fidei Charitate formatus mereatur de condigno vitam æternam, juxta id Joan. 6. *Si quis credit in me, habet vitam æternam*. Et Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, &c.*

Quintò addimus, Fidem sine Charitate mereri de congruo; in actu enim credendi, qui est à Gratia supernaturali, & à libero arbitrio captivante intellectum, reperitur Humilitas, & Obedientia quædam erga Deum, dum homo propter reverentiam ejus majestatis credat ea, quæ Deus revelavit, etiamsi mentis humanæ captum longè excedant; ex quo æquissimum videtur, & planè congruum justitiæ D. ut aliquod meritum saltem inchoatum tribuatur Fidei, licèt non sit adhuc informata Charitate.

Obiic.

Obiic. dictum D. Pauli: *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Diſt. quantum ad meritum condignum, concedo; quantum ad meritum congruum, nego. Sic Reſpon. ad Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 8. dicens: *Nil eorum, quæ juſtificationem antecedunt, ſive ſit fides, ſive opera, merentur juſtificationem.* Hoc intelligitur, inquam, de merito condigno, non congruo.

QUÆSTIO V.

Utrum Fides debeat eſſe integra.

ALii ſub alio titulo hanc quæſtionem proponunt, utrum ſcilicet in Hæreticis remaneat Fides: ſi enim Hæreticus, qui unum articulum Fidei negat tantummodò, remaneat adhuc Fidelis, quia alios fatetur, non requiritur integri, ut ſalvetur Fides ſimpliciter.

CONCLUSIO.

REquiritur integritas in Fide, ita quòd ſines per quemlibet actum Infidelitatis amittatur ſimpliciter; & Hæreticum, qui plures articulos fidei recipit, & unum reſpuit poſitivè, non amplius dici, aut cenſeri debeat Fidelis. Hæc concluſio eſt cõtra Durandũ.

Probatur primò ex Scrip. & Concil. Trid. Nam ad Epheſ. 4. habetur, *Una fides unus Deus*: ſi autem divideretur fides, non eſſet ampliùs una juxta D. Hilarium, qui lib. 1. ad Conſtantium Auguſtum, explicando hunc locum dicit; *Cùm unus ſit Deus, & una fides: ubi plures fides ſunt, jam incipit fides eſſe nulla.* Deinde Paulus 1. Timoth. 1. dicit, Alexandrum, & Himenæum, qui in aliquo erravе-

rant, naufragasse circa Fidem, & inferius, excidisse à Fide: qui autem naufragatur circa Fidem, jacturam facit fidei. Tandem in Conc. Trid. Sess. 6. c. 15. asseritur, Fidem infidelitate amitti; Hæresis autem est infidelitas.

Probatur secundò ex Patribus: Tertull. qui cap. 37. Libri de Præscriptionibus Affirmat, Hæreticos non posse esse Christianos, D. Cypriano Epist. 52 *Quisquis ille est, qualiscumq; est, Christianus non est in Ecclesia non est*: Hæretici autem non sunt in Ecclesia: ergo nec sunt Christiani, nec Fideles. Ex August. etiam, quilib. de Fide, & Simbolo cap. 20. dicit: *Hæreticos non pertinet ad Ecclesiam Catholicam*. Et Quæst. 12. in Matth. *Qui falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, hæreticus est, & foris est animo* (id est extra Ecclesiam) *quamvis intus esse videatur*.

Probatur tertiò, ratione. Primò, quia fides, de qua loquimur, esse debet Catholica implicitè vel explicitè, idest debet esse universalis; sed non est universalis in hæretico, qui aliquid credit, & aliquid negat. Ergo non est propriè fides. Secundò, quia quando hæretici aliquid credere dicuntur, non habent formam, seu motivum Fidei, quia non credunt propter Deum revelantem per Scripturam, aut per Ecclesiam, aliàs omnia revelata crederent, sed credunt privato judicio. Ergo non habent fidem. Tertiò, quia fides illa non est vera, supernaturalis, & infusa, quæ aliquid verum credit, & aliquid falsum; sed Hæreticus credit aliquid verum, & aliquid falsum: Ergo ipsis Fides non est supernaturalis.

Objicies primò. Potest quis retinere habitum alicujus scientiæ, licèt erret in aliqua conclu-

clusione illius scientiæ: Ergo Hæreticus potest retinere Fidem, licèt erret in aliquo articulo. Negatur paritas; quia diversæ conclusiones scientiæ cognoscuntur per diversa media, & sic potest una cognosci, & non alia. Omnes autem veritates fidei cognoscuntur unico medio, nempè per revelationem: ergo omnes creduntur saltem implicitè; vel nullæ creduntur. Dices: Hæreticus æquè faciliter credit post Hæresim, ac ante, ea, quæ non negant. Resp. hanc facilitatem non procedere à fide divina, quæ amissa est per Hæresim, sed ex longa, & pristina consuetudine, quam habet credendi illa. Quòd si post hæresim firmiter hæretici adhuc credant; procedit ex illorum pertinacia. *Si dicatur.* Quando post Hæresim aliquis credit adhuc Deum esse trinum, talis fides est supernaturalis. Distinguo: est supernaturalis objectivè, quia est de objecto supernaturali: non est verò supernaturaliter entitativè, quia non est ampliùs illa Fides divina, quæ erat ante Hæresim, sed fides prorsus humana, quę substituitur divinæ.

QUÆSTIO VI.

In quibus existat Fides.

IN quæstione tertia diximus intellectum esse subjectum *quo* inhæsionis fidei; quia fides residet in intellectu, & in voluntate; nunc loquendum est de subjecto *quod* ipsius, & quærendum, utrùm Angeli, & primi parentes habuerint Fidem: utrùm etiam Fides adhuc existat in Purgatorio, in Cælo, & in Inferno. Quantùm ad Hæreticos, ex conclusione præcedenti patet, ipsos non retinere fidem.

CONCLUSIO PRIMA.

IN Angelis, & primis parentibus reperta fuit Fides in sua creatione. Utrumque in communi probatur primò, quia Angelus, & homo habuerunt Gratiam in prima sui conditione; ergo & fidem, quæ conjungitur cum gratia Secundo, quia uterque accessit ad Deum, & Deo placuit; Hæbr. 11 6. *Accedentem autem ad Deum oportet credere: & sine fide impossibile est placere Deo.* Tertiò quia & Angelus, & homo cognoverunt mysteria Gratiæ per revelationem, quæ debuit esse obscura, cùm non essent adhuc Beati, nec comprehensores; quæ quidem obscuritas fuit conveniens illorum statui, ut mererentur.

Objicit Durandus pro Angelis, quòd non habuerint fidem; quia illorum cognitio non erat obscura, sed evidens, in quantùm sciebant Deũ, qui non potest mentiri, illis suas cognitiones revelasse. Resp. Licèt cognitio Angelorum habuerit evidentiam in attellante, idest licèt cognoverint Deum illam revelasse, attamen illa cognitio fuit obscura in se; sicque non minùs habuerunt fidem; aliàs Patriarchæ, & Prophetæ non habuissent. Deinde, potuit dubitare Angelus; an esset aliqua creatura superior, quæ produxisset illam cognitionem in intellectu suo, à qua posset decipi; licet enim naturaliter primus Angelus, & quilibet cognoscat omnem creaturam; Deus tamen potuit illi abscondere & existentiam, & efficaciam ejus.

CONCLUSIO SECUNDA.

IN dæmonibus, & aliis damnatis non est prior Fides infusa, quæ est virtus Theologica, i.

ea; Tum quia Fides infusa est donum Dei, & sua natura ordinatum ad beatitudinem obtinendam, damnati autem spoliati sunt omni spe beatitudinis: Tum etiam quia Fides est virtus, qua intellectus credit propter solam authoritatem Dei, cui accedit pia affectio voluntatis captivantis intellectum in obsequium Dei & fidei; damnati autem non credunt revelationem Dei, sed *credunt, & contremiscunt*, coacti per manifestam experientiam, videndo diversos Hæreticos damnatos esse propter diversas hæreses, ex quo concludunt manifestè, Fidem Catholicam esse verissimam: Et quantum ad voluntatem, nullam habent affectionem se submittendi, immò *superbia eorum ascendit semper*. Tùm denique quia Fides, quæ est virtus, est quoddam animæ, & mentis ornamentum, quo indigni prorsus sunt & damnati, & dæmones.

Objicies Aug. lib. de Fide & Operibus c. 14. Comparatur fides peccatorum fidei dæmonum: sed illa est vera & infusa fides: ergo & ista. Resp. in hoc stare comparationem, quòd sicut fides demonum nihil prodest illis, sic nec peccatoribus, quantùm ad meritum condignum. Dices Animæ damnatorum, quæ in hoc mundo fuerunt fideles, non distinguntur ab aliis in inferno, nisi per fidem, quæ remansit. Resp. distingui per caracterem Baptismi. Dices Damnati, qui nullum infidelitatis actum exercuerunt, non debent spoliari Fide. Resp. spoliari ratione status, quia repugnat Fides damnatis ob rationes allatas.

CONCLUSIO TERTIA.

BEati non habent Fidem circa Deum: habent enim cognitionem illius evidentem,

quæ evacuat Fidem, juxta D. Paulum 1. Cor. 13. *Cùm venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*, Et infrà: *Videmus nunc per speculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Quantùm ad aliquas veritates, quas non cognoscunt Beati, puta circa diem judicii, circa prædestinationem particularem alicujus hominis, & similes veritates, probabile est. illos posse habere actum fidei: quia illas non vident intuitivè, & illas credunt propter authoritatem Dei revelantis. Hoc est conforme Tertulliano, qui libr. de Patientia circa finem dicit, *Dilectio nunquam excidet; nam cætera evacuabuntur. Exhauriuntur linguæ, scientia, prophetia; permanent fides, spes, dilectio.* Sic & Irenæus lib. 2. adversùs Hæreres c. 47. dicens Paulum asserere Fides, Spem, & Charitatem manere in cœlo.

Quantùm ad animas existentes in Purgatorio: cùm nondum sint in patria, nec Deum clarè videant: Dicendum est, quòd fides in illis remaneat: quia ibi adhuc sperant, & fides, est substantia rerum sperandarum. Unde, si dicatur, illas esse in termino: sunt revera in termino meriti, sunt tamen in via satisfactionis.

QUÆSTIO VII.

A quo sit Fides.

SI credatur Manichæis dicentibus nihil credendum nisi, quod naturali ratione demonstrari possit, fides est à natura. Si consulantur Pelagiani, respondebunt, solas naturæ vires sufficere ad credendum, posita exteriori prædicatione Evangelii; Catholici

lici verò dirent contra hos hæreticos, Fidem esse simpliciter à Deo; quod intelligitur tum de Fide viva, tum de fide informi.

CONCLUSIO.

FIdes est absolutè à Deo. Ephes. 2. *Gratia estis salvati per Fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei est.* Ad Philip. 2. *Misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis* Jo. 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis.* Conc. Arausic. Can. 7. *Hæretici sunt, qui dicunt nos posse per naturæ vires assentiri rebus Fidei.* Aug. Epist. 105. *Fides ad Christum nos trahit: quæ nisi desuper gratuito munere daretur, non ipse diceret. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Ratio in promptu est, quia supra naturam est, assentiri his, quæ rationem superant. Unde si dicere videatur Scotus in 3. dist. 23. q. unica, actum credendi quoad substantiam esse naturalem, loquitur de actu credendi, in quantum est actus vitalis intellectus.

Quantum ad fidem informem, eadem ratione & testibus Scripturæ patet, ipsam esse etiam à Deo, cujus donum est: Nam fides mortua est eadem essentialiter cum viva, & differunt tantùm extrinsece per Charitatem, scilicet, quæ conjungitur modò cum fide, & modò separatur per peccatum. Quòd sit eadem fides, quæ remanet post peccatum, patet ex Conc. Trident. Sess. 6. Can. 28. ubi determinatum Fidem remanere post peccatum: non autem infunditur nova fides: ergo antiqua remanet, quæ vitam amisit; ergo utraque est à Deo.

Objicies, si fides mortua est à Deo, infunditur à Deo quod est falsum: quia est imperfecta.

Resp.

Resp. Fidem mortuam, ut sic, non infundi à Deo, sed infundi fidem charitate vivificatam à Deo, quæ posteà desinit esse viva, advenien. te peccato.

QUÆSTIO ULTIMA.

Quinam sint effectus Fidei.

NOn loquimur hìc de effectibus physicis fidei, sed de moralibus; moralia enim sunt moraliter accipienda; unde quæstio est de certis quibusdam consequentiis, quæ resultant ex Fide.

CONCLUSIO.

LIcèt Divus Thomas det Fidei duos tantùm præcisè effectus, nempe timorem, & Puritatem cordis: attamen dici potest, quòd omnes virtutes infusæ, quæ communicantur homini per Justificationem, sunt fidei effectus; quia Fides est initium justificationis, & proinde aliquo modo principium omnium virtutum. Quod tamen Timor, & Puritas attribuantur specialiter Fidei, patet primò, quoad timorem: quia Fides ex una parte suggerit infirmitatem nostram & ex alia summam Dei majestatem: & ex utraque resultat timor; qui timor est filialis, si sit à fide viva, quia oritur ex amore & reverentia; & est servilis, & ortus ex metu pœnarum, si sit à fide informi. Non est tamen negandum quin timor servilis conjungatur aliquando in justis cum Fide viva; sed sæpius timor servilis oritur à Fide informi.

Quantùm ad Puritatem causatam à Fide; hoc testatur Paulus ad Titum. *Omnia munda mundis, infidelibus autem nihil est mundum.*

Ra-

Ratio est, quia Fides etiam mortua docet fœditatem peccati: purgat ignorantiam intellectus, & accendit voluntatem ad prosequutionem charitatis.

Quæres, an fides sit prior aliis virtutibus. Similes quæstiones brevitatis causa compendiosè hìc proponemus, quæ concernunt naturam fidei. Ad istam respondeo cum distinctione. Primò non est prior ordine dignitatis, juxta D. Paulum, *major autem est Charitas*. Secundò non est prior ordine temporis; quia parvulis baptizatis, immò & adultis recenter conversis communiter simul infunduntur virtutes. Tertiò, non est etiam prior natura propriè: quia non est propriè causa, nec dispositio absolutè requisita ad alias virtutes; aliæ enim possunt absolutè infundi sine illa. Quartò, asserendum est, fidem esse priorem Spe, & Charitate, inquantùm actus Fidei communiter requiritur ad actus aliarum virtutum: nam Fides ostendit finem supernaturalem, ad quem tendunt aliæ virtutes. Aliqui vocant hunc ordinem, ordinem naturæ, alii ordinem originis; sed quæstio est de nomine, & semper attendendæ sunt responsiones præcedentes.

Quæres, an fides sit unus specie habitus in homine, & Angelo. Resp. primò, actus Fidei esse multiplices specie in hominibus, & in Angelis; quia aliqui actus sunt assensus, & alii dissensus circa propositiones affirmativas, & negativas. Resp. secundò, habitum fidei esse unum specie in omnibus hominibus, ut probavimus in quæst. 3. Est etiam idem in homine, & Angelo; quia ratio formalis fidei est eadem in utroque, nempe revelatio divina, quæ est motivum, quare ho-

mo

mo & Angelus credant ea, quæ sunt à Deo revelata. Nec dicendum est, quòd habitus sint diversi, quando actus diversi sunt; hoc enim est falsum sicut enim eadem potentia potest elicere diversos actus, sic & idem habitus.

Quæres an habitus Fidei sit Practicus, vel Speculativus? Resp. primò, habitum Fidei tendere in aliquos actus Practicos; ut quando docet, Deum esse colendum, parentes diligendos virtutem præferendam vitio, & similes. Tendit etiam in alios, qui sunt Speculativi, ut quòd Deus sit trinus & unus, canem Tobiæ habuisse caudam, & initio mundi tenebras fuisse super faciem Abyssi. Respondeo tamen secundò cum Scoto qu. 4. Prologi, Fidem debere dici simpliciter practicam; quia ideò Deus infundit fidem, & revelavit omnia mysteria in Ordine ad praxim, id est, ut dirigeretur voluntas ad bonum faciendum, & malum fugiendum; & hoc est, quod dicitur communiter, fidem ex natura sua tendere ad beatitudinem.

Quæres, utrùm fides sit Discursiva. Discursus fit, quando ex cognitione unius propositionis fit transitus ad cognitionem alterius: ita ut si ambæ propositiones eodem actu cognoscantur, & una nata fit ducere in cognitionem alterius, tunc est discursus virtualis: si verò illæ veritates cognoscantur diversis actibus, & una cognitio inferatur ex alia, tunc est discursus formalis. Hoc posito, Resp. assensum Fidei posse esse Discursivum, si ille Discursus procedat à præmissis revelatis ad conclusionem revelatam, ut si dicatur. Quòd Deus dixit, verum est, sed Deus dixit, Christum esse Deum, ergo verum est Christum esse Deum. Hæc conclusio est vera de fide, quia nititur soli revelationi divinæ. Resp. 2.

Assen-

Assensum Fidei non esse Discursivum, si ille Discursus procedat ab una propositione non revelata ad aliam revelatam; ut cùm dicitur: Omnis homo habet voluntatem humanam, sed Christus est homo: Ergo habet voluntatem humanam. Conclusio, inquam, illa, quæ est Theologica, non est de Fide, quia non nititur absolutè divinæ revelationi. Resp. 3. Quòd assensus fidei Discursivus, in quo fit progressus ab una propositione revelata ad aliam revelatam, aliquando sit Formalis, & aliquando tantùm Virtualis. Est, inquam, Formalis, si sint distincti actus, ut si hodie credam, Deum esse veracem in dicendo, & crastina die credam aliquam propositionem, quam video in Scriptura. Est verò virtualis discursus, quando unico actu creditur revelatio, & res revelata.

Quæres, utrùm Fides sit certa, & certior omni scientia. Resp. 1. Fidem esse certã, quia nititur motivo certo, nempe Deo revelanti, qui nec falli, nec fallere potest: unde assensus dubius circa res à Deo revelatas hæresim sapit. An autem sit certior scientia Naturali, alii negant, affirmant alii: Unde utendo distinctione. Resp. 2. Fidem sumptam obiectivè esse certiorem quocumque habitu intellectus; quia cùm Fides habeat pro obiecto Deum summè veracem, magis repugnat objectum Fidei, & assensum ejus esse falsum, quam obiectum, seu motivum scientiæ; longè etiam superat veritas increata quamlibet veritatem creatam: unde ex Ambrosio lib. 1. Hexam. *Fidei simplicitas omnibus argumentis antecedit*. Resp. 3 Fidem subiectivè sumptam non esse scientia certiorem, minus enim firmiter adhæremus veritatibus Fidei, quam veritatibus naturaliter notis: unde Hugo

à San-

à sancto Victore lib. de Sacram. par. 2. cap. 10. dicit: *Fides est certitudo animi de rebus absentibus, infra scientiam supra opinionem constituta.* Hanc utramque responsionem aliis terminis, explicant aliqui Doctores, dum dicunt, fidem esse certiorem in se qualibet scientia, incertiorem quoad nos, qui non præbemus tam firmum assensum rebus creditis, quam visis, quia illæ sunt obscuræ, istæ evidentes; illis credimus liberè, istis necessariò.

Quæres, utrùm aliquis certò scire possit se habere fidem? Resp. affirmativè, modò sciat se esse baptizatum; qui enim scit certò se esse baptizatum, certò scit se habere habitum fidei, qui Baptismo confunditur etiam in pueris: dum autem aliquis semel habitum fidei recipit, certò scit se illam non amisisse, cùm sciat se non incidisse in peccatum infidelitatis, quo solo tollitur fides, & non alio, ut patet ex hoc, quod diximus *qu.* 3. statuentes in peccatore Fidem infusam reperiri, mortuam, tamen: ergo qui scit se esse baptizatum, scit se habere habitum Fidei, immò scit etiam se habere actum Fidei, quando credit mysteriis revelatis propter Deum revelantem, juxta D. August. 13. de Trin. cap. 1. *Fidem ipsam videt quisque esse in corde suo, si credit: vel non esse, si non credit.* Quod si Scotus in 3. Sent. dist. 13. qu. unica, dicere videatur, nullum posse scire se habere Fidem, loquitur de cognitione evidenti, quæ caulatur ab ipsa Fide, quod dici nequit: Fides enim est donum supernaturale, quod cognosci non potest nisi per revelationem: at Deus non revelavit huic, aut isti homini, an fidem habeat: licet certum sit, fidem esse in Ecclesia in communi; non negavit autem Scotus, Fidem posse cognosci arguitivè, mediante Baptismo, qui illam confert.

fert infallibiliter. Adde quod quicumque dubitare potest de validitate Baptismi: Unde dixi, fidem solùm posse cognosci certò, supposita certitudine Baptismi.

Quæres, utrùm fides possit esse major in uno, quam in alio? Hoc intelligitur tum de Fide habituali, tum de Actuali, tum de Implicita, tum de Explicita. Resp. 1. Fidem habitualem posse esse majorem in uno quam in alio intensive; quia habitus fidei, sicut & quilibet habitus supernaturalis augeri potest, quatenus augetur meritum, & sic etiam in eodem homine fides potest esse major, & minor. Resp. 2. Fidem actualem posse esse majorem intensivè in uno, quam in alio: si enim habitus sit major, actus etiam erit major intensivè, quia erit fortior, & promptior. Resp. tertiò, Fidem Actualem explicitam posse esse majorem adhuc: quia in uno homine potest extendi ad plura objecta, quam in alio, prout plures veritates cognoscuntur explicitè ab uno. Resp. 4. Fidem Actualem Implicitam non esse extensivè majorem; quia quilibet Fidelis debet credere omnia ministeria Fidei, saltem implicitè.

CAPUT II.

De objecto Fidei.

POstquam loquuti fuimus de Fide in se considerata, quæ est habitus intellectus, loquendum venit posteà de objecto, in quo tendit ille habitus, sed antea dicendum est, Fidem dividi in Catholicam, & privatam. Prima est ea, quæ nititur revelationi factæ omnibus, quæ dicitur Catholica, seu Universalis. Secunda nititur revelationi factæ alicui privato.

to. Fides in Verbum incarnatum, in Eucharistiam, & alia mysteria est Catholica, quia sufficienter hæc proposita sunt omnibus; quando verò Abrahæ revelatum fuit, quod haberet filium, Fides erat privata. Quia autem per accidens fit, quod una veritas proponatur omnibus, vel aliquibus tantùm, ideò istæ fides non differunt essentialiter, sed accidentaliter. Qui non crederet revelationi privatæ, esset quidem infidelis: quia Deo revelanti negaret assensum; non esset tamen hæreticus, quia non haberet pertinaciam voluntatis contra determinationem Ecclesiæ. Dividitur insuper Fides in Implicitam, & Explicitam; Implicita est ea, qua creditur aliquid non in se, sed in alio, in quo continetur; & sic illi, qui alràs credebant, Deum esse remuneratorem animarum, credebant implicitè animarum immortalitatem. Vel Fides Implicita est ea, qua aliquid tantùm in confuso creditur: quam fidem habent rustici de omnibus mysteriis, dum credunt, quidquid credit Ecclesia. Explicita est ea, qua aliquis distinctè, & expressè cognoscitur, ut Verbum Deum incarnatum esse.

QUÆSTIO PRIMA.

Quodnam sit objectum formale Fidei?

Fides, & actus fidei duplex habet objectum, nempè materiale, & formale. Materiale est propositio quæ creditur: Formale verò est ratio, propter quam creditur; & utrumque tradimus in definitione fidei. Dum enim diximus, fidem esse habitum, quo creduntur veritates revelatæ, hoc exprimi objectum materiale: dum verò additur propter

pter authoritatem Dei revelantis, exprimitur objectum formale. Nunc loquimur de objecto formali.

CONCLUSIO.

OBjectum formale fidei est Deus, quatenus est prima veritas revelans: ita quod Deus in quantum revelans, qui nec falli, nec fallere potest, sit objectum & motivum, seu ratio formalis, cur credamus. Ubi alii spectantes Deum, ut Deus est, dicunt eum esse objectum materiale fidei, & Deum ut revelantem, & summe veracem esse objectum formale. Nos verò majoris claritatis causa dicemus, veritates revelatas esse objectum materiale fidei, & Deum ut revelantem esse objectum formale.

Probatur conclusio: Illud est objectum formale fidei, propter quod credimus articulos fidei; sed propter Deum revelantem, qui nec falli, nec fallere potest, credimus articulos fidei: ergo Deus ut revelans est objectum formale fidei. Et hoc est conforme D. Paulo ad Galat. 4. *Notum vobis facio Evangelium, quia non est secundùm hominem, nec illud accepi ab homine: nec didici: sed per revelationem.* Ubi Apostolus pro ratione sui Evangelii credendi nil aliud assignat quam Deum revelantem. Dixi Deum non posse falli, propter suam summam sapientiam, quæ decipi non potest; nec fallere, propter summam bonitatem, quæ decipere nequit.

Obiic. 1. Revelationem posse competere scientiis naturalibus, quas Deus posset revelare, si vellet; ergo non esse rationem formalem Fidei. Resp. pro tunc illas cognitiones pertinere ad fidem, si crederentur solùm

pro.

propter authoritatem Dei revelantis. Deinde, illis scientiis revelatio esset tantùm accidentaria, quia possent haberi naturaliter; at cognitio nostrorum mysteriorum est essentialis, quia non possunt cognosci nisi per revelationem. Dices, D. revelatio non sufficit ad credendum, sed requiritur aliquid ex parte voluntatis; ergo non est objectum formale Fidei. Resp. illum actum voluntatis captivantem intellectum, esse quid veluti extrinsecum ad fidem, quæ formaliter & intrinsecè est actus intellectus.

Obiic. 2. Deum posse mentiri per se, & de facto mentitum esse, cùm prædixit ruinam Ninivitarum, mortem Ezechiæ. Resp. in hoc non mentitum fuisse Deum: quia hæc non prædixit absolutè, sed primò sub conditione, quod non agerent pœnitentiam, & secundò juxta cursum causarum naturalium. Quod autem Deus possit mentiri, patet: quia ubi est prima veritas, non potest esse mendacium; nam *omne mendacium ex veritate non est*, 1. Joan. 2. Deus autem est summè verax & in essendo, & in cognoscendo, & in dicendo: ergo mentiri non potest.

Obiic. 3. Deum mentitum fuisse per alios, quos fefellit, & in ore quorum posuit mendacium: Ezech. 24. *Ego Dominus decepi prophetam illum*. Et 3. Reg. 22. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum, qui hìc sunt*. Resp. Deum non posse etiam mentiri per alios; quia illos deciperet, & deceptio est contra Charitatem, & proinde mala per se: Dicendum ergo est, præcedentes textus intelligi permissivè, in quantum permisit illos decipi: non verò effectivè, & formaliter, quasi ipsos decerperit, aut infuderit in illis errorem. Hæc omnia sunt contra

Pri-

Priscillianistas, putantes Deum de facto mentiri; & contra Catholicos aliquos, asserentes ipsum mentiri posse, non de potentia ordinaria, sed absoluta.

QUÆSTIO II.

Quodnam sit objectum Materiale Fidei?

VUlgò Theologi distinguunt obiectum materiale Fidei in Complexum, & Incomplexum. Obiectum materiale Incomplexum est res, de qua aliquid creditur; ut Deus. Complexum verò est propositio, quæ creditur, ut cùm dicitur, Deus est trinus, est incarnatus, &c. Inter propositiones à Deo revelatas, aliæ sunt præcipuæ, & cardinales, quæ vocantur Articuli Fidei; aliæ sunt minus præcipuæ quæ dicuntur simpliciter Propositiones Fidei, non articuli Fidei.

CONCLUSIO.

OBjectum materiale fidei est omnis res à Deo revelata, quæ nobis credenda proponitur, sive illa res habeatur ex Scriptura, sive ex traditionibus, sive ex Conciliis, quæ omnia sunt regula fidei. Hæc propositio ex se patet, unde superest tantùm, ut quasdam dilucidemus difficultates, quæ suboriri possunt super tale obiectum.

Quæres primò, utrum obiectum materiale Fidei sit Complexum? Resp. si nomine obiecti intelligatur res ipsa, quæ creditur, quatenus extra intellectum existit, tunc obiectum est simplex, & incomplexum; quia nihil est aliud quam res ipsa credita, quæ simplex est; quoniam de ipsa non fit affirmatio,

aut

aut negatio: ut Deus, Verbum Dei, &c. Si verò nomine obiecti intelligitur Assensus, mediante quo, res cognita dicitur esse in cognoscentes, tunc obiectum est Complexum; ut quando in mente nostra concipimus Deum esse, Deum esse Trinum, Verbum esse Incarnatum, & postea assentimur talibus propositionibus, tunc obiectum fidei est Complexum; est enim tale obiectum quædam propositio, quæ affirmat, vel negat. Sic conciliandi sunt, Doctores, quorum aliqui dicunt obiectum esse Complexum, alii dicunt esse Simplex.

Quæres 2. an obiectum materiale sit fidei certum & infallibile? Jam de hoc locuti fuimus in additionibus quæstionis ultimæ cap. præcedenti; iterùm tamen Resp. veritates Fidei, quatenus substant revelationi D. esse infallibiles & certissimas, ob summam Dei veritatem in dicendo; unde nulla hæsitatio, aut fluctuatio in Fide admittenda est: Immò qui verè credit rationes omnes Fidei, contrarias respuere debet; unde in hoc Apostolus laudavit Abraham, quod crediderit suam uxorem esse parituram contra rationem naturalem, non considerans corpus suum emortuum, ut & uxoris suæ, cùm ferè esset centum annorum.

Quæres 3. utrum obiectum materiale fidei possit esse obiectum sensuum? Resp. obiectum Fidei non posse cadere sub sensibus: *Fides enim* ex 1. Hebr. *est rerum non apparentium;* & ex August. Tract. 40. in Joan. Fides est credere quod non vides. Ratio est, quia sola materialia sunt obiectum sensuum: obiectum verò Fidei est quid spirituale, & supernaturale, scilicet res revelata a Deo. Si dicatur, Fidem esse ex auditu, hoc verum est in ratione signi, in quantùm per ver-

verba, & per prædicationem proponitur res credenda : non verò in ratione objecti . Si dictum fuerit D. Thomæ, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*: hoc sic dictum est, quia Thomas aliud vidit, aliud credidit : vidit hominem, & credidit Deum.

Quæres 4. utrùm objectum fidei possit esse objectum scientiæ ? Resp. negativè, quia scientia est de apparentibus, & evidentibus . Fides autem de iis, quæ non apparent, juxta D. Gregorium Homil. 29. in Evangelia. *Fides illarum rerum est, quæ apparere non possunt*; quæ autem apparent, jam non fidem, sed cognitionem habent. Deinde Fides per se includit obscuritatem, & scientiæ evidentiam postulat. Tandem Scientia nititur rationi naturali, & Fides revelationi divinæ. Nihil prohibet tamen, idem objectum posse aliquando cognosci per Fidem, & per Scientiam diversis mediis; sed ille actus non erit simul scientificus, & actus Fidei, hoc enim non potest esse per rationes allatas; sed erit scientifica cognitio, si habeatur per lumen naturale ; & fidei, si habeatur per lumen fidei Hoc patet in hac propositione, *Deus est*, quæ modò ad fidem spectat, ut ait D. Paulus 11. Heb. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*; & modo ad scientiam, quoniam à Philosophis multis rationibus existentia Dei comprobatur.

Quæres 5. utrùm objectum Fidei sit evidens ? Hæc responsio patet, non esse evidens, sed obscurum. Resp. tamen quòd licèt objectum Fidei non sit evidens per se, & in se : potest tamen esse evidens in attestante: cùm enim evidenter cognoscamus, Deum esse veracem in dicendo, evidenter cognoscimus, ea, quæ revelavit esse vera : Si er-

go Deus vellet ostendere, se revelasse mysteria nostra, pro tunc illa mysteria essent evidentia in attestante: idest evidens esset ea, quæ testatur, esse vera: quia evidens nobis est, Deum non posse falsum testari. An autem supposita evidentia Dei attestantis aliquam propositionem, haberetur Fides de illa, quæstio est de nomine: Si enim per fidem intelligatur cognitio undequaque obscura, pro tunc non erit Fides. Si autem intelligatur per Fidem, cognitio rei obscuræ in se, licèt evidentis in attestante, illa cognitio erit Fidei. Et hoc non immeritò dicitur: B. Virgo enim, Moyses & Prophetæ habuerunt illam evidentiam in attestante, in quibus tamen non est neganda Fides.

QUÆSTIO III.

Utrùm dentur aliqua motiva, quæ reddant objectum Fidei aliquo modo credibile evidenter?

QUòd Fides nostra non sit de veritatibus, quæ sunt evidenter credibiles, & convincant intellectum, ut illis assentiatur, satis patet ex difficultate, quam sentit humana ratio in tali assensu. Non quærimus ergo, utrum dentur motiva, quæ evidenter reddant veritates Fidei in particulari credibiles, sed tantum petimus, utrum dentur aliqua motiva, quæ reddant Fidem Christianam, & Catholicam (quæ est Romana) saltem credibile in communi.

CONCLUSIO.

FIdes Catholica habet aliquam rationem credibilitatis in communi, quæ aliquo modo est evidens, juxta Psalm. 92. *Testimonia*

nia tua credibilia facta sunt nimis. Cuius ratio petitur ex diversis solidis argumentis, quorum aliqua movent Judæos, ut Christiani fiant, de quibus loquuntur Lactantius, Justinus Martyr, Tertullianus, Chrysostomus, & alii, & quæ hic recensere prolixius esset: Alia movent Catholicos, ut in sua Fide permaneant: Alia denique persuadent Hæreticis, ut ad fidem Catholicam redeant. Horum omnium aliqua breviter recensenda sunt.

Primum argumentum, quo probatur, fidem Christianam esse credibilem, desumitur à multitudine, & authoritate illorum, qui eam amplexati sunt. Sic enim dicit Aristotel. 1. Eth. 20. *Quod universis videtur, nos tale dixerimus*, nonne fides adhibenda est Religioni Christianæ, quam omnes penes gentes, & innumerabiles viri libenter receperant, quorum alii summa authoritate, summo ingenio & doctrina, alii denique summa virtute præditi fuere? Augustinus ait: *Tenet me in Ecclesia consensus populorum, atque gentium, tenet authoritas miraculorum inchoata, &c.* Si ergo Augustinus, quem pauci Patres præcesserunt, hac ratione motus fuerit, nos ipsi, qui & Augustinum, & prædecessores Augustini, & quotquot ipsum sequuti sunt habemus, nonne ex tanta virorum scientia, & virtute illustrium authoritate, de veritate Religionis convincemur, quam libenter receperunt, & veluti per manus tradiderunt?

Secundum argumentum petitur ex qualitate illorum, qui religionem nostram à Christo institutam plantaverunt, qui fuerunt paucissimi viri, non potentes, non sapientes, non eloquentes, sed illiterati, rudes, & plebeii, qui non in humanæ sapientiæ verbis, nec ar-

morum impetu, nec divitiarum larga effusione, sed in paupertate, & humilitate subtilissimos Philosophos confuderunt, clarissimos Senatores devicerunt, debellarunt mirabiliter potentissimos orbis Principes, quos ad fidem Crucifixi converterunt, qui anteà erat Gentibus stultitia, & Judæis scandalum; ipsis absolutè præcipientes odium sui, dilectionem inimici, deliciarum fugam, æternarum perquisitionem, & cætera hujusmodi; quæ omnia fuissent prorsus imperfuasibilia, si Deus illorum prædicationi favere non voluisset: quod profectò veritatem Evangelii, & Religionis Christianæ demonstrat.

Tertium argumentum hauritur ex miraculis factis in confirmationem doctrinæ Christi, Matth. enim 11. Christus volens probare se esse Messiam, & suam doctrinam mereri, ut reciperetur, multa miracula edidit coram Discipulis Joannis, dicens posteà: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis: cæci vident, claudi ambulant: surdi audiunt, &c.*

Quartum argumentum petitur ex sana doctrina existente apud Christianos, quæ sanctissima est: Nam etiamsi in Ecclesia Romana plerique existant, & semper extiterint pravis, & corruptis moribus, attamen ex Ps. 11. *Eloquia Domini, eloquia casta*, Et Ps. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas.* Immò Religio Christiana pœnas acerbissimas proponit vitio, & mercedem eximiam virtuti.

Quintum argumentem desumptum à constantia numeri pene infiniti Martyrum, qui crudelissima tormenta passi sunt, & mortem acerbissimam, in confirmationem Fidei Romanæ: inter quos tenerrimæ ætatis juvenculæ tortorum, & tyrannorum deriserunt ferocitatem: quod sanè impossibile fuisset,

nisi

nisi Deus ipsarum debilitatem corroborasset potentissimis gratiæ auxiliis, & hoc, ut confirmaretur religionis veritas.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit regula Fidei.

CUm Fides formaliter sumpta nitatur revelationi divinæ, ipsa revelatio nobis innotescere debeat; hìc quærimus à quo nobis proponenda sit illa revelatio, seu res revelata, quæ est objectum materiale fidei. Anabaptistarum aliqui (qui propter hoc illuminati dicti sunt) nullam scripturam admittebant, sed fingebant, aut Spiritum sanctum, aut Angelum sibi apparere, à quo omnia credenda discerent. Lutherani, & Calvinistæ solam Scripturam pro regula fidei admittunt, quam privato judicio interpretari audent; unde suas opiniones pro dogmatibus fidei assumunt: cùm ergo illorum opiniones sint particulares, illorum etiam fides est privata, & non Catholica: Ex quo oritur tanta credendi varietas inter hæreticos, ut vix duo illorum inter se consentiant in omnibus credendis, licèt omnes in expugnanda Catholicorum fide conveniant.

CONCLUSIO.

SCriptura sacra non est sufficiens regula fidei: contra Lutherum in cap. 1. ad Galat. & Calvinum lib. 4. Instit. cap. 8.

Probatur primò ex Scripturæ obscuritate. Regula fidei debet esse perspicua, ita ut omnes illam congnoscant: aliàs fides, quæ

est ignota, per ignotum regularetur: Sed Scriptura sacra est obscura: ergo non potest esse regula fidei. Probatur minor ex 2. Petri 3. *Quædam sunt in Epistolis D Pauli difficilia intellectu, quæ indocti homines, & instabiles, sicut & cæteras scripturas, depravant ad suam ipsorum perditionem.* Ex quo patet, Epist. D. Pauli (maximè ad Roman.) sicut & cæteras Scripturas nec esse Sole clariores, ut volunt hæretici, nec tantam perspicuitatem habere, ut Sartores, Sutores, Rustici, & Mulierculæ illas de facili, & sine ulla explicatione intelligere valeant. Nec dicant hæretici hoc intelligi de profundioribus fidei quæstionibus, quarum cognitio non est necessaria ad salutem; nam quid magis necessarium, quam cognitio Baptismi? Attamen quando dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, quærunt diversas explicationes, ut aqua possit intelligi figuratè pro gratia, nec debeat esse aqua elementaris; unde alii dicunt, fidem parentum sufficere infantulis; alii dicunt, quemlibet liquorem sufficere, ex quo fieri possit balneum. Quid etiam plus necessarium est, quam Sacramentum Eucharistiæ, de quo Joan. 6. habetur: *Nisi manducaveritis, &c.* Tamen hæc verba esse obscura ostendunt hæretici, dum dicunt illa intelligi de manducatione per fidem. Maneat ergo quod Scriptura obscura sit, & proinde non possit esse regula fidei, nisi explicetur ab Ecclesia.

Probatur 2. Quia regula fidei debet esse certa, ita ut non acceptetur una regula pro alia; sed potest oriri dubium super Scripturam ipsam, an secundum se totam, vel secundùm partes revelata sit à Deo, quæ dubitatio non potest tolli per Scripturam; ergo Scriptura non est sufficiens regula fidei, aliàs

non

non esset controversia inter nos, & hæreticos, quinam libri essent canonici, & qui non. Calvinus lib. 1. Instit. cap. 7. §. 2. respondet, Scripturam canonicam à non canonica per se ipsam dignosci, discerniquè posse sicut album à nigro, frigidum à calido, & dulce ab amaro. Sed si hoc ita sit, quorsùm tanta disputatio de librorum canonicorum numero, nedum inter Calvinum & nos, sed inter Calvinum & Lutherum, quem Lutherum vocat Calvinum nobilem Christi apostolum, & purioris Evangelii ministrum lib. 2. contra Vuestphalum, & lib. de necessitate Ecclesiæ reformandæ: Attamen Lutherus epist. B. Jacobi, primam D. Petri, & Apocalypsim Joannis rejicit; approbat verò Calvinus.

Probatur tertiò, quia si Sac. Scriptura esset sufficiens regula Fidei, omnia credenda, & facienda doceret, quod falsum est. Ubi enim docet Scriptura mutandum esse sabbatum in diem Dominica? Ubi permittit manducare animal suffocatum, & sanguinem, quòd utrumque prohibitum est. Act. 25. Ubinam Scriptura habetur, parvulos esse baptizandos necessariò? Baptismum esse validè collatum ab Hæreticis: Judæis, immò & mulieribus ipsummet baptismum nullo modo esse iterandum? Certè, cùm Scriptura non tradat sufficienter, Patrem divinum esse Ingenitum, Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, ejus productionem non esse Generationem, & similia, quæ ad fidem spectant, sanè dicendum est, Scripturam solam non esse sufficientem Fidei regulam.

Obiic. 1. id quod habetur Joan. 5. *Scrutamini scripturas*, quasi in illis omnis difficultatis solutio reperiatur. Resp. præmissis aliis

solutionibus, hoc verbum *Scrutamini*, non esse imperativi modi, quasi Deus præcipiat lecturam Scripturæ, sed indicativi: quasi dicat: Vos scrutamini Scripturas, sed illæ de me testimonium perhibent. Si habeatur Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*: hoc intelligitur, modò accedat priùs Ecclesiæ explicatio. Si dicat Chrys. Homil. in 2. ad Thessal. *quæcumq; necessaria sunt ad salutem, esse perspicua in Scriptura*: hoc est exposita explicatione Ecclesiæ, non verò sine illa. Si habeatur 1. Joann. 2. *Non necesse habetis, ut aliquis vos doceat, sed unctio docebit vos de omnibus*: ibi Apostolus alloquitur tantùm Baptizatos, qui erant satis imbuti per prædicationem Evangelii, & aliis Doctoribus non indigebant. Dices obscuritas esset imperfectio in scriptura: Negatur, sed hoc innuit ipsius altitudinem, & ostendit nostram imbecillitatem, ac humilitatem, quæ inducit, ut recurramus ad Ecclesiam, quam libenter audire debemus, ipsiusque determinationi acquiescere.

QUÆSTIO V.

Utrùm Traditiones admittendæ sint pro regula fidei.

TRaditionem asserere tanquam regulam Fidei præcisam, ridiculum esset; pro hoc hac enim regula à fidei Scripturam arceremus, quod nullus cogitabit; sed utrum admittendæ sint Traditiones de quibus aliqua credenda servantur ab Ecclesia? Negant Hæretici, & affirmant Catholici, ut jam patuit ex præcedenti quæstione, ubi ostendimus, Scripturam non exprimere omnia, & singula,

singula, quæ sunt de necessitate fidei. Plura sumus dicturi de traditionibus initio tractatus de Conciliis.

CONCLUSIO.

TRaditiones quædam admittendæ sunt, ad quas recurrere debemus, tamquam ad partialem regulam fidei. Quod intelligendum est, non de Ecclesiasticis, sed de divinis, & Apostolicis, quæ parem, vim habent, ac Scriptura S. sicut enim mandatum Principis æquale est, dum voce profertur, & dum scripto mandatur: sic & verbum Dei, sive sit scriptum, sive non scriptum, sed tantùm ab Apostolis traditum nobis continua successione. Quod autem Traditio Apostolica sit verbum Dei, constat; quia, sicut id quod scripserunt Apostoli, erat verbum Dei, quia à Deo inspiratum fuerat; sic & doctrina, quam tradiderunt Apostoli viva voce, dicenda est verbum Dei, quoniam Deus eam revelavit illis.

Conclusio nostra habetur ex Concil. Trident. Sess. 4. in decreto de Canonicis Censuris, ubi præter Scripturam admittuntur Traditiones. Sic D. Paulus 1. Corint. 2. *Laudo autem vos, fratres, quia per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea, tenetis*: Ubi eloquitur de præceptis, quæ dederat Corinthiis verba, antequam illis scriberet: erat enim prima Epistola. Dicit etiam 2. ad Thessal. 1. *Itaque, fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per Epistolam nostram*. Act. 15. *Beatus Paulus, Sila comite, præambulabat Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesiam, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum*. Illa autem præcepta non

erant scripta, sed voce edocebantur.

Probatur 2. ex Patribus. Epiphanius de hæresi, *Oportet autem & traditione uti: non enim omnia a Divina Scriptura possunt accipi. Quapropter aliqua in scriptis traditione S. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dixit S. Apostolus: Sicut tradidi vobis.* Chrysost. in cap. ad Thess. ubi habetur: *Tenete traditiones*, ait: *Hinc patet, quòd non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine litteris; eadem verò fide digna sunt tam ista, quam illa.* Basil. in lib. de Spiritu Sancto sic scribit: *Dogmata, quæ in Ecclesia servantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim Apostolorum traditione ad nos delata recepimus.* Origenes in cap. 6. epist. ad Roman. *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis baptismum dare.* Augustl. lib. 10. de Genesi ad litteram, c. 23. *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, omninò nec credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Traditioni ergo credendum est.

Confirmatur eadem conclusio ex hoc, quòd omnia ad fidem pertinentia non contineantur in Scriptura. In quo enim loco Scripturæ habetur, Scripturam veteris & novi Testamenti esse verbum Dei? quod tota Sacra Scriptura ad nos pura, & integra pervenerit? quodque habeamus legitimum ejus sensum? Unde hæc omnia à nobis creduntur, nisi quia docentur ex Traditione Apostolica? Deinde, ubinam Scripturæ habetur, Symbolum Fidei esse Catholicum & Apostolicum? Sabbatum mutari debere in diem Dominicam? Aquam esse commiscendam vino ad exemplum Christi in sacrificio Missæ? Baptismum non esse reiterandum? Baptizatos ab hæreticis non rebaptizandos? Frontem

signa-

signari debere signo crucis? In Baptismo debere dici: *Ego te baptizo, &c.* quod in Scriptura non reperitur, sed tantùm præceptum baptizandi in nomine Patris, &c. sicut præceptum petendi in nomine Christi. Licèt autem dicat Christus: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, non vult tamen ut dicamus: *Peto in nomine Christi*. Sic licet præcipiat baptizare in nomine Patris &c. non jubet tamen expressè, ut dicatur, *Ego te baptizo in nomine, &c.* Hæc ergo forma Baptismi, quæ non est expressè in Scriptura, unde nam habetur, nisi ex traditione Apostolica, quæ proinde meritò admittenda est?

Obiic. 1: ex ad Galat. 8. *Licet non aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquamquod evangelizo vobis, anathema sit*. Resp. hoc non eludere vim Traditionum, quia non sunt præter, neque contra id, quod docuit Paulus, quoniam ipsemet Traditiones admittit, dum dicit: *Tenete traditiones nostras*, 2. ad Thess. 1. 2. Deinde per hoc instituit Paulus Galatas, ut non crederent falsis quibusdam Apostolis, qui ipsos volebant divertere à doctrina, quam illis antea tradiderat, quod scilicet Cæremoniæ Mosaycæ erant abrogatæ, & neminen posse justificari per illas, sed tantum per Fidem Christi. Illi autem falsi Apostoli Galàtis persuadere volebant cum illa Fide in Christum jungendam esse necessariò Circumcisionem. Ad alios textus quos allegant hæretici, v. 6. Deuter. 12: *Quod tibi præcipio, hoc tantùm facito, nec addas quicquam, nec minuas*: hoc non intelligitur de traditionibus, sed loquitur Deus de præcepto cæremonialis sacrificii, in cujus cæremoniis Deus vult nihil addi de execrationibus, quæ fie-

bant in ſacrificiis idolorum ; Hoc liquet ex verbis antecedentibus. Quando etiam dicunt ex Deuter. 4. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ab eo*: ex hoc non ſequitur quòd nihil addendum ſit verbo ſcripto, aliàs immeritò dixiſſet Paulus ; *Tenete traditiones noſtras* ; ſed ex hoc textu, qui intelligitur de præceptis Ceremonialibus, & judicialibus datis Genti Judaicæ, ſequitur, quòd illis nihil addendum ſit aut detrahendum. ut uno verbo fiat ſatis ſimilibus textibus, nihil addendum eſt Scripturæ ; quod illi ſit contrarium, concedo : quod ſit magis explicativum eorum, quæ non expreſsè commemorat, nego.

Obiic. ex Matth. 15. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*. Reſp. ibi Matthæum non loqui de traditionibus novi Teſtamenti, ſed veteris: non adhuc de Moſaicis, quæ erant legitimæ, ſed de Phariſaicis, quarum aliquæ erant bonæ in ſuo genere, aliæ indifferentes: ſed omnes vituperabantur à Chriſto, & Apoſtolis, quia illa obſervabant ob vanam gloriam, & per hypocriſim: unde vocantur hypocritæ, & ſepulchra dealbata. De illis traditionibus agetur in tract. de Conciliis. Quoad Paulum ad Coloſſ. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & traditionem hominum* : nil contra nos, qui agimus tantùm de Traditione D. inſpirata Apoſtolis. Petrus dicens: *Redempti eſtis de paterna traditione*, loquitur ut ſuprà. Auguſtinus clamans, alios libros, præter Canonicos, non eſſe fide dignos : hoc dicit non per comparationem ad Traditiones, ſed ad humanos authores. Si videatur dicere idem Auguſtinus extra Scripturam, nullam veritatem Catholicam inveniri, ibi latè ſumit

Scri-

Scripturam pro omni revelatione, quæ recipitur ab Ecclesia, sive illa scripta sit, sive non, sed solo verbo tradita. Si denique dicatur in veteri Testamento, nullas fuisse veritates præter conscriptas. Respondetur, multas fuisse ex ore Prophetarum, & antiquorum Patrum ab avis ad nepotes devolutas sine scripto, quas traditiones Hebraicè vocabant *Cabalam*, & Latinè *Receptionem*: quia juniores illas recipiebant à majoribus.

QUÆSTIO VI.

Utrum Ecclesia sit regula Fidei.

OBjectum materiale nostræ Fidei, de quo loquimur in Præsenti cap. seu veritates credendæ, non possunt securè credi, nec infallibiliter, nisi ad credendum nobis legitimè proponantur. Hæretici, ut jam diximus, Scripturam solam, sine Traditionibus, & determinatione Ecclesiam Normam, & Judicem faciunt. Jam vidimus Scripturam non sufficere in penultima quæstione, præcedenti stabilivimus necessitatem Traditionum hìc statuendum est, quòd Ecclesia sit regula difficultatum oriundarum, & circa Scripturam, & circa Traditiones.

CONCLUSIO.

VEra regula fidei nostræ est Ecclesia, quæ nobis credenda proponit infallibiler. An autem hoc intelligatur de illa, ut congregata est in Consilio universali, nec ne; hoc ad tractatum de Conciliis pertinet, & utraque opinio discutietur.

Nostra assertio patet ex dictis: cum enim re-

gula

gula fidei non sit Scriptura sola, nec etiam Scriptura cum Traditione, quandoquidem ad Ecclesiam pertinet judicare de Traditionibus, an sint Apostolicæ, vel tantùm Ecclesiasticæ; remanet dicendum, quod Ecclesia sit regula Fidei, & quod ad illam, tanquam ad judicem pronunciare super controversias fidei pertineat; quod facit vel juxta Scripturam, cujus sensum aperit, vel juxta Traditiones, quas declarat esse Canonicas. Hoc est conforme D. Paulo ad Eph. 4. *Christus ascendens in cœlum, dedit dona hominibus; & alios constituit in Ecclesia Prophetas, alios Doctores & Pastores ad consummationem Sanctorum, ut non simus sicut parvuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ.* Multos tales contextus Scripturæ adhibere possem, utpote Matth. 18. *Qui non audierit Ecclesiam, sit tanquam Ethnicus & Publicanus*, & similes; sed istæ præ cæteris sufficientes videntur, ni fallor.

Stant omnes Patres Orthodoxi ab hac opinione, & tam unanimiter pronunciant pro Ecclesia, ut aliquos enumerare non deceat. Hoc confirmat perpetua Ecclesiæ praxis, dum videmus hæreticos damnatos fuisse vel à Summis Pontificibus, vel à Conciliis, utpote Arius in Concil. Nicæno I. Macedonius in Constantinopol. II. Nestorius in Ephesino, Eutiches in Chalcedonensi, & (ut alios omittam) Lutherus & Calvinus in Tridentino. Corroboratur denique nostra conclusio ex usu veteris Testamenti, ubi controversiæ super legem ortæ, saltem majores, à summo Pontifice dirimebantur, & non à Scriptura. A summo Pontifice (inquam) definitiones emanabant, quibus sub pœna mortis obedientia debebatur.

Obii-

Objiciunt primi hæretici, Deum in Veteri Testamento remittere dubitantes de fide *ad legem magis, & ad testimonium*. Isai. 8. non ad Pontificem, nisi pro legalibus. Resp. ibi agi contra illos, qui in futuris eventibus solebant consulere Pythonissas, & Ariolos, quos Deus remittebat *ad legem*, quæ id prohibebat Deuteron. 18. & ad testimonium Prophetarum, qui à Deo constituti erant, ut prædicerent futura; ita quod magis recurrendum esse ad legem, & Prophetas, quàm ad Ariolos. Quando autem dicitur, Pontificem judicare tantùm de legalibus, hoc fallum est: quia, quando dubitatum fuit an Messias natus esset tempore Herodis, (quæ quæstio erat de fide) *Rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo; & congregans omnes Principes Sacerdotum, diligenter scisitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur? At illi dixerunt: In Bethleem Juda, &c.* Matth. 2. Deinde sciendum est, quòd apud Judæos erant duo tribunalia, unum minus in qualibet urbe, compositum ex viginti tribus personis, Deuteronom. 16. & 2. Paralip. 19. in quo faciliores controversiæ judicabantur; & aliud majus, vocatum *Sanedrin* existens in Jerusalem, quod dirimebat majores difficultates, quæ oriebantur ex lege Decalogi, vel ex mandatis alii moralibus, vel ex præceptis cæremonialibus ad Divinum cultum spectantibus, vel denique ex præceptis cæremonialibus, externam pacem & justitiam conservantibus, sicut fertur 2. Paralip. 19. ubi præceptum est, quod omnes causæ, sive essent *de lege, de mandato, de caremoniis, & de justificationibus* judicarentur à Pontifice cum septuaginta Personis, ex quibus *Sanedrin* componebatur.

Obiic. 2. Joann. 5. Christum remittere ad

Scri-

Scripturam, dum dicit, *Scrutamini Scripturas*, Jam respondi in solut. Object. 1. quæst. 4. hoc non dici imperativo, sed indicativo modo, ut videre est in textu: Quasi dicat Christus; *Vos scrutamini Scripturas*; sed illæ de me testimonium perhibent. Hoc confirmatur usu Ecclesiæ à tempore Apostolorum, quo orta est controversia, an novi Christiani recipientes Evangelium, deberent adhuc circumcidi, & servare Legalia. Judæi recenter conversi volebant, quòd Gentiles non possent salvari per Fidem Christi, nisi anteà circumciderentur; Paulus & Barnabas asserebant, hoc non esse necessarium. Ad tollendam difficultatem ex utraque parte, profecti sunt aliqui Jerosolymam ad Apostolos, qui inito Concilio, ore Petri pronunciarunt; Circumcisionem non esse necessariam, nec Legalia. Similiter post tempora Apostolorum controversiæ ortæ decisæ fuerunt authoritate Summi Pontificis, vel Conciliorum; utpotè, quando multi ex Asia Pascha cum Judæis celebrare voluerunt decima quarta die mensis Martii, qui propterea Quartuordecimani dicti sunt, ubi alii volebant celebrari Dominica die sequenti, ut nunc fit: pronunciatum fuit in favorem istorum per Victorem Summum Pontificem ann. 108. Ex quibus patet. Judicem, & Regulam non esse Scripturam præcisè, sed Ecclesiam per Summum Pontificem, vel per Concilia.

Objiciunt 3. regulam Fidei debere esse infallibilem, cùm ipsa sit infallibilis; Ecclesia autem non est talis, cùm sit collectio hominum, quorum quilibet est mendax ex Davide. Resp. omnes homines esse mendaces, quando agunt de privato judicio, non verò quatenus à Spiritu S. diriguntur ad instruc-

ctionem aliorum, quales fuerunt Moyses cum Senatu seniorum Num. 11. Pontifices, qui eum sequuti sunt, Deuteron. Prophetæ, Jerem. 1. Apostoli Joan. 15. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui vos docebit omnem veritatem*: Talis denique est Ecclesia, quæ 1. Timoth. dicitur columna, & firmamentum veritatis, & de qua etiam Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversùm eam*. Plura sumus de hac materia dicturi in tract. de Ecclesia, & Conciliis.

Quæres; quænam sit resolutio Fidei? Resolutio fidei nil aliud est, quàm reductio actus fidei ad id, quòd movet intellectum ultimò ad assensum fidei. Respondeo ergo, Fidem resolvi in veritatem Dei. Si enim quæratur, quare credimus Verbum Dei incarnatum fuisse? Respondetur, quia Deus hoc revelavit vel per Scripturam, vel per Ecclesiam. Si petatur ulteriùs, Quare credis Deo revelanti? dicetur, quia est summè verax. Si autem petatur insuper, Cur credis Deo summè Veraci? ridicula erit hæc quæstio: eo enim ipso quòd aliquis est summè Verax, ipsi credendum est: Fides ergo resolvitur in veracitatem Dei formaliter, & effectivè in Deum, & in habitum Fidei, quia actus Fidei ab utroq; elicitur.

QUÆSTIO VII.

De Symbolo Fidei.

EA, quæ diximus hucusque in hoc Capite, respiciunt in universum objectum materiale Fidei, sub quo continentur omnes veritates revelatæ, quæ nobis credendæ proponuntur: Sed quia inter illas aliæ sunt majores mo-

momenti, quæ continentur in Symbolo, ideò de illo aliqua nobis dicenda sunt brevissimè.

Dico primò, nomen Symboli significare *Notam*: Ita quòd, quòd sicut in castris milites habent quamdam notam, & tesseram militarem, qua hostes à sociis discernuntur; sic apud Fideles est nota quædam, qua distinguuntur ipsi ab infidelibus, quæ nihil est aliud quàm professio veritatum Religionis Christianæ, quæ continentur in Symbolo. Nomen Symboli significat etiam *collationem*: in quantùm componitur ex sententiis inter Apostolos collatis, & examinatis, antequam ad prædicationem Evangelii progrederentur, sive singuli Apostoli singulas sententias contulerint, sive omnes unanimiter, & collectivè omnes illos articulos in Symbolum redegerint. Augustinus Serm. 115. affirmat, singulos Apostolos singulos articulos confeciſſe, & nominatim cuilibet illorum unum articulum assignat; sicut & D. Leo Epist. 13. ad Pulcheriam. De hoc tamen dubitant alii, licèt omnes fateantur ex Tradit. ipsum esse ab Apostolis.

Dico secundò triplex statui communiter Symbolum Apostolorum, ita dictum; quia ipsum composuerunt Apostoli. Cùm enim illi post Spiritus S. missionem accepissent mandatum eundi in universum mundum prædicandi Evangelii causa, quamdam formulam Christianæ Fidei composuerunt, ut idem omnes sentirent, & proponerent illis, quos ad unitatem Fidei vocaturi erant; Cujus Symboli partes vocantur Articuli, quia sunt veluti artus, & membra, quibus Symbolum constat. Secundum Symbolum est Nicænum, quod in Missa solemni decantatur, & quod dicitur Ni-

ce-

cenum; quia inchoatum est à Patribus Concilii Nicæni contra Arianos negantes divinitatem Filii; Auctum verò in Concilio Constantinopolitano contra Macedonianos, qui negabant divinitatem Spiritus S., & finitum in Concilio Florentino, ubi Græci cum Latinis convenerunt de Spiritus S. processione ex Patre, & Filio. Tertium denique fuit Symbolum D. Athanasii, de quo loquens D. Gregorius Nazianz. Orat. de Laudibus Athanasii, ait, *Ipsum esse perfectissimam Fidei confessionem, quam totus Oriens, & Occidens veneratur.* Hoc Symbolum non habet infallibilem veritatem, ut editum ab Athanasio, sed ut receptum ab Ecclesia, quæ illud ut orthodoxum amplectitur.

Dico tertiò, Symbolum Apostolorum maximæ esse utilitatis. Primò, ut esset ubique Fidei uniformitas apud omnes Gentes; sic S. Irenæus lib. 1. cap. 5. Secundò, ut sublevaretur rusticorum imbecillitas, qui cùm non possint Scripturas legere, in qua videant ea, quæ sunt illis credenda, maximam facilitatem reperiunt in illo Symbolo, in quo paucis verbis omnia credenda constringuntur. Sic Augustin. l. de fide, & Symbolo cap. 1. & Cyrillus Jerosolymitanus. Tertiò, ut adhibeatur cautela contra Hæreticos, qui cum facilè fidem corrumpant, utilissimum est, certam credendi formulam habere; sic adhuc Augustinus loco cit. Quantum ad Articulorum numerum, alii statuunt quatuordecim, quia dividunt Articulos Conceptionis & Nativitatis Christi, & Articulos de descensu ad inferos, & de resurrectione: Communior tamen est modus illorum, qui conformiter Catechismo Concilii Tridentini, & Augustin. Serm. 115. *de Tempore*, numerant

rant tantùm duodecim articulos, & addunt, *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, *Sanctorum Communionem*.

Dico quartò, Symbolum non continere explicitè omnia credenda: benè autem implicitè. Primum patet oculis; nullam enim facit mentionem de Sacramentis, de Eucharistia, de invocatione Sanctorum, de Purgatorio, de Indulgentiis, &c. quia si de omnibus his, & similibus loqueretur, non esset propriè Symbolum, seu Compendium Fidei, nec infirmorum juvaret memoriam. Quoad secundum, patet ex eo, quòd Symbolum Apostolorum continet Articulos, qui sunt fundamenta, & generalia Fidei nostræ principia, ex quibus principiis aliæ veritates elici possunt; v. gr. omnia, quæ citata sunt, reducuntur ad Articulum, quo credimus sanctam Ecclesiam; credendo enim Ecclesiæ, credere oportet Indulgentias, Purgatorium, & similia, quæ Ecclesia tanquam orthodoxa determinavit.

Dico quintò, quantùm ad illam quæstionem quæ hic proponi solet, an omnia, quæ nunc creduntur, fuerint semper credita in Ecclesia Dei? Resp. primò, omnia quæ nunc creduntur explicitè, fuisse semper credita implicitè, quia semper in Ecclesia duo credi debuerunt de Deo, nimirum quòd Deus sit, & omnium rerum curam, & providentiam habeat, juxta illud ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd sit remunerator*. In primo horum includuntur omnia, quæ dicuntur de Deo *ad intra*; & in secundo involvuntur ea, quæ concernunt Creationem, Conservationem, Justificationem, Glorificationem, & omnia *ad extra*; ergo omnia quæ creduntur nunc explicitè, fuerunt semper credita implicitè. Resp. 2. quòd omnia,

nia, quæ nunc creduntur explicitè, non semper explicitè credita fuerunt; Fides enim paulatim cœpit fieri illustrior, & nunc multa credimus explicitè, quia determinata sunt ab Ecclesia, quæ anteà solùm implicitè credebantur; quia super illa nondum determinationem tulerat: Immò Judæi multa tantùm credebant de Christo implicitè, quæ Christiani explicitè crediderunt, juxta Paulum ad Ephes. 5. *In prioribus generationibus mysterium Christi non est agnitum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis, & Prophetis*. Hanc quæstionem proponunt alii sub his verbis, an articuli Fidei creverint aliquando? Cui respondent, crevisse secundùm modum, non secundùm substantiam, sed hæc omnia coincidunt.

Dico sextò, veritates Fidei perfectius cognitas fuisse ab Apostolis, & ab illis, qui proximè Apostolis successerunt, quàm à posterioribus. Quod hoc verum sit de Apostolis, colligitur ex Joan. 24. *Paraclitus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Et 36. *Cùm venerit ille Spiritus Sanctus, docebit vos omnem veritatem*. Ratio est, quia Christus constituit Apostolos tanquam universales Magistros, qui credenda proponerent, ex Marci ultimo, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Ergo perfectissimè omnia cognoscere debuerunt. Quoad alios, qui Apostolis successerunt; de facili probatur; quia fides auditione percipitur, & sic Patres Apostolis succedentes facilius, & imperfectius cognitionem Fidei acceperunt, & hæc omnia contra Abbatem Joachinum D. Benedicti Monachum, asserentem, Articulos Fidei perfectiùs nunc intelligi, & prædicari, quàm tempore Apostolorum; in quantùm (inquit) ab Adamo ad

Chri-

Christum lex tantùm carnalis data est, à Christo lata est lex spiritualis, carnaliter ab Apostolis intellecta, cujus sensum spiritualem obtinuit D. Benedictus. Si dicatur contra nostram resolutionem, Ecclesiam per sæcula plura determinasse, quæ antea non cognoscebantur. Resp. Ecclesiam illa determinasse ex Scriptura & traditione, quæ clarè innotescebant Apostolis. Quod si aliquando licitum fuerit dubitare de aliquibus veritatibus, quas tenemur credere; hoc non est, quasi illæ veritates non fuerint unquam cognitæ in Ecclesia; sed quod fuerint, quasi obrutæ hominum malitia, vel ignorantia, donec Ecclesia suam authoritatem interponeret.

CAPUT III.

De Actu Credendi.

QUandoquidem actus eliciuntur ab habitibus, vel potiùs à potentia instructa habitu, consequenter ab intellectu, habitu Fidei firmato, & corroborato actibus credendi. Unus est interior, in intellectu subjecti. vè residens, quo quis assentitur veritatibus à Deo revelatis; alius exterior, qui declaratur exterioribus signis: Et de utroque nobis agendum est in præsenti Capite, si prænotaverimus, quod actus credendi Deum respiciens possit considerari sub triplici respectu: Primò, in quantum habet Deum pro objecto materiali. Secundò, ut habet Deum pro objecto formali. Tertiò, ut respicit Deũ tanquam finem ultimum. Hinc aliud est credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. Credere Deum, est credere ipsum, ut rem revelatam: credere Deo, est crede-

re

re ipsi, ut revelanti, & veritatibus, quas revelavit: & credere in Deum, est Deum credendo diligere: Hoc perbellè dicitur ab Augustino Serm. 181. *de Temp.*

QUÆSTIO PRIMA.

An sit necessario credendum?

MUltoties diximus, aliquid esse necessarium dupliciter, necessitate scilicet præcepti, vel Medii. Theologi dicunt necessitatem præcepti oriri solùm ex præcepto, & cum præceptum non obliget, dum res præcepta est impossibilis, vel ignorata invincibiliter; ideò, quòd est necessarium sola necessitate præcepti, omitti potest in hac duplici occasione. Necessitas medii oritur ex ipsa re, quæ est medium ex voluntate D. ita absolutè necessarium ad salutem, ut sine ipsa nullo modo salus haberi possit, Eucharistia est primo modo necessaria, & Baptismus secundo.

CONCLUSIO.

NEcessarium semper fuit omni adulto compoti rationis, cui efficienter proponuntur mysteria Fidei, illa credere. Dixi primò, *omni adulto*; quia infantibus Fides habitualis sufficit. Dixi secundò, *compoti rationis*; quia si esset adultus baptizatus impos rationis; pari jure salvatur per fidem habitualem in Baptismo infusam cum gratia, quam supponimus non perdidisse. Dixi tertiò, *cui sufficienter proponuntur mysteria Fidei*; quia si infans v. g apud Barbaros esset baptizatus, & fieret postea compos rationis, deinde moreretur, antequam illi mysteria credenda proponeren.

rentur, tunc salvaretur, mediante Fide habituali, & gratia iustificante recepta in Baptismo; & non perdita, ut supponimus.

Conclusio nostra est contra Manichæos, contendentes nihil esse credendum, quod non possit ratione naturali demonstrari. Est etiam contra Vegam *lib.* 6. super Concil. Trident. *cap.* 17. & 20. ubi dicit, ad suavem Dei providentiam pertinere; ut si quis faciat conformiter rationi ea, quæ facienda dictat ipsa ratio, salutem primam, & secundam valeat adipisci etiam de lege Dei ordinaria, modò ea, quæ nobis sunt credenda, invincibiliter ignoret. Per salutem primam, intelligit Justificationem; & per secundam, Beatitudinem.

Probatur nostra conclusio primò ex Scriptura & Conciliis. Ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere*; &, *sine fide impossibile est placere Deo*. Ephes. 2. *Salvati estis gratia Dei per fidem*. Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est*. Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Ubi notat Gamachæus Scripturam in ultima particula non dixisse *Qui non crediderit, & non baptizatus fuerit condemnabitur*; sed solùm dixisse: *Qui non crediderit*, ut denotetur, adultos posse salvari sine Baptismo in actu, modò sit in voto, non verò ullum salvari posse sine Fide actuali. Quoad Concilia, Milevitanum Can. 4. & Arausicanum Can. 5. asserunt, fidem ad salutem necessariam esse donum Dei. Et Tridentin. *sess.* 6 *cap.* 7. ait: *Causa instrumentalis justificationis nostra est Baptismus, qui est Sacramentum Fidei, sine qua nulli unquam contingit justificatio*. Et *cap.* 8. dicit, quod fides sit *Humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*.

Pro-

Probatur secundò ex Patribus & ratione. Omnes Patres cujuscumque sæculi afferri possent ; sed tres tantùm adducendi sunt, ne tollatur brevitas. Irenæus lib. 5. c. 20. propter necessitatem affirmat, extra Ecclesiam, in qua hæc fides traditur, non esse viam salutis. D. Leo serm. 4. de Nativit. Christi dicit; *Sine fide impossibile est placere Deo, & nihil sine illa sanctum, nihil castum, nihil vivum.* Sic etiam August. serm. 38. de tempore: *Fides est humana salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam justificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam.* Nonnè ex hoc clariùs Sole patet contra Vegam, sine fide nec salutem primam, nec secundam posse obtineri. Quantùm ad rationes ; nulla Theologica, & convincens afferri potest, quia Deus voluntate absoluta potuisset omnes salvare ; attamen ratio congruentiæ exigit, ut disponerentur in hac vita per Fidem, Spem, & Charitatem, intellectus & voluntas illorum, qui elevari deberent in patria ad visionem, & amorem D. essentiæ. Ex his omnibus patet, fidem omnibus esse necessariam eo modo, quo explicatum est in Conclusione. Est primò necessaria Fides habitualis necessitate medii, quia nullus absolutè salvari potest sine gratia justificante, nemo autem justificabitur, quin illi infundantur habitus Fidei, Spei, & Charitatis. Secundò, Fides actualis est etiam necessaria necessitate medii saltem adultis, in peccato mortali existentibus; quia justificatio est medium necessarium ad salutem, & adulti peccatores non possunt justificari sine actuali fide, quæ est radix, initium, & fundamentum justificationis,

ex Concil. Trident. Tertiò, utraque fides, tum habitualis, tum actualis, est necessaria necessitate præcepti naturalis, quo tenemur ea facere, quæ ducunt ad vitam æternam, & divini, ex 1. Joann. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.* Quod intellige de illis adultis, qui sunt in peccato, & quibus proponuntur sufficienter credenda: illis enim, qui gratiam Baptismatis receperunt, & qui illam non amiserunt per peccatum mortale, non est necessaria fides actualis necessitate medii, quando non proponuntur illis credenda; quia sine illa possunt salvari, ut diximus: Immò nec est necessaria necessitate præcepti, quia Deus nihil præcipit impossibile, & fides actualis in tali statu est impossibilis; *Quomodo enim crederent sine prædicante?* Quartò Fides actualis, quam dicimus esse necessariam, debet esse supernaturalis, non tantùm effectivè, in quantùm elicitur, mediante auxilio supernaturali; sed etiam objectivè, in quantum debet tendere in objectum cognitum supernaturaliter, & per revelationem.

Obùcies primò, ex 11. ad Hebr. sufficit ad salutem, ut cognoscamus Deum esse, & Remuneratorem esse. *Accedenti ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator est*; quod cognosci potest per lumen naturale: Ergo frustra fides supernaturalis. Resp. Apostolum non agere de sola naturali cognitione, qua cognoscatur Deus, ut author naturæ, remunerans bona opera naturalia donis naturalibus: sed etiam ut auctor gratiæ & gloriæ, remunerans opera meritoria beatitudine supernaturali. Deinde, licèt Apostolus dicat ista duo esse credenda, non exprimit tamen illa sufficere. Dices, ex ad Rom. 2. *Gen-*

tes

tes naturaliter, quæ legis sunt, faciunt. Quasi dicat, illas potuisse salvari sine Fide. Resp. per *(gentes)* non intelligi infideles, sed Gentes, quæ in Deum credebant, ex Lirano & Salmerone, vel gentes, quæ etiam in Christum credebant, ex Aug. Fulgent. & Prospero; & sic textus non est ad propositum. Deinde, esto loqueretur de infidelibus, vult tantùm per hoc Apostolus, quòd infideles potuerint observare quædam legis præcepta; vult tamen, quod propterea possint salvari sine fide.

Obiicies. 2. Ergo educati apud Barbaros, quibus numquam proposita sunt fidei mysteria, damnarentur; quod videtur repugnare Bonitati D. Resp. hoc non magis repugnare, quàm quod parvuli non baptizati damnentur. Deinde, si illi servarent legem naturæ, pro tunc Deus per se, vel per Angelum vel per illuminationem specialem, cognitionem credendorum infunderet, tanquam aliquid disponens ad gratiam recipiendam; nec pro tunc hoc debet dici miraculum, quia est quid consequens ad legem ordinariam Dei quæ ex una parte statuit, neminem salvare sine Fide, & ex alia neminem relinquere sine medio necessario ad salutem; & sic in tali suppositione, quòd quis ex auxilio supernaturali servaverit totam legem naturæ, debet illi cognitionem credendorum infundere, sive per se, sive per alium; ut patet de Cornelio Centurione, cui Angelus apparuit, act. 10. dicens illi, ut iret ad Simonem Petrum, à quo deberet instrui.

Obiic. 3. Sicut dicitur Marci ultimo; *Qui non crediderit condemnabitur*; sic dicitur Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Sed sufficit Baptismus in vo-

to; ergo & Fides in voto sufficit, & non requiritur Fides in re, Resp. Ex utroque textu colligitur necessitas præcepti, quod præceptum de Fide non obligat strictius, quàm de Baptismo. Quantùm autem ad necessitatem medii est disparitas fundata, si non præcisè in his verbis, saltem in Traditione Ecclesiastica, quæ semper docuit Fidem actualem requiri, & Baptismum in voto sufficere. Dices, ex ad Rom. 1. *Cùm Deum cognoverunt, non tanquam Deum glorificaverunt.* Resp. per hoc Paulum non velle, Gentes salvas fuisse futuras, si opera sua naturalia fuissent conformia suæ cognitioni naturali; sed jure fuisse damnatas, quod non vixerint conformiter legi naturali, & suæ cognitioni. Dices. Propter Fidem ignoratam invincibiliter nemo damnari potest. Resp. Licèt Ignorantia, in qua sunt Barbari, sit invincibilis, spectata sola facultate naturali (quia non possunt credere Deo, de quo nihil audierunt) attamen est vincibilis, spectata possibilitate in qua sunt observandi legem naturæ, quam si observarent ex auxilio supernaturali, quod presto est omnibus, Deus propter suavitatem suæ bonitatis eos illuminaret, ut diximus in objectione præcedenti. Si dicatur 1. Cor. 12 Fidem non dari omnibus etiam justis, sed aliis dari sermonem Sapientiæ, &c. non intelligitur hìc fides Theologica, sed fides patrãdi miracula, id est fiducia,

QUÆSTIO II.

Quanã necessaria credenda sunt necessitate medii?

FIdes actualis requiritur ad salutem, qualiscumq; sit; ut probatum est in antecedenti

ti Conclusione: hìc autem quærimus, quænam sunt credenda necessitate medii, sive implicitè, sive explicitè? Illud est credendum fide explicita, circa quod immediatè debemus assensum elicere, ut quando assentimur actu huic propositioni, quæ nobis expressè proponitur, Verbum Dei incarnatum est. Illud est credendum fide implicita, cui non assentimur mediatè propter seipsum, sed quia continetur in alio; sic qui credit omnia, quæ determinavit Ecclesia, credit implicitè Verbum D. incarnatum esse.

CONCLUSIO PRIMA.

NEcessitate medii omnia, quæ proponit, aut proposuit, aut proponet Ecclesia credenda, sunt revera implicitè credenda; licèt omnia non sint credenda explicitè. Primum patet, quia Fides implicita est indivisibilis, & sic omnes veritates Fidei sunt credendæ, saltem implicitè, aut nulla creditur fide divina, ut aliàs probavimus in primo capite, loquentes de integritate Fidei. Quantùm ad secundùm, probatur de facili contra Calvinum, qui lib. 3. Instit. c. 2. §. 2. docet omnia esse explicitè credenda, ita quòd rideat Fidem implicitam Theologorum. Probatur, inquam, alioquin oporteret omnes esse æqualiter doctos, contra Apost. 1. Corinth. 12. Ephes. 4. *Alii sermo sapientiæ, alii*, &c. Itaut non omnes sint Prophetæ, non omnes Apostoli, non omnes Doctores. Unde idem Paulus ad Titum 1. *Magna requiritur eruditio in Episcopo, ut sit potens exhortari doctrina sana & contradicentes arguere*. Ratio nostra patet ex morali impossibilitate, quam habent omnes rustici ad

cognoscenda distinctè omnia, & singula Fidei arcana. Adde, quòd ea omnia, quæ nunc creduntur, semper credi debuerunt: at multa fuerunt explicata ab Ecclesia de novo, quę anteà non erant expressè determinata, ut Spiritum S. à Patre & Filio procedere, B. Mariam esse Matrem Dei, in Deo posse dici tres hypostases, & similia: Ergo antequam hæ veritates essent expressę, credebantur tantùm implicitè: Ergo Fides implicita, quam dicimus necessariam ad omnes veritates fidei, non est ridicula, quidquid clamitet Calvinus contra Scripturam, & rationem.

CONCLUSIO SECUNDA.

SEmper & in omni lege necessarium fuit adultis credere, quòd, Deus sit, & quòd sit remunerator bonorum operum; Hoc habetur ex ad Hebr. 2. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est: & quòd inquirentibus eum remunerator sit.* Utriusque ratio est, quia si quę Fides explicita habenda sit, maximè ista, sine qua alia credi nequeunt. Quando diximus, necessariò esse credendum, quòd Deus existat, loquimur de Deo, non sub omni conceptu particulari, hoc enim fieri non debet necessariò, aliàs nemo haberet illam Fidem explicitam, sed sub aliquo communi ipsi proprio, ut v.g. quod sit primum principium omnium rerum, finis omnis creaturæ, & summè bonus; ita ut creaturæ rationales ipsum amare, & revereri debeant.

Cùm diximus, de Deo credi debere, quod sit remunerator; hoc est remunerator non tantùm in bonis naturalibus & temporalibus, sed etiam supernaturalibus & æternis, ita quod decernit prœmia bonis, &

ſupplicia improbis, non ſolùm in hac vita, ſed & in alia: Unde Paulus loquens de Fide, quàm habere debemus, ipſam vocat Hypoſtaſim rerum ſperandarum, & Argumentum non apparentium.

Porrò, dicentes ſemper neceſſariam fuiſſe Fidem explicitam de exiſtentia Dei: hoc intelligitur de illâ cognitione, quæ nititur revelationi divinæ, aliàs non eſſet Fides; nec meritoria ſalutis. Licèt tamen aliunde poſſet cognoſci Deum eſſe per demonſtrationem, hoc non impedit, quin talis cognitio ad fidem pertineat, in quantum habetur ex Deo revelante: & tunc dicendum, quòd objectum fidei poſſit eſſe objectum ſcientiæ, diverſis motivis; licèt actus Scientiæ non poſſit eſſe cum actu Fidei, ut volunt plures Scotiſtæ, in quantùm ille, qui credit Deum exiſtere ex motivo revelationis, non ſe applicat actu ad demonſtrationem à poſteriori, qua ex cognitione creaturarum colligit exiſtentiam Dei.

CONCLUSIO TERTIA.

POſt lapſum Adæ neceſſaria ſemper fuit neceſſitate medii fides explicita Mediatoris, & Redemptoris, ſeu quòd Deus mitteret aliquem, qui redimeret genus humanum à peccatis, & quo mediante, poſſent homines acquirere beatitudinem. Aliqui hanc fidem vocant fidem Chriſti implicitam. Hæc Concluſio, quæ eſt Scoti contra aliquos, probatur ex Paulo, qui in Epiſt. ad Rom. nil aliud contendit probare, niſi quòd nemo poſſit juſtificari niſi per Fidem in Chriſtum: unde addit Galat. 3. *Scriptura concluſit omnia ſub peccato, ut omiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus*: Per

promissionem intelligitur beatitudo. Augustinus multis in locis docet, justos Veteris Testamenti non fuisse liberatos nisi per eandem fidem Mediatoris, per quam & nos liberamur, ut videre est lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 7. Ratio nostra est, quia Deus non vult salvare homines sine illorum labore: vult ergo, ut mediatorem desiderent: at non possent illum desiderare, nisi ipsum cognoscerent futurum.

Obiicies. Ergo ab initio mundi lapsi debuit revelari Mediator futurus, cujus futuritio tantùm revelata fuit Abrahæ his verbis; *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Genes. 2. Resp. non factam fuisse primò illam revelationem Abbrahæ; sed tantùm ipsi revelatum est, quòd ille Mediator esset ex semine ejus. Revelatus verò fuit ille Mediator venturus primò Adæ, à quo fides illius transmissa est ad posteros quorum aliqui semper in omni statu, & in omni Gente cònservabant fidem ipsius, alii verò illam neglexerunt, & tradiderunt oblivioni; ita quod sese privaverunt medio proximè necessariò ad salutem, licèt habuerint semper media remota, nempe gratiam Dei, qua potuissent servare legem, & inde venire ad aliquam notitiam Messiæ, ut diximus de Fide.

CONCLUSIO QUARTA.

FIdes explicita Mediatoris venturi non fuit necessaria ad salutem respectu Divinitatis, & mortis ejus: Hoc est, in Veteri Testamento erat quidem necessarium credere, Mediatorem esse venturum, sed non erat necessarium credere explicitè, quòd ille Mediator esset Deus, & mortem subiret

pro

pro homine redimendo. Ratio est, quia si talis Fides esset medium necessarium ad salutem, Divinitas & mors ejus debuissent revelari saltem aliquibus, & præsertim Judæis, quod tamen est falsum; immò scandalizabantur, quando Apostoli prædicaverunt Jesum Crucifixum, 1. Cor. 13. *Prædicamus Christus Crucifixum, Judæis scandalum*, &c. Immò & Apostoli non intelligebant Christum loquendum de morte sua; quod est signum, ipsos pro tunc non credidisse ipsum moriturum. Post tamen sufficientem promulgationem Evangelii, necessarium fuit necessitate medii; *Qui enim non crediderit, condemnabitur*. Mar. 15. ideſt, qui non crediderit Evangelio, damnabitur. Evangelium autem docet, Christum esse Deum, pro omnibus mortuum fuisse, & resurrexisse; ergo hæc omnia necessariò debent credi, & illorum fides explicita est necessaria necessitate medii post promulgatum Evangelium.

CONCLUSIO QUINTA.

Sicut mox dicebamus, fidem explicitam de Incarnatione Christi esse necessariam necessitate medii ad justificationem & ad salutem post Evangelium sufficienter promulgatum: sic fides explicita de Trinitatis mysterio necessaria est necessitate medii, & consequenter præcepti, post illam promulgationem non autem anteà. Primum probatur: quia si debet explicite credi Mysterium Incarnationis, ut diximus anteà: ergo debet etiam credi Mysterium Trinitatis; quoniam Incarnatio non potest intelligi sine Verbo, nec Verbum sine Trinitate, cujus est secunda persona. Deinde hoc Mysterium spe-

ctat ad summam Catholicæ Fidei; quoniam Baptismus, qui est janua Ecclesiæ conferetur in nomine trium Personarum. Tandem hoc Christus innuere videtur, dum præcipiens Apostolis Evangelii prædicationem, jussit primo, ut docerent omnes Gentes *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, ut inculcaret fidem hujus Mysterii tanquam saluti necessariam, Quando dicit Scotus in 3. dist. 25. q. 1. rudes non posse concipere, quid sit natura, & persona; per hoc non vult impugnare necessitatem credendi explicitè hoc Mysterium: sed denotare tantùm rudes non habere conceptum distinctum de quidditate hujus Mysterii, & de nominibus naturæ & personæ: ut tamen quod in confuso teneantur credere tres esse personas in una natura, nempe in divinitate, quarum una non est alia.

Quantum ad secundum, probatur etiam ex antecedenti conclusione: Si enim non fuerit necessaria Fides explicita Incarnationis, non etiam fuit necessaria Fides Trinitatis; non invenitur enim hoc Mysterium in novo Testamento nisi sub obscuris verbis scriptum, quod Deus non permisisset, si esset necessariò credendum. Adde quòd Judæi erant ita ad Idololatriam proni, ut facilè credidissent tres Deos, si illis propposita fuisset fides de tribus personis. Melius est ergo si dicamus, Fidem distinctam hujus Mysterii fuisse tantùm in Rectoribus populi, in Scribis, Pharisæis, & Doctoribus

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quanam necessariò credenda sunt necessitate præcepti?

EA, quæ credi necessaria sunt necessitate medii, etiam necessaria sunt necessitate præcepti; Jus enim naturale & divinum obligat Fideles, ut operentur ea, sine quibus salus æterna haberi nequit. Sed quia multa sunt necessaria ad salutem necessitate præcepti, quæ non sunt necessaria necessitate medii: idcò postquam vidimus: quænam sunt credenda necessariò necessitate medii, inquirimus nunc, quæ necessariò necessitate præcepti credi debeant.

CONCLUSIO PRIMA.

OMnes adulti tenentur, saltem ex præcepto, credere Omnes Articulos Fidei in Symbolo contentos. Dixi, *saltem*: quia Articuli de Existentia Dei, de Incarnatione & de Trinitate credi debent necessitate medii, & præcepti. Hæc conclusio est contra Rosellam, qui dicit, simplicibus sufficere, ut credant, quod credit Ecclesia: Contrarium tamen habetur ex Catechismo Pii V. qui docet, quòd omnes Christiani teneantur credere, quæ Apostoli certis articulis comprehenderunt. Usus Ecclesiæ hoc confirmat, dùm proponit hos articulos credendos, & prohibet, ne adultus ad Baptismum admittatur, nisi Symbolo sit instructus: Unde etiam Confessarii neminem hos Articulos ignorantes absolvere præsumunt. Si aliqui essent ita rudes & idiotæ, ut non possent concipere, nec retine-

re, quæ continentur in illis Articulis, non minùs salvarentur, credentes in genere, quod credit Ecclesia; hæc enim necessitas credendi hos articulos est tantùm præcepti, & ad præceptum observatu impossibile Deus non obligat: quod alios tamen, ad hoc tenentur.

Non quòd teneantur distinctè, & exactè intelligere omnia, quæ docti intelligunt per illos Articulos, nec cum ordine, sed sufficit si sensum verborum capiant, & non modò verba. Ad hoc tenentur tum ex præcepto naturali jubente ob bonum nostrum inquiri debere ea, quæ sunt ad salutem necessaria: Tum ex præcepto D. Marci ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Tum ex præcepto Ecclesiastico, ut ex Catechismo Rom. colligitur, & ex multis decretis, quæ commemorat Gratian. de Consecrat. *dist.* 4. & ex Conciliis Agaten. Bracharensi 2. & Cabilonensi.

Quia sunt aliqui Articuli, & maximè sequentes in Symbolo, qui præseferunt aliquam difficultatem, dico, quod quando dicitur de Christo, *Descendit ad inferos*, hoc est, ad aliquas inferiores terræ partes. Quando dicitur, *Sedet ad dexteram Patris*. In quo est metaphora, sufficit credere, ipsum cum Patre esse constitutum in summa potestate. Ut satisfiat huic præcepto, *Credo in Spiritum sanctum*, sufficit credere unam tertiam personam præter Patrem & Filium, quæ est unus Deus cum utroque. Dum dicitur, *Sanctam Ecclesiam*, credendum est dari congregationem Fidelium institutam à Christo, quæ sancta est; quia proponit sanctam doctrinam, sanctas leges, & extra illam nulla est sanctitas. Dum dicitur *Catholicam*, hoc est universalem: Primò ratione loci, quia *in omnem terram exivit*

exivit sonus Apostolorum: Secundò ratione temporis & universitate; duratura enim est usque ad finem mundi, sicut ab initio mundi fuit semper aliqua Ecclesia. *Asserendo Communionem Sanctorum*, credere sufficit, quòd sit communicatio orationum & suffragiorum inter Sanctos, qui sunt in cœlo, & justos, qui in terra sunt, & animas in Purgatorio existentes. Reliqua sunt facilia.

CONCLUSIO SECUNDA.

NOn sufficit Fidelibus credere Articulos Fidei, qui in Symbolo continentur, sed ulterius debent explicitè credere septem Sacramenta, & præsertim Eucharistiam, Pœnitentiam, & Baptismum, tenetur credere celebrationem Festorum; Observationem Decalogi, Christum esse mortuum pro nobis, vitam æternam non posse acquiri sine bonis operibus, & similia, quæ credere debent etiam rudiores.

Quantùm ad Parochos, Prædicatores, & Confessarios, specialem habent obligationem cognoscendi distinctiùs Fidei Mysteria, quæ solent proponi credenda Fidelibus, & hoc necessitate etiam medii, qua tenentur fungi muneri suo. Nam officium eorum est exponere illa & explicare, ac etiam aliqualiter defendere contra objectiones communes Hæreticorum; quod non possent facile, nisi distinctam cognitionem haberent. Crederem tamen istis omnibus satis esse, si habeant talem notitiam Misteriorum, ut sentiant se nihil proponere, quod sit contra Fidem, & habeant sufficiens aliquod motivum ob quod judicent, hoc, aut hoc esse de Fide, v. g. quia hoc audierunt à Magistris suis, vel ab

auctoribus acceperunt : aliàs quamplurimi Pastores in malo statu versarentur.

Quantùm ad Episcopos, majorem adhuc debent habere notitiam mysteriorum, juxta Paulum cap. 1. ad Titum, *Oportet Episcopum esse, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, seu* ut in textu Græco habetur, *argumentis convincere*. Quod est conforme Conciliis, Toletano II. duobus Lateranensibus, sub Alex. III. & Leone X. Trid. sess. 22. de reformat. c. 2. Unde plerique existimant non sufficere illis, ut habeant secum litteratos viros, qui illis ostendant, quid sit dicendum de illis Mysteriis.

QUÆSTIO VI.

Utrùm Fides, qua omnibus est necessaria, possit haberi ab omnibus?

HOc aliàs jam probavimus in 2. parte nostræ Theologiæ, ubi diximus, Deum sincere velle omnium salutem, & illis communicare media ad hoc sufficientia, juxta illud 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes salvos fieri*. Cùm ergo Fides sit medium ad salutem necessarium, ut probatum est, ex hoc liquet, quòd ex se paratus sit fidem omnibus præbere. Unde postquam dixit Paulus; *Deus vult omnes*, &c. subjungit illicò, *& ad agnitionem veritatis venire*.

CONCLUSIO.

ILla Fides supernaturalis, quam omnibus dari probavimus, potest haberi ab omnibus, quan-

quantum est ex parte Dei, ita quòd, si non habeatur actu, hoc refundendum est in malitiam illorum, v. gr. Gentilium & barbarorum, qui non bene utuntur gratia universali, quam Deus illis impertitur, mediante qua possent integram legem naturæ observare: & Deus posteà vel per inspirationem specialem, vel per Angelum vocaret eos successivè ad cognitionem necessariorum, juxta illud ad Ephes. 5. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis*: & *illuminabit te Christus*.

Hoc ampliùs declaratur ex hoc, quòd Deus sic disposuit media ad nostram salutem necessaria, ut sint inter se subordinata, & unum detur mediante alio. Unde, qui benè utitur uno medio, paulatim majora accipit, donec perveniat ad fidem; qui autem non benè utitur primis donis, indignus est ut majora accipiat. Deus ergo illuminat primò Infideles, ut cognoscant observationem legis naturæ esse necessariam: juxta illud Joan. 1. *Illuminat omnem hominem*. Secundò, dat illis gratias actuales, quibus illam possunt observare integrè: Et tertiò, si illam Legem naturæ, quæ continetur in Decalogo observarent, illos Deus adjuvaret, ut tandem pervenirent ad Fidem, ad Justificationem & ad Beatitudinem, ad Rom. 2. *Factores legis justificabuntur apud Deum*. Sed quia in principio deficiunt, non servantes Leges naturæ, ideò justè deseruntur à Deo. Roman. 1. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*. Objectiones solutæ sunt loco citato.

Quæres, quandonam aliquis teneatur actum

Fidei, saltem internum, elicere. Resp. 1. ad hoc teneri, quoties teneatur elicere actum Charitatis, & Spei; & quia sine Fide illi actus non possunt elici. Quando autem illi producendi sint, dicetur suo loco. Resp. 2. ad hoc teneri, quoties aliquis tenetur ad actum Fidei externum, qui aliàs mentiretur, si diceret externè se credere, & internè non crederet. Resp. 3. Scotum in 3. dist. 23. asserere, quemlibet Fidelem ad actum internum Fidei teneri singulis diebus festivis, non tantùm quatenus tenetur in illis diebus elicere actum Charitatis; sed etiam quia non est potior ratio, cur teneatur Christianus diligere Deum, quàm credere in illum. Ratio doctoris est, quia illi dies sunt specialiter instituti ad cultum Dei, qui principaliter consistit in actibus Fidei, Spei, & Charitatis.

QUÆSTIO V.

Utrùm sit obligatio ad actus externos Fidei?

ACtus externus Fidei est Confessio, qua quis externa voce profitetur, quod in anima sentit. Ille Actus externus, qui conjungitur cum assensu interno, procedit ab habitu Fidei, qui inclinat ad talem actum, & non tantùm ab habitu veracitatis, quo quis inclinatur ad loquendum conformiter menti suæ, aliàs qui negaret Fidem, argueretur tantùm mendacii, & non infidelitatis, ergo ille actus, quo quis fatetur Fidem, nedum est actus Veracitatis, sed etiam Fidei. In hac quæstione multa dicenda sunt; ne tamen solitæ nostræ brevitati officiant, breviter ea constringemus.

CON-

CONCLUSIO.

EXterna professio Fidei necessaria est; non tamen semper. Primum habetur Rom. 10 *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; Super quod ait August. *Fides à nobis exigit officium cordis, & linguæ*. Secundum patet ex hoc, quòd præceptum credendi sit præceptum affirmativum, quod non obligat semper, sed certis tantùm occasionibus, ut videbitur infrà. Ex conclusione multa sequuntur explicanda in sequentibus resolutionibus.

Dico primò, præceptum confitendi Fidem esse necessarium, ut numquam liceat hanc negare, etiam si mors immineat, ex Matth. 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo, & eum coram Patre meo*. Hoc confirmant Martyres, qui omni ætate gravissima tormenta, & mortem subierunt, ne Fidem negarent. Hoc determinavit Sanctus Cornelius Papa, qui in Concil. Romano condemnavit publicè Helseceitas Hæreticos, qui dicebant, negari posse fidem exteriùs instante persecutione; quàm hæresim sequuti sunt Priscillianistæ aliàs, & recenter Anabaptistæ. Ex hac resolutione sequitur, quod etiam non liceat negare se esse Christianum, aut dicere se esse Infidelem, aut Hæreticum, quia hoc est negare Christum; potest tamen quis negare se esse Sacerdotem, aut Religiosum, quia non negaretur Fides, sed status immò, posset quis negare se esse Papistam, aut Christianum ad evitanda incommoda inferenda, non ratione Fidei, sed ratione nationis;

eo

eo quod v. g. interrogans aliqua damna paſſus eſſet ab illa natione, & vellet proinde quoſcumque Papiſtas, vel Chriſtianos exterminare, non ratione Fidei, ſed injuriæ illatæ: ſi enim illa incommoda imminerent ratione fidei, eſſent ſufferenda, & numquam neganda Chriſtiani qualitas. Porrò, ſi aliquis negaret fidem exteriùs, quæ maneret in corde, graviter peccaret; Primò ratione mendacii; ſecundò, ratione inobedientiæ, tertiò quia iret contra honeſtatem Fidei: Non tamen eſſet infidelis propriè, aut Hæreticus: quia fidem retineret in mente.

Dico 2. duas occaſiones eſſe, in quibus Fidelis debet confiteri Fidem: quando ſcilicet illa confeſſio neceſſaria eſt ad honorem Dei, vel utilitatem proximi; ita quod utraque ceſſante, liceat illam diſſimulare, non tamen mentiri. Ratio utriuſque eſt, quia tunc actus alicujus virtutis eſt neceſſarius ex præcepto, quando neceſſarius eſt ad gloriam Dei, vel ſalutem proximi; ergo confeſſio Fidei eſt neceſſaria in hac duplici occaſione. Confeſſio Fide contribuere dicitur ad honorem Dei, quando ex diſſimulatione ejus aliquis putaretur non credens, aut fides ipſius falſa conducit verò ad utilitatem proximi, quando ex diſſimulatione ejus aliqui averterentur à Fide. Extra has occaſiones poteſt fidelis celare ſuam fidem, ſeu non confiteri illam facto nec dicto.

Dico tertiò, quòd ſi Chriſtianus à publica perſona interrogetur de ſola Fide, debeat illam fateri ſine tergiverſatione, ſit illud Luc. 9: *Qui me erubuerit coram hominibus, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua*. Ratio eſt, quia non poteſt

potest major esse necessitas, quàm in hoc casu, in quo honor Dei, qui conjunctus cum honore Fidei, exigit confessionem: nam si sic interrogatus, fidem Christi fateatur, defert illi maximum honorem, cùm pro eo paratus sit mortem subire: Si verò non confiretur, præfert se submittere inimicis Christi, quàm Deo, qui talem confessionem exigit. Si verò interrogans sit persona privata, potest interrogatus tacere, vel eludere, maximè quando aliquod damnum timetur; quia persona privata habet jus interrogandi, sicut publica, cui consequenter responsio debetur. Licèt enim Princeps sit infidelis, tamen Christianus debet illi confessionem in suo regno in quo est professor bonæ Fidei authoritatis examinandi. Quòd si, dum aliquis interrogatur ab Hæreticis privatis, respondeat coram Christianis, qui ex dissimulatione scandalizarentur, aut coram infidelibus, aut aliis hæreticis Fidem Christianam amplecti volentibus, qui ob hoc deviarent ab intentione sua, pro tunc dissimulatio non esset licita.

Dico quartò, quòd fideles possint tempore persecutionis fugere, ut mortem evadant, quæ illis parata esset, si fidem profiterentur: hoc enim fecerunt quamplurimi Pontifices, immò & Paulus ipse, qui libertatem non habens exeundi à civitate, per murum demissus est in sporta, 2. Cor. 12. Cujus fugæ hæc afferri potest ratio, quòd ille, qui fugit, non neget fidem, sed potiùs fugiat, ne metu tormentorum Fidem neget: vel ideò fugit ad exemplum D. Pauli, ut diutiùs vivat, ad Fidem propagandam. Pastores tamen, præsertim majores, qui super candelabrum positi sunt ut luceant, etiamsi dispendium vitæ immineat,

fuge-

fugere non possunt, maximè quando præsentia Pastoris necessaria est subditis, & quando fuga Pastorum verteretur in dedecus Fidei, & ab hoc infideles insultarent Christianis, & contemnerent eorum Religionem.

Dico quintò, quòd numquam liceat simulare seriò professionem externam falsæ religionis; licet possit fieri per repræsentationem in Comœdiis. Hoc probat Eleazarus 2. Machab. c. 6. nolens acquiescere consilio illorum, qui ipsi suadebant, ut carnem suillam in lege prohibitam manducaret. Quibus respondit dicens, *præmitti se velle in infernum: non enim ætati nostræ dignum est fingere*. Ratio hujus resolutionis est, quia mendacium ex sua natura est illicitum, & ille qui fingit, aut simulat falsam religionem, mentitur, si non verbo, saltem facto; cùm per actus simulationis significet se esse Infidelem, cùm non sit talis. Adrianus in 4. Sentent. qu. 1. de Baptismo in respons. ad 5. argum. asserit licere Christiano apud infideles existenti simulare se per signa externa falsam eorum religionem profiteri, ad mortem evitandam, modò hoc fiat cum animo tantùm simulandi, & non profitendi falsam sectam. D. Hieronymus etiam simulationem dicit esse utilem, & assumendam in tempore, in cap. 2. ad Galat. Gregorius de Valentia hanc opinionem probabilem dicit, licèt nostram tanquam probabiliorem sustineat contra Adrianum, numerans omnes penè alios Theologos contra Hieronymum, nempe Irenæum, Origenem, Tertullian. Cyprian. Augustt. & alios.

Dico sextò, quod signa externa Infidelitatis sint in duplici differentia. Alia primariò, & per se instituta sunt ad profitendam falsam Religionem, ut sacrificia Paganorum, Thura, Libationes, Circumcisio inter Judæos,

Cæ-

Cœna inter Calvinistas, &c. talia signa usurpare nullo modo licet; quia hoc esset negare Fidem, quod semper prohibitum est, cùm sit præceptum negativum. Assertio nostra probatur exemplo Eleazari, qui sollicitatus ut fingeret se manducasse carnes suillas, & alias immolatus Idolis, 2. Mach. 2. *Respondit se malle præmitti in infernum*. 1. in Limbum Patrum: Confirmatur exemplo Marcellini Summi Pontificis, qui cùm metu mortis incensasset Idola, factus illicò pœnitens ad Concilium Sinuessanum convolavit ad peccati sui absolutionem, cui Patres dixerunt, *Judica te ipsum, suprema sedes à nemine judicatur*, & postea sua sponte ad tyrannum reversus, se martyrio obtulit, quod revera passus est. Hoc denique habetur ab exemplo Martyrum, qui mortem vitare potuissent simulatè sacrificando, quod tamen facere unquam noluerent.

Dico septimò, ut respondeam objectionibus, quod & Naaman Syrus recenter conversus cum rege ingrediens Templum, 4. Reg. 5. & ante Idola genuflectens, hoc non fecerit ad cultum religiosum; sed ad famulandum Regi Syriæ, cujus mos erat innitendi humeris famuli, sive in foro, sive in templo; ita quòd staret, vel ambularet, aut genuflecteret, ad stationem, ambulationem, vel genuflexionem Regis. Peccabat ergo Rex genuflectendo ob idololatriam, non verò Naaman famulus, qui hoc faciebat, ut famulatum domino præstaret: Unde ipsi Naaman petenti ab Elisæo, ut illi permitteret Templum ingredi, respondit Elisæus: *Vade in pace*. Sic Abulensis, Lyranus, & Azor. Quando affertur exemplum Jehu 5 Reg. 10. qui, ut deciperet

Sacerdotes Baal, & ipse laudatur, quòd fecerit studiosè, quod rectum erat in conspectu Domini: ergo non est peccatum. Resp. in hoc tantùm laudatum fuisse Jehu, quòd congregando Sacerdotes ut occiderentur, distraxerit Domum Achab: non verò laudatur propter illam simulationem, nisi ab Hieronymo: nam ab August. arguitur mendacii, sic etiam Hugo Cardinalis, & Glossa ordinaria. Denique, cùm Apostoli post Christi Passionem præceperunt Timothæum circumcidi, & ritus Judaicos observari: hoc fecerunt ex impulsu speciali Spiritus sancti, quo concedebatur illis authoritas legis Christianis imponere, & hoc semper ad bonum finem.

Dico octavò, alia esse signa, quæ non distinguunt essentialiter fidelem ab infideli, aut hæretico, ut certis vestibus uti, quibus hæretici utuntur in sua patria manducare carnes diebus prohibitis apud Catholicos, audire conciones Hæreticorum, adire eorum Templa, & similia; & hæc omnia non sunt semper prohibita, maximè quando grave damnum mortis, aut exilii imminet, aut bonum aliquid magni momenti sequi potest. Dicendum ergo est, Catholicum apud Hæreticos commorantem posse uti vestibus, quibus utuntur communiter indigenæ. Unde Summus Pontifex mittens Religiosos, & Sacerdotes in Americam, illis permittit, ut Americanorum more induantur. An verò liceat uti vestibus destinatis ab infidelibus ad discendam sectam infidelem; Affirmant aliqui: quia ille habitus de se est indifferens, & potest justificari per bonam fidem: Alii distinguunt, dicentes, quòd si lex deferendo habitu sectæ hæreticæ sit lata ratione belli tantùm, in quantùm Rex infidelis timet

met insidias Catholicorum, & ideò vult illos per habitum distinguere; tunc hoc liceat ob necessitatem: Si verò talis habitus sit imperatus ex odio Fidei Catholicæ, ad persequendum Catholicos, ut sunt Catholici, talis habitus semper prohibeatur, etiam in casu mortis: quia hoc videtur manifestare abnegationem Fidei, quæ nunquam licita est.

Dico nonò, non licere participare cum Calvinistis in Sacramento Eucharistiæ: quia apud illos Eucharistia non est verum Sacramentum; nec cum Lutheranis, qui errant circa illud, vel non habent verum ex defectu Sacerdotum legitimè institutorum; Hoc tamen potest fieri circa participationem Baptismi, qui apud illos validus est; unde ab illis peti potest in necessitate, non extra. Quoad Matrimonium, non licet Catholico contrahere cum Hæreticis; nam prohibetur ab Ecclesia, daretur scandalum, esset periculum perversionis, & sacrilegium conferre Sacramentum hæretico. Licèt ex natura rei Catholico adire templa Hæreticorum, etiam dum peraguut officia, & concionem habent, modò non sit periculum subversionis, nec credatur à prudentibus hoc fieri in contemptum Fidei, & professionem hæreseos; quod tamen non est faciendum extra necessitatem. Licèt Catholico inter hæreticos degenti uti carnibus prohibitis, si mors, aut grave periculum immineret, nec posset aliunde se defendere à tali casu; quia est præceptum Ecclesiæ in necessitate non obligans. Non est autem par ratio de Eleazaro, quia erat lex Divina, & per hoc volebant, ut Judaismi fidem abjuraret. Licèt denique ex natura rei orare in templo hæreticorum,

etiam

etiam cum illis, nam si Princeps hæreticus juberet, ut omnes cujuscumque Fidei simul orarent, hoc esset licitum Catholicis, modò non fieret in odium Religionis, cujus contemptum nulla de causa ostendere debent Fideles dixi, in resolutione ex natura rei; quia aliundè hoc prohibetur ab Ecclesia.

CAPUT ULTIMUM.

De vitiis oppositis Fidei.

QUatuor vitia Fidei opposita enumerant Doctores quæ sunt Infidelitas, Hæresis, Apostasia, & Blasphemia, de quibus seorsim dicendum est breviter.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid dicendum sit de Infidelitate?

LIcèt infidelitas secundum nomen denotare videatur aliquem pravum habitum oppositum Fidei, quo illi omnes, qui non habent fidem dicuntur infideles, attamen duplex est infidelitas, negativa, & positiva. Negativa est ea, qua aliquis dicitur infidelis, ob hoc quòd careat fide, de qua nihil unquam audivit. Positiva est ea, qua quis dicitur Infidelis; quia cùm audierit mysteria Fidei, illis credere contempsit, vel noluit.

Dico primò, infidelitatem positivam esse peccatum; de illa enim habetur Marci ultimò. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Quod intelligendum est de adultis, qui credere potuerunt, & noluerunt; & ista infidelitas positiva vocatur Pravæ Affectionis, & negativa Puræ negationis. Infidelitas purè nega-

negativa, respectu eorum, qui nihil audierunt de Deo, nec audire potuerunt, non est peccatum: ignorantia enim invincibilis à peccato excusat. Quod si contrarium sentire videantur Augustin. lib de Gratia, & Lib. Arbit. c. 3. & D. Prosper lib. 2. de Vocat. Gentium c. 5. per hoc tantum volunt ignorantiam legis, & fidei, non impedire, quominus iustà torqueantur in inferno, non propter infidelitatem, sed ob peccat in legem naturæ commissa. Resolutio nostra probari potest ex Joann. 11. *Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent*: ergo; cum non habuerint Evangelium, nec habere potuerint, in Evangelium non peccaverunt. Quòd si Evangelii sonus in omnem terram exierit; hoc est ad principales partes, non in omnibus adde quòd potuerit extingui, ubi publicatum est.

Dico 2. Infidelitatem positivam dividi in Paganismum, Judaismum, & Hæresim. Paganismus est infidelitas eorum, qui nullo modo Christum profitentur, neq; venturum, aut iam venisse. Judaismus est infidelitas eorum, qui profitentur Christum venturum, postquam fides dictat ipsum venisse. Hæresis est infidelitas eorum, qui credunt quidem Christum venisse, sed in aliquibus. Articulis Fidei discordant. Infidelitas formaliter sumpta non est omnium peccatorum pessimum, nam odium Dei maius est: materialiter autem sumpta est maximum, quia habet annexam privationem Charitatis, & aliorum habituum infusorum. Inter has infidelitates gravior est Hæresis, quia Hæretici resistunt veritati formaliter receptæ; Judæi resistunt veritati susceptæ in figura, & Pagani nullo modo susceptæ: in

primis eſt major contemptus, in ſecundis minor, & in tertiis minimus.

Dico tertiò quòd diſputatio cum infidelibus, & hæreticis ſit illicita, quando ſuſcipitur temerè obſtentationem ſui, etiamſi ſit privata. Eſt etiam illicita, ſi fiat cum animo dubio, ita ut diſputans paratus ſit Fidem ſuam relinquere, ſi rationes contrariæ magis illi placuerint. Eſt tertiò illicita, quando nulla ſperatur utilitas. Eccl. 32. *Non debet effundi ſermo, ubi auditus non eſt*; ne peccatum Infidelis augeatur per accidens reſiſtendo Fidei. Diſputatio publica illicita eſt, niſi de conſenſu Prælatorum, ex Concil. Calced. act. 3. ad illos enim ſpectat conſervare, & propagare Fidem. Quatùm ad communicationem cum infidelibus, licita eſt in rebus civilibus, & politicis, & illicita in his, quæ pertinent ad cultum infidelitatis. Primum habetur ex 1. Cor. 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hac conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Secundum ex Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.*

Dico quartò: Principes Chriſtianos non poſſe cogere Infideles ſibi non ſubditos ad fidem, aut baptiſmum; hoc enim prohibetur in jure Canonico Cap. *Majores* extra de Baptiſmo. Unde ait Auguſt. Lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 83. *Nullus invitus ad fidem cogendum eſt.* Quod ſi Lucæ 14. Chriſtus dicat, *Compelle intrare*; hoc intelligitur de fidelibus ex Auguſt. Epiſt. 50. Idem à fortiori dicendum eſt de Prælatis, quod non poſſint cogere ad Baptiſmum ex 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt?* Per quod intelliguntur infideles. Poſſunt tamen cogere hæreticos, quia licèt ſint extra Eccleſiam, quan-

quantùm ad internam unionem, quæ fit per fidem; sunt tamen subjecti Ecclesiæ ratione Baptismi: sicque illos Censuris cogere possunt. Quantùm ad infideles subditos Principibus, Scotus tenet posse ab illis cogi ad fidem, quia, inquit laudatur in Conc. Tolet. 3. Princeps Sisibutus, qui Judæos sibi subditos ad fidem compulit. Alii negant ex metu Sacrilegii, & dicunt zelum Sisibuti fuisse laudatum, non factum. De hac difficultate loquuti fuimus in disp. de Bap. Licèt Judæi, & pagani non possint cogi ad fidem directè, possunt tamen cogi indirectè. Primo, negando illis habitationem in regno, nisi prædicationem audiant, quod habetur ex praxi Ecclesiæ; Romæ enim jubentur Judæi ad Catechismum venire certis diebus: Secundo imponendo illis majora tributa, quàm Christianis, intra tamen limites justitiæ; Tertiò, eos expellendo à regnis fidelium, dum est periculum subversionis. Unde in Concil. Tolet. 6. de consensu Regis Hispaniæ, & Procerum, statutum est, ne quis sederet in throno, antequam à regno infideles expelleret. Ubi nota, quod si infideles expellantur, non possint privari bonis suis, quia illorum sunt domini, & sic debent illa auferre. Porrò, licitum est Principi, ut det infidelibus sibi subditis libertatem exeundi ex regno, vel baptismum recipiendi; quia tunc non est cogere, sed jubere: nec Ecclesia est particeps sacrilegii, quia non imperat directè Baptismum, & sic intelligendus est Scotus, dum dicit posse infideles cogi.

Dico 5. quantum ad tolerantiam Rituum, & Librorum Infidelium, tria esse vera, 1. ritus, & ceremonias infidelium non subditorum Principibus Christianis tolerari posse quia

nulla de his illis incumbit cura specialis; immò & debent tolerare, si sint tantùm contra legem naturalem; si sint verò illi ritus contra religionem Christianam, aut contra vitam innocentium, tunc impedire illos possunt Principes Christiani; qui habent jus defendendi, & propagandi Fidem, & impediendi ex jure naturæ, nè innocentes opprimantur, nec proinde immolentur ab infidelibus 2. Principes Christiani tolerare possunt ritus infidelium sibi subditorum, vel ad vitandum majus malum, ut perturbationem reipublicæ: vel ne impediatur majus bonum, ut si speretur illorum conversio; vel deniq; dum speratur aliqua utilitas spiritualis, quo fit, ut tolerentur Judæi, quorum ritus confirmant nostram fidem, cujus figuram continent: Unde dicit August. lib. 18. de Civit. Dei c. 46. Judæos non fuisse extinctos, sed permissos dispergi per mundum, ut ab inimicis nostris testimonium nostræ Fidei haberemus, Libri Judæorum, continentes, simplicem expositionem veteris Testamenti, tolerandi sunt; illi verò, quos scripserunt Rabini contra Christum, & Fidem, comburi debent.

Dico 6. controverti in er Doctores, an liceat bellum inire contra infideles, non subditos; & eorum terras armis invadere, propterea solùm; quia Infideles, & Barbari sunt. Hoc affirmant Hostiensis, Panormitanus, Joannes major, Antonius, & alii: negant verò Cajetanus, Victoria, Covarruvias, & quamplurimi, quos facile approbarem, dicendo, solo titulo Infidelitatis non posse invadi, nec debellari Infideles: quia non obstante Infidelitate, domini sunt suorum bonorum, Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, & Luc. 12. *Reges Gentium dominantur eorum*. Non pos-

sunt

sunt ergo Principes Christiani illis vim inferre, nisi titulo Charitatis, se vel suos defendendo ab Infidelium injuriis, vel titulo Justitiæ vindicativæ, puniendo aliquam iniuriam ab illis illatam, quorum neuter titulus bellandi reperitur in nostra hypothesi, ubi supponimus nullam iniuriam irrogari Fidei ab infidelibus; Ergo solo titulo Infidelitatis non possunt debellari Infideles. Hoc confirmatur ex lege *Christianis* codice *de paganis, & sacrificiis* Alexander III. Can. *Dispar.* affirmat iuste bellum geri contra Saracenos, propterea quòd Christianos persequantur: non contra Judæos, quia servire sunt parati, Paulus denique III. apud Bannem. deffinivit, Indos Occidentales non esse vi privandos suarum rerum dominio. S. Cyprianus tract. de exhortatione ad martyrium c. 5. censuit Infideles quatenùs Infideles, aut Idololatras non posse vi coerceri; sed quatenus Apostatas. Augustinus serm. 6. de verbis Domini affirmat, necessariam esse potestatem, & authoritatem in infideles, qui compescendi sunt. Mox solventur obiectiones.

Dico septimò: Propter alias causas possunt oppugnari infideles, nempè si occupent terras ad Christianos pertinentes, si Christianos iniuriis afficiant, si mortalium genere pernicioſi sint, ut qui carnes humanas devorant, aut sacrificant idolis, si Fidei susceptionem, aut prædicationem impediant; nam Ecclesia habet ius prædicandi Fidem per universum orbem, iuxta id: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Marci 16. Ergo habet potestatem compellendi infideles, ut non impediant ipsius prædicationem, nec susceptionem Baptismi. Si dicatur contra præcedentem resolutionem, quòd iustè Israelitæ de-

ellarint Gentiles, qui infideles tantùm erant. Resp. hoc fecisse ex voluntate, & præcepto Dei, ut vindices justitiæ divinæ. Si dicatur Eccles. 10. *Regnum à Gente in Gentem transfertur propter injustitias*: Hoc non est contra nos; non fit enim mentio de translatione regni ab infidelibus ad fideles, sed de quacumque: tum à fidelibus ad fideles, tum ab infidelibus ad infideles, quam Deus permittit propter peccata, sive invadentes occupent licitè: sive non. Si Gregorius Papa laudavit Gennadium Exarcham Africæ, quòd debellaverit infideles, ut apud illos Evangelium prædicaretur; illi erant Apostatæ, & Hæretici, ut patet ex Epist. 72. ipsius Gregorii; ergo compelli poterant ab Ecclesia. Dum Alexander VI. concessit Regi Hispaniæ Ferdinando, & Elisabethæ insulas Occidentales ab ipsis repertas aut quę posteà reperirentur, per hoc non concessit illis dominium illarum; sed tantùm licentiam mittendi ad illas Prædicatores quibus converti possent, & posteà patrocinium, & intendentiam super illos, quando essent conversi: Quòd si dedisset illis dominium, in hoc facto particulari erraret. Si contrarius offeratur Cyprianus loco pro nobis anteà citato, loquitur de Apostatis. Si dicatur, infideles propter injuriam Deo factam posse puniri: a Deo concedo: ab hominibus semper, nego. Si dicatur, posse puniri propter injuriam factam hominibus, & à fortiori propter factam Deo; negatur quia Deus punire solet vel in hac, vel in altera vita.

Dico ultimò. Quantùm ad dominium infidelium, quòd infideles Principes retineant super Fideles recenter conversos dominium antiquum, quod habebant super illos, ante-

quam

quam essent conversi; nam jus dominii est de jure Gentium, & distinctio Fidelis ab Infideli est tantùm de jure divino positivo, quod cedere debet juri Gentium. Quantùm ad dominium novum, non debent Principes, nec domini Infideles acquirere ullum super Fideles. Hoc enim prohibetur ex decreto, & in decretalibus: quia hoc cederet in scandalum, & in periculum Fidei, Certum est, Ecclesiam posse privare infideles dominio illo antiquo, quando illi infideles subditi sunt Principibus Christianis: & ideò servi Judæorum apud Christianos existentium liberi fiunt, dum convertuntur. An autem Ecclesia possit privare Infideles fidelibus non subditos illo dominio antiquo: affirmat D. Thomas propter suam infidelitatem. Negant alii rectiùs, quia nullam Fideles habent jurisdictionem in Infideles; Si tamen Principes Christiani viderint Principes Infideles afferre aliquod obstaculum suis subditis fidelibus, vè laluti vacarent, possent vi, & armis illud semovere, & dominio privare, sed hoc est per accidens, & in pœnã injuriæ, quã inferrent Fidei.

QUÆSTIO II.

Quid dicendum sit de Hæresi.

HÆresis, secundùm nomen idem est, ac electio, ita quòd omnis opinio quam quis eligit, sive bona, sive mala, sit Hæresis, juxta verò usum communem, in malam partem sumitur pro opinione Fidei contraria.

Dico primò, quod Hæresis sit error Fidei contrarius cum contumacia in homine baptizato existens. Dicitur 1. *Error*, quia omnis falsitas est error, & Hæresis includit assensum

falsum. Dicitur 2. *Fidei contrarius*; sic error in scientiis naturalibus non est Hæresis. Dicitur 3. *Cum pertinacia*; unde qui falsam opinionem nondum determinatam defenderet sine obstinatione, & paratus esset corrigi, non esset hæreticus formaliter. Dicitur 4. *In baptizato existens*: ille enim, qui non est baptizatus, non recepit fidem; & qui non recepit fidem, non est Hæreticus, sed infidelis. Hic notandum est, Hæresim, & pertinaciam hæreticam non consistere in mora, & duratione temporis, sed in deliberato assensu voluntatis, quo aliquis ita determinatus est ad talem propositionem credendam quod illi vellet assentiri, etiamsi oppositum esset ab Ecclesia determinatum.

Dico 2. quod differentia sit inter propositionem hæreticam, erroneam, hæresim sapientem, temerariam, & scandalosam. Propositio Hæretica ea est, quæ docet aliquid contra fidem, & definitionem Ecclesiæ: modo illa definitio cognoscatur, qui enim ignoraret, non esset hæreticus: etiamsi ignorantia esset vincibilis. Sic Vasques in 1. 2. Disput. 126. cap. 2. Propositio erronea est ea, quę docet aliquid, cuius contrarium, licèt non sit ex fide, tamen ex principiis fidei sequitur. Propositio sapiens hæresim est ea, quæ licèt in se tolerari possit, attamen ex circumstantia personæ loquentis, aut loci, aut temporis, de hæresi suspecta est. Propositio temeraria est ea, quæ in re gravi à communi Theologorum conventu dissentit. Propositio denique scandalosa est ea, quæ avertit à bonis operibus, & proinde scandalum parit: ut si quis doceat multa sequi incommoda ex confessione, vel jejunio. Propositio Schismatica est ea, quæ nata est introducere Schisma,

id est,

id est, divisionem inter membra Ecclesiæ, Propositio blasphema est ea, quæ docet aliquid contra Honorem, Majestatem, vel Bonitatem Dei, ut Christum non esse mortuum pro omnibus; ubi propositio Hæretica est contra ejus veritatem. Porrò una propositio aliquando est simul hæretica, blasphema, scandalosa, &c.

Dico 3. tres requiri conditiones, ut aliquis dicatur hæreticus. Primo requiritur, ut aliquando professus fuerit Fidem Christianam ut jam diximus; non est tamen absolutè necessarium, quòd sit baptizatus, sed sufficit, quòd sit Cathechumenus. Secundò requiritur, ut in intellectu habeat judicium internum contra Fidem: unde qui ore tantùm Articulum fidei negaret, quem crederet mente, non esset verè hæreticus, nec subjaceret excommunicationi latæ contra hæreticos licèt posset puniri, ut hæreticus. Tertiò ut aliquis sit verè hæreticus, requiritur ut error internus sit cum pertinacia, ut explicuimus in prima assertione. Hic quæri potest, an dubium circa fidem sufficit ad hæresim? Ad quod respondeo, quòd qui positivè judicat articulum fidei esse dubium, hic est verè hæreticus; quia una veritatum fidei est, quòd omnia, quæ creduntur, sint certa, & non dubia; & si quis judicat articulum sibi propositum esse dubium, errat in fide, & est Hæreticus: Qui verò tantùm negativè dubitat de articulo Fidei, suspendendo suum actum, nec se determinando ad alteram partem, non est hæreticus; quia hæresis consistit in assensu, vel dissensu positivo.

Dico 4. Hæreticos, & Apostatas à fide posse simpliciter ad fidem revocari: modò hoc non obsit paci Ecclesiæ; immò & possunt morte puniri, nisi resipiscant. Hoc factum

fuit in veteri Testam. Deuteron. 13. 17. & 18. falsi Prophetæ, ii, qui à vera fide recedebant, jubebantur occidi; ergo & idem fieri potest nunc, cùm peccatum Hæreticorum, & Apostatarum sit gravius: quandoquidem veritas est illustrior. Hanc conclusionem trahit D. Cyprianus libr. de Exhortat. ad martyrium cap. 4. ex Novo Testamento. Matth. 7. Joann. 10. Act. 20. ubi Hæretici vocantur fures, & latrones: qui licitè interfici possunt. Idem habetur in Jure Canonic. cap. *ad Abolendum*: extra de hæreticis, & in Concil. Constant. Sess. 15. ubi contrarius error Joannis Hus damnatus fuit; & in Concil Calced. Act. 1. ubi dixit Dioscorus Episcopus Alexandrinus, *Si Eutiches præter dogma Ecclesiæ sapit, non solùm pœna dignus est, sed & igne.* Augustinus multis in locis, sed præsertim libr 2. contra litteras Petiliani cap. 83 probat, magistratum habere authoritatem animadvertendi gladio in hæreticos. Jus civile hoc etiam pronunciat. *Quicumque*, *L. Ariani*, & *L. Hæretici*. Ratio hæc omnia confirmat: quia hæresis non minùs turbat pacem Reipublicæ, quàm Furtum; Homicidium, & Adulterium, quæ pœna capitis plectuntur.

Dico 5. quòd Ecclesia non possit censuram excommunicationis infligere in hæreticos purè internos, quorum hæresis non manifestata fuit signo externo; quia Ecclesia, quæ est visibilis, non judicat nisi de actibus externis, vel internis per externos manifestatis, ut cum absolvit culpas internas, mediante Confessione. Quando hæresis prodiit signo externo, potest hæreticum excommunicare Ecclesia; & est prima pœna inflicta contra illos, ut habetur ex jure Canon. cap. *Cùm Christus*, & cap. *Excommunicatus*. Hanc pœnam

nam incurrunt Hæretici ipso facto; debet tamen Hæresis esse manifestata externo signo, ut diximus. Qui propter Hæresim incurrunt excommunicationem, privantur non quidem Potestate ordinis, quæ est à Caractere, sed potestate Jurisdictionis, quæ datur, & aufertur ab Ecclesia: Unde possunt validè consecrare, licèt non licitè; non possunt verò hæretici externi absolvere, nec licitè, nec validè. Hoc tamen intelligitur de publico hæretico non tolerato; quandiù enim ab Ecclesia toleratur, manet in jurisdictione sua. An propter hæresim amittatur dominium temporale, respondetur communiter non amitti jure naturali, quia dominium non fundatur in Fide: non amittitur etiam jure D. quod nullum extat in veteri, aut novo Testamento: sed de jure Ecclesiastico, dubitatur, an summus Pontifex possit privare Regem suo regno, dum in hæresim lapsus est: non intendimus aliquid concludere: alii affirmant, negant alii.

Dico 6. fidem servandam esse hæreticis, sive in contractibus, sive in Matrimonio, sive in Bello, sive in Causa Religionis, sive in salvo conductu. Prima patet; sed pro ultimo nobis objiciunt hæretici, quòd contra hanc veritatem combusti fuerint in Concil. Constant. Joannes Hussius, & Hieronymus Pragensis, non obstante salvoconductu Imperatoris Sigismundi: Immò & dicunt Patres hujus concilii definivisse fidem non esse tenendam hæreticis, ob quam causam ipsi noluerunt acceptare salvum conductum, ut accederent ad Concilium Tridentinum. Ad hæc, Respondeo primò, quod Imperator dederit tantùm salvum conductum de jure communi, quod datur securitas eundi, &

& redeundi contra violentiam, quæ contra ius potuisset afferri, salva semper iustitia, & executione iuris: Hoc autem servavit Concilium, & Imperator, nihil enim iniusti passi fuerunt illi hæretici, immò sunt iustè damnati; tùm quia Hussius clam fugam arripuit contra prohibitionem Imperatoris tum quia hæresim suam noluit abiurare, & sic non violavit Hussio fidem Imperator, sed è contra. Quoad Pragensem, non accepit salvum conductum ab Imperatore, sed citatus à Concil. Constant. oblato salvoconductu sub forma communi, & cum hac clausula, *Salva semper justitia* ex Sess. 6. comparuit convictus est, abiuravit hæresim Sess. 19. in hæresim relapsus fugit, reductus est, & combustus. Sess. 21. Resp. 8. nobis falsò imponere hæreticos, quod Patres Concil. Constant. doceant non esse servandam fidem hæreticis; verba enim Concilii, quæ habentur Sess. 19. *Presens sancta Synodus, &c.* docent tantùm, quod sæcularis potestas non possit impedire Ecclesiasticam, & exercere munus suum non obstante salvoconductu Principis: Et insuper docet, quòd Princeps promittens securitatem, à promissione solutus sit, dum facit, quod in se est.

QUÆSTIO III.

Quid dicendum sit de Apostasia?

APostasia nihil aliud est, quam recessus à Deo; cum ergo aliquis possit esse coniunctus Deo quadrupliciter, nimirum per Fi-

dem,

dem, per Obedientiam mandatis eius, per statum clericalem, & per Statum Religionis; ideò quadruplex est Apostasia, seu recessus à Deo; scilicet Apostasia à fide, ab obedientia, à statu clericali, & à Religione.

Dico primò, quòd Apostasia à fide est ea, qua quis fidem susceptam deliberate respuit: & hæc est Apostasia propriè dicta: quæ est species Infidelitatis, & vitium fidei impositum in intellectu residens, ubi aliæ tres sedem habent in voluntate. Non differt essentialiter ab Hæresi, quia habet idem obiectum nempè fidei dogmata; in Jure Canon. habetur idem titulus de Hæreticis, & Apostatis; sed differt tantum accidentario, & ratione gravioris offensæ, in quantum communiter Apostata omninò recedit à Fide, licèt aliquando recedat tantum ab aliquibus veritatibus quoniam, qui de Catholico fit Calvinista, Apostata dicitur, saltem latè.

Dico 2. Apostasiam ab obedientia esse recessum ab obedientia mandatis divinis debita, & sic, qui mortaliter peccat declinando à mandatis divinis dicitur Apostatare, iuxta id, quod habetur Eccl. 10. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo*. Et Jerem. 9. *Dereliquerunt legem meam, & non audierunt vocem meam*.

Dico 3. Apostasiam à statu clericali propriè non committi, dum quis recedit à minoribus, aut à tonsura clericali; sed tantum, dum recedit à maioribus, quibus annectitur cælibatus. Unde dum in minoribus existens ducit uxorem, aut iudicaturam suscipit, non peccat mortaliter, salvo contemptu.

Dico 4 quòd Apostasia à Religione, sit recessus à Religione post votum solemniter emis-

sum

sum cum dimissione habitus, & animo se eximendi ab obedientia. Qui habitum dimittit cum animo redeundi, non est apostata, peccat tamen mortaliter, & subjacet Excommunicationi latæ à Bonifacio VIII. Quam Excommunicationem incurrunt, ex Cajetan. illi, qui ita suum habitum occultant, ut percipi non possit, quia est materialis dimissio habitus. Qui habitum retinet, & fugit ab Ordine cum animo se eximendi ab obedientia, est propriè Apostata, quia deserit id, quod est essentiale Religioni: non tamen incurrit Excommunicationem latam cap. *Periculosa* contra Apostatas, quia hoc decretum includit dimissionem habitus.

QUÆSTIO ULTIMA:

Quid dicendum sit de Blasphemia?

DICO 1. Blasphemiam juxta etymologiam nominis sumi pro omni convitio, quo detrahitur de honore alicujus secundùm vero usum communem Doctorum, blasphemiam esse improperium in Deum, falsè dicendo aliquid inesse, quod illi non inest, vel illi deesse, quod inest reverà. Ratione primi blasphemant Calvinistæ, dum dicunt, Deum esse authorem peccati: Ratione secundi, blasphemant Judæi negantes divinitatem in Christo. Qui etiam attribuit creaturæ aliquam perfectionem Dei; v. g. qui dicit Regem esse omnipotentem: quia hoc est negare implicitè, attributa esse soli Deo propria.

Dico 2. licet Blasphemia strictè sumpta sit aliquid dictum externum contra Dei honorem tamen blasphemia late sumi potest pro dicto interno, & verbo mentali, quo quis concipit

pit Deum esse aliquid, quod non est, vel non esse id, quod est; pro tunc enim hæc concep. tio est blasphemia, licèt propriè blasphemia consistat in dictione externa, opponitur enim confessioni fidei. Porrò blasphemia potest fieri, vel in indicativo, dicendo 7 g Deus est miser; vel in optativo, utinam Deus esset miser! & hæc ultima est gravior, utpotè involvens formale odium Dei.

Dicò 3. Blasphemiam formaliter opponi virtuti Religionis, & ex accidenti opponi fidei. Primum patet, quia blasphemus detrahit honori, quem per virtutem Religionis Deo debet: & secundum constat, quia sicut per fidem debemus credere, & fateri ea, quæ Deo conveniunt, & non crèdere, quæ illi repugnant, contrarium facit blasphemia, & sic est contra confessionem Fidei. Licet blasphemia sit propriè contra Deum, dicitur tamen aliquando esse contra Sanctos, quorum honor, & dignitas est à Deo.

Dico 4. quod blasphemia in Spiritum sanctum, quæ Matt. 12. Marci 3. & Luc. 12. dicitur irremissibilis, diversimodè sumitur, sed tribus modis principaliter. Primò ab Origine, & Novatianis pro quocumque peccato commisso post acceptam Spiritus sancti gratiam in baptismo, juxta ad Hebr. 6. *impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, iterum renovari ad pœnitentiam*, sed hoc est hæreticum, 2. sumitur ab Aug. Ser. 12. de verbis Domini, pro finali impœnitentia: hoc est pro perseverantia in peccato usque ad mortem; & sic sumpta, est irremissibilis in hoc sæculo, & in futuro, supposito, quòd quis perseveret in peccato, usque ad mortem inclusivè, sic & Scotus, 3 Sumitur à Magistro sentent. in 2. Dist. 43 pro omni peccato, in quo est gradus malitiæ

parti-

particularis quæ malitia opponitur Spiritui sancto, cui appropriatur bonitas, & ista peccata sex numerantur communiter, nempè desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ, invidentia fraternæ gratiæ, impœnitentia, seu propositum non pœnitendi, & obstinatio, seu voluntas adhærendi peccato. Si sic sumatur blasphemia in Spiritum sanctum, non est remissibilis absolutè, sed difficillimè remittitur.

DE SPE.

SPes dicitur à Paulo *substantia rerum sperandarum*, in quantum per fidem nobis innotescunt ea, quæ sperare, & ad quæ aspirare debemus, unde disputationi de Fide aliam de Spe meritò subjungimus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Spes.

SPes sumitur primo pro objecto, quod speratur, *Spes, qua videtur, non est spes* Rom. 8 2. Pro actu sperandi. Roman. 8. *Spes salvi facti* sumus 3. Pro habitu spei. 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas.* De S. e hoc tertio modo sumpta nostra currit quæstio.

CONCLUSIO.

SPes est virtus Theologica, qua à Deo expectatur beatitudo nostra obscurè cognita, ipsaque ardua, captum naturæ superans possibilis tamen ex gratia. Dicitur primo, *Virtus*, quia concurrit ad reddendum hominem Deo gratum, & reddit ejus opera bona.

Dici-

Dicitur 2. *Theologica*, quia habet idem objectum ac Theologia nempè Deum, ut excedentem facultatem naturalem, licet enim aliquo modo sperare possimus naturaliter in Deum, ut auctorem beatitudinis naturalis, non tamen possumus sperare naturaliter in Deum, ut oportet, & ut est author beatitudinis supernaturalis; & hoc juxta Conc. Trid. sess. 6. cap. 3. *Si quis dixerit hominem sine Spiritus sancti gratia, & ejus adjutorio posse Credere, Sperare, & Diligere, sicut oportet, Anathema sit:* Ex quo patet, Spem esse virtutem Theologicam, & supernaturalem. Dicitur 3. *Qua expectatur à Deo beatitudo nostra*, quia solus ipsam conferre potest. Dicitur. 3. *Ob. scitè cognita*; quæ speramus.

QUÆSTIO II.

Quodnam sit subjectum proximum Spei?

Hic loquimur de subiecto *quo* spei; id est, de potentia in qua Spes immediatè resideat. Primo intuitu me rapuit communis modernorum, ut cum illis dicerem Spem esse in voluntate, tanquam in subiecto inhæsionis, quam opinionem probabilem indicat Scotus dicens, Spem nihil aliud esse, quàm desiderium alicuius boni absentis: nihil tamen maturius consideranti, & exactè perpendenti, maximam esse differentiam inter has locutiones, *spero beatitudinem*, & *desidero beatitudinem*: visum est, ipsam Spem potius consistere in intellectu, quàm in voluntate.

CONCLUSIO.

Habitus Spei est in intellectu, & proinde actus eius est actus intellectus; quia sperare

nil aliud est quàm opinari credere, & sibi persuadere aliquod bonum esse in nobis futurum; hæc omnia autem sunt actus intellectus; Ergo Spes est actus intellectus; & Spes distinguitur à fide, quòd per Fidem credamus v. g. beatitudinem in se, per Spem verò credamus beatitudinem à nobis esse, ex liberalitate Dei possidendam.

Probatur 1. ex definitione Spei, quę à Magistro, & aliis dicitur expectatio beatitudinis, unde ad Philip. 3. habetur, *Expectamus Salvatorem*, & Symb. Nicæno, *Expecto resurrectionem mortuorum*, id est; spero mortuos resurrecturos: Atqui expectare pertinet ad intellectum ex D. Thom. 1. 2. q. 46. dicente, quòd expectare sit ex alio spectare, & spectare sit idem ac respicere; Unde Clemens Alexand. lib 2. Stromatum, postquam dixit Spem esse expectationem boni futuri, subjungit, expectationem esse opinionem futuri: Quod justificatur per communem loquendi modum, in quo, cùm dicimus, nos aliquem expectare, significamus, nos arbitrari illum venturum. Hoc confirmat August. Enchirid. cap. 8. *Cùm bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud quam sperantur*. Sperare ergo idem est; ac credere, juxta Marci 11. *Quidquid orantes petitis credite*, id est, Sperate, *quia accipietis*.

Probatur 2. Si Spes esset desiderium boni futuri, ut vult contraria opinio, ubi desiderium esset magnum, Spes esset magna: & ubi desiderium esset parvum, Spes esset parva sed videmus magnum desiderium cum exigua spe, & magnam spem cum exiguo desiderio; ergo spes non est desiderium. Probatur minor in hac hypothesi. Dentur duo Ecclesiastici, quorum unus sit dives, & benè acceptus Regi, & alter sit pauper, & Principi ignotus,

spe-

sperent beneficium, tunc dives magnam habet Spem de beneficio consequendo qui est acceptus Regi, & parvum desiderium quia cùm sit dives parum curat de beneficio: Alius verò parvam Spem habet, quia est ignotus Regi; & ingens desiderium, quia ratione paupertatis indiget beneficio; ergo desiderare, & sperare non sunt idem: aliàs damnati possent dici sperare beatitudinem, quia illam possunt desiderare.

Probatur 3. ex vitiis oppositis Spei: habitus enim, & vitium illi oppositum, sunt in eodem subjecto, cùm contraria se invicem ab illo expellant, sed desperatio, & præsumptio, quæ sunt vitia opposita Spei, sunt in intellectu: ergo & Spes. Prob. minor quoad desperationem, quia ad illam requiritur solum hoc judicium, quo intellectus judicat se non salvandum esse, ratione peccatorum. Probatur etiam quantùm ad Præsumptionem, quia per illam vel homo se salvandum putat propriis viribus, vel judicat se salvandum ex sola gratia sine operibus, vel arbitratur se facile veniam peccatorum obtenturum; sed hæc omnia consistunt in judicio: ergo Præsumptio est actus intellectus.

Obiic. Spem consistere in desiderio: quia nullus dicitur sperare bonum futurum, nisi illud desideret: ergo desiderium est de ratione Spei. Resp. præsupponi quidem desiderium ad Spem, quia Spes habet pro objecto bonum desideratum; non tamen consistit Spem in desiderio propter rationes allatas, sed opinione consequendi illud bonum.

Obiic. 2. Per Spem tendimus in Deum summe bonum, sed bonum est objectum voluntatis: ergo Spes est actus voluntatis. Resp. bonum ut sic esse quidem objectum voluntatis,

tatis, unde ipsum desideremus: bonum verò desideratum, ut à nobis possidendum potest esse objectum intellectus, dum scilicet illud speramus opinantes nos aliquando ipsum possessuros.

QUÆSTIO III.

Quodnam sit subjectum remotum Spei?

POstquam assignavimus subjectum proximum Spei, seu subjectum *quo*, nimirum intellectum, in quo Spes inhæret immediatè, loquendum venit de subjecto mediato, seu de subjecto *quod*, & hoc est quærere, quænam sint personæ in quibus Spes reperiatur, an in solis Viatoribus, an in omnibus, an in beatis, an in damnatis, an in Animabus Purgatorii, an in Hæreticis.

DISPUTATIO PRIMA.

SPes est in solis viatoribus, non omnibus, quia non est in illis, qui non habent Fidem, cum Fides sit fundamentum Spei: unde Judæi, Turcæ, & Hæretici non habent propriè Spem ex defectu veræ Fidei. Non est etiam Spes omnibus Catholicis, quia illi, qui desperant de sua salute, Spem amiserunt, nam sicut habitus Fidei deperditur per quemlibet actum infidelitatis, ita habitus Spei etiam deperditur per quemlibet actum, quo quis desperat de salute, vel mediis ad salutem, manet probata prima pars conclusionis.

Probatur alia pars, quia in Beatis, & in damnatis non reperitur Spes: ergo est in solis viatoribus. Quod Spes non sit in Beatis, patet, quia Spes est boni futuri & absentis, Rom. 8.

Spes, qua videtur, non est Spes, Beati autem jam beatitudinem possident. Deinde Spes est circa arduum: quod verò possidetur non amplius arduum est. Tandem Spes est motus Metaphoricus, quo quis tendit in Deum motus autem cessat, dum mobile est in termino: ergo in Beatis non est Spes. Quòd non reperiatur etiam in damnatis, evidens est, quia Spes tendit ad bonum, quod apprehenditur possibile, & futurum, sed certò sciunt damnati, se numquam esse salvandos, sed in æternum damnandos, aliàs non essent absolutè miseri, ergo in damnatis non est spes, immò sola in illis viget Desperatio, quæ opponitur Spei.

Obiic. In Beatis esse Spem non quidem respectu objecti primarii nempè Dei actu possessi, sed respectu objecti secundarii nempè respectu gloriæ corporis, & respectu beatitudinis aliorum quam sperant. Alii hoc concedunt, facilius negarem, quia expectatio, quam habent de gloria corporis, non est illis ardua, ut beati sunt, nec incerta. Quantum ad beatitudinem aliorum, est quidem ardua respectu beatificandorum, non respectu illorum, qui iam beati sunt. Quando dicitur, quod sperent continuationem suæ beatitudinis, non est propriè Spes circa illam, quia Spes est semper cum timore.

CONCLUSIO SECUNDA.

ANimæ in Purgatorio existentes habent Spem, non verò Hæretici. Primum patet, quia expectant beatitudinem, quam cognoscunt obscuram, futuram, absentem & arduam, utpotè acquirendam per pœnas quas patiuntur, non quidem merendo per illas, sed

satisfaciendo: Deinde, tempus, quo perve-nient ad beatitudinem, est illis incertum, licet sint certæ de beatitudine in se. Secundùm probatur ex hoc, quòd Spes Theologica fundetur in Fide Theologica infusa & supernaturali: sed non habent Fidem Theologicam supernaturalem, sed tantum humanam, ergo non habent Spem Theologicam & Supernaturalem, sed tantùm Spem humanam, qua sibi fingunt salutem posse adipisci. Quòd si dicatur. Hæreticos non desperare de salute sua; hoc verum est positivè, & contrariè: quia non habent actum desperationis; falsum tamen est negativè, & privative, quia carent actu verè Spei Theologicę, quia ista fundatur in Fide, quam non habent.

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit objectum Spei?

LIcèt contra clamores Hæreticorum Spem nostram collocare possimus in bonis operibus ex gratia factis, quandoquidem nos conducunt ad beatitudinem ex 2. Petri c. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*, & etiam in Sanctis quorum intercessione gratia obtinere possumus à Deo: non tamen hæc omnia sunt objectum nostræ Spei, sed aliud quærimus, & illud docebit.

CONCLUSIO.

OBjectum totale & adæquatum Spei est omne bonum supernaturale, quod à Deo expectare possumus concernens beatitudinem. Illud autem objectum totale dividunt Doctores

ctores in objectum primarium, & secundarium. Objectum primarium est Deus possidendus per visionem, & amorem; & objectum secundarium sunt auxilia ad beatitudinem necessaria, gloria corporis, & aliorum beatitudo, quæ omnia à Deo expectantur. Hoc constat ex se; sed ne diutius immoremur, procedamus per certas quæstiunculas ad examinationem eorum, quæ superfunt dicenda de Spe, & vitiis illi oppositis.

Quæri potest utrùm Sperare possimus in homine. Ad quod Resp. primò, nec beatitudinem, nec dona supernaturalia sperari posse ab homine, tanquam à causa principali, juxta Jerem. cap. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine*: Homo enim non potest conferre alteri beatitudinem, nec dona supernaturalia, quorum solus author est Deus. Resp. 2. hæc omnia posse sperari ab homine tanquam à causa instrumentali; in quantùm unus homo potest à Deo impetrare gratiam pro alio homine, & proinde beatitudinem; quo sensu D. Gregorius lib. 1. dialogorum cap. 8. docuit prædestinationem juvari precibus Sanctorum, & Augustinus serm. 18. de Sanctis, ita cum Virgine loquitur: *Tu es spes unica peccatorum, per te speramus delictorum veniam: & in te, beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum.*

Quæres utrum spes debeat dici certa? Spes aliqua potest intelligi certa dupliciter; primò, quando id, quod speratur, certò & infallibiliter evenit, sive ponantur media, sive non ponantur; & hoc modo Spes Christiani de beatitudine acquirenda non est certa, quia beatitudo sane non dabitur nisi illis, qui media ad illam necessaria adhibebunt. Secundò potest Spes intelligi certa, quæ nititur

mediis

mediis ita infallibilibus, ut illis positis, id, quod speratur certò & infallibiliter eventurum sit; & hoc modo Spes nostra certissima est, ex ad Rom. 5. *Spes autem non confundit*.

Quæres 3. quodnam sit motivum Spei; Resp. motivum Spei esse liberalitatem & misericordiam Dei: ideò enim speramus, nos aliquando esse consecuturos beatitudinem, quia Deus illam nobis per suam bonitatem promisit, & auxilia ad illam acquirendam necessaria nobis pollicitus est. Ratio nostra petitur ex proportione ad Fidem; sicut enim in Deum credimus propter Deum summè veracem in dicendo, ità quòd Deus sit obiectum materiale Fidei, & veritas eius sit obiectum formale illius, seu motivum ob quod in Deum credimus; sic etiam beatitudo, seu Deus possidendus, est objectum materiale Spei, & liberalitas eius coniuncta cum Fidelitate in largiendo ea, quæ promisit, est obiectum formale, seu motivum, propter quod speramus.

Quæres 4. Utrùm liceat operari intuitu mercedis æternæ? Hoc negant Hæretici, affirmant Catholici in Concil. Trid. sess. 6. Cano. 11. *Si quis dixerit hominem justificatum peccare, dum intuitu mercedis æterna bene operatur, anathema sit*. Unde ipsemet Deus proponit hoc motivum bene operandi. Deut. 12. *Observa & audi omnia, quæ præcipio, ut benè sit tibi*: Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* &c. 1. Facite eleemosynas, *ut recipiant vos in æterna tabernacula*. Sic & David Ps. 18. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes in æternum propter retributionem*. Ratio nostra est, quia operari bene ob mercedem nec est ex se malum nec ulla legè prohibetur. Si Bernardus dicat,

Deum

Deum esse diligendum absque mercedis intuitu, loquitur de Charitate perfecta. Sic *Joan* 10. vituperantur pastores mercenarii; ibi fit mentio de illis Pastoribus, qui sola Spe mercedis temporalis laborant, & tempore persecutionis deserunt laborem.

Quæres 5. utrùm Fidelis possit sperare beatitudinem ex meritis suis, quæ sunt à gratia? Resp. affirmativè contra Hereticos, ex D. Paulo 2. ad Tim. 4. *Bonum certamen certavi*, &c. *in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*, &c. Et ex multis locis Scripturæ, ubi gloria vocatur merces, brâvium, retributio; sed non potest esse merces, nisi quia illam meremur: ergo possumus sperare beatitudinem ex meritis nostris, Attamen in hoc gloriari non debemus, quia merita nostra sunt à gratia; & quando Deus coronat merita nostra, nil coronat nisi dona sua, ex Aug. An autem meriti nostris gloria debeatur ex condignitate operis, negavimus aliàs loquendo de merito; sed debetur ex fidelitate Dei, qui pro sua bonitate promisit beatitudinem exiguo operi.

Quæres 6. quænam sint ea, quæ conjunguntur cum Spe. Respondeo, duo reperiri inter alia, nempe desiderium, quod antecedit Spem, & timorem, qui sequitur illam. Desiderium, inquam, beatitudinis antecedit, ex quo Spes oritur, sicut ipsum desiderium sequitur ex amore concupiscentiæ, quo Deum possidendum amamus. Timor etiam resultat ex Spe, quia timemus privari beatitudine, quam speramus. Totum ergo negotium spei sic se habet; Primo amamus Deum, & beatitudinem amore concupiscentiæ; ideſt, quia nobis est bonus, & non quia in se est bonus, in quo consistit amor amicitiæ. Secundò, Deum

nobis bonum desideramus possidendum. Tertiò speramus, quòd aliquando illum simus possessuri, utendo auxiliis ad hoc necessariis, quæ nobis offert pro bonitate sua. Quarto denique timemus, nè privemur possessione boni sperati, non sectando media ad illud conducentia. Sed quia multiplex est timor, dubitari potest quinam sit actus Spei.

Quæres 7. quisnam Timor sit actus Spei? Resp. primò duplicem esse Timorem, nempe Servilem & Filialem, ut omittam Mundanum, quo mala temporalia timentur, ut paupertas. Servilis timet offensam metu pœnæ; Filialis timet offensam amore Dei, & virtutis; iste dicitur Filialis, quia filii ingenui hoc timore timent offendere parentes: & dicitur etiam castus, quia hoc timore mulier casta timet offendere sponsum. Ille dicitur servilis, quia servi metu verberum timent offendere dominos. Servilis duplex est, nempe servil ter servilis, & servilis simpliciter. Primus est, quo aliquis timet offensam propter solam pœnam, ita quòd amittat semper complacentiam in peccato, & vellet perseverare in peccato, si pœna non mulctaretur: & hic est vitiosus, & non est consequens actus Spei, quæ est virtus. Servilis simpliciter est ille, quo quis ex metu pœnæ timet peccatum, itaut nullam complacentiam retineat ad illud, & hunc esse bonum, tenent omnes, & esse actum Spei.

Quæres 8. quotuplex sit vitium oppositum Spei? Resp. duplex vulgò assignari, nempè Desperationem, quia aliquis peccat in Spem ex defectu; & Præsumptionem, qua alius in Spem peccat per excessum, Desperatio non consistit in fuga voluntatis, qua voluntas fugit beatitudinem tanquam impossibilem, si-

cut

cut dicunt illi, qui Spem esse in voluntate sentiunt; sed consistit in judicio erroneo, quo intellectus falsò judicat beatitudinem esse acquisitu impossibilem, vel quia gratia deest, vel quia peccata sunt majora, quàm ut venia possit illis tribui. Præsumptio etiam consistit in judicio erroneo, quo aliquis falsò judicat, se posse salvari sine gratia, vel ex gratia sine operibus, vel se facile veniam adepturum, quantumcumque gravia sint peccata. Hìc quæritur, num aliquando possit esse desperatio sine peccato? Ad quod Resp. quod si Deus alicui revelaret absolute suam reprobationem, posset ille desperare de sua salute; immò & deberet desperare, quia non licet opinari contra revelationem D. quæ infallibilis est.

Quæres ultimò, utrùm necessaria sit Spes? Resp 1. esse necessaria necessitate medii, quia sine illa non fit justificatio, quæ est medium necessarium; Ad Ephes. 2. *Spem non habentes sunt sine Deo in hoc mundo*. Resp. 2. esse etiam necessariam ex præcepto. Ps. 4. *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino* 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo*. Si dicatur actum sperandi esse imperfectum, quia refert Deum ad nos: Respond. quod non referat Deum ad nos, tanquam simus finis Dei, hoc est enim blasphemum: sed tantùm dici potest, quod Deus, ut objectum Spei nostræ induat relationem rationis ad nos, nempe beatificantis ad beatificatum. Porrò sicut datur præceptum de Spe, sic & præcipitur Timor, qui Spem comitatur, Psal. 32. *Timete Dominum omnes Sancti ejus*. Et Luc. 12. *Timete eum, qui potest mittere in gehennam*. Quantum ad

tempus: quo urget præceptum ſperandi: dico nunquam licitam eſſe deſperationem, quia eſt præceptum negativum: & ſperare debet quis non ſemper, quia eſt præceptum affirmativum, ſed quando Deum orat: prohibetur enim orare ſine Spe veniæ, & dum agit pœnitentiam, quæ ſine Spe veniæ nulla eſt; & dum tentatur de deſperatione, quia pro remedio Spem adhibere debet: denique dum tenetur elicere actum Charitatis, qui produci non poteſt ſine Spe.

DISPUTATIO TERTIA;

De Charitate.

NEminem latet, quin Fides ſit origine prior Spe, & Spes Charitate; quia per Fidem oſtenduntur, quæ ſperari debent, & per Spem, qua expectamus bona illa ſperata, accenditur Charitas. Ideo ergo volumus Fidem eſſe origine priorem Spe, & Spem Charitate, quia actus unius excitat ad actum alterius. Quantum ad prioritatem perfectionis; D. Paulus has virtutes Theologicas enumerans, ab imperfectiori ad perfectiorem tendit, & ſic Spes tenetur perfectior Fide, & Charitas utraque: ex Paulo 3. Cor. 13. *major autem horum eſt Charitas*. Quantùm ad diſtinctionem; diſtinguuntur illæ virtutes ſpecificè, ob diverſam rationem formalem objecti; licèt enim objectum materiale ſit idem, nempe Deus attamen illæ virtutes diverſimodè Deum reſpiciunt. Fides reſpicit illum quatenus eſt ſummè verax in dicendo; Spes, quatenus eſt ultimus finis à nobis poſſidendus; Charitas denique circa illum tendit, ut eſt ſummè bonus. In his

ergo

ergo virtutibus explicandis, more Apostoli ab imperfectiori ad perfectionem tendentes, postquam egimus, primò de Fide, secundò de Spe, tertiò agendum venit de Charitate: de qua tria capita instituentur: nimirum de natura Charitatis, de effectibus illius, & de vitiis illi oppositis.

CAPUT PRIMUM.

De natura Charitatis.

PEr Charitatem, Amor mutuus intelligitur ac honestus, quo aliqui se invicem diligant. An Amicitia reperiatur inter Deum, & hominem, dicendum est reperiri veram, & perfectam Amicitiam, non quidem æqualitatis, quia nihil creatum est æquale Deo, sed proportionis, in quantum Deus talem gradum amoris, & honoris tribuit homini, quo iste dignus est. Hoc patet ex Jo. 15. *Vos amici mei estis*; Et ibidem, *Jam non dicam vos servos, sed amicos*. Illa amicitia dicit mutuam benevolentiam, nam homo aliquando amat Deum propter seipsum; & Deus amat hominem, ut illi faciat bonum, in quo est benevolentia, quæ non impeditur per hoc, quod Deus referat illud bonum ad suam gloriam, nam honesta Amicitia non impedit, quin omnia referantur ad ultimum finem. Porrò si Deus nos amet & nos Deum, est perfecta Charitas, & Amicitia; si verò Deus non amet, & non redametur, est tantum Benevolentia, non amicitia, aut perfecta Charitas.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Charitas?

MAgister Sententiarum sibi aliàs persuasum habuit, Charitatem habitualem non esse donum aliquod creatum, nec virtutem infusam, sed esse Spiritum sanctum, qui actum dilectionis sine virtute intermedia operatur. Sic habet in 2. Sent. Dist. 17. littera B, quod clarius explicat littera S. Contra ipsum clamat Scriptura dicens ad Gal. 5. *Fructus autem Spiritus est Charitas.* Et 1. Joan. 4. *Diligamus nos invicem, quia Charitas ex Deo est:* Et ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hæc omnia ergo dicunt Charitatem non esse Deum, sed esse effectum Dei: Unde si Jo. 4. habeatur, *Deus Charitas est:* hoc dicitur de Charitate, qua Deus nos diligit. Si etiam Augustinus lib. 8. de Trinit. c. 7. & 8. dicat dilectionem, qua nos invicem amamus, esse ipsum Deum, hoc intelligitur effectivè, sicut dicitur Christus justificatio nostra, quia illam operatus est, non formaliter, alias non posset Charitas crescere, minui, amitti, recuperari, quæ tamen vera sunt. Cùm ergo Charitas non sit formaliter Deus, quærimus quid sit.

CONCLUSIO.

CHaritas est *Virtus Theologica omnium Virtutum excellentissima, qua Deus propter se diligitur, & proximus propter Deum.* Dicitur I. *Virtus Theologica*, quia respicit Deum qui est objectum Theologiæ, & ut etiam ex-

clu-

eludatur ab amore, quo Deum naturaliter diligimus ut authorem naturæ, qui amor non est virtus Theologica, nec consequenter Charitas.

Dicitur 2. *omnium Virtutum excellentissima*, quia dum Mattheus c. 22. loquitur de præcepto charitatis, vocat illud *primum & maximum mandatum*. Ad Colos. etiam habetur, *Super omnia hæc mutuam charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis*. Quod verum est, nedum de charitate erga Deum, sed & erga proximum; quia est tantùm una Charitas, quia Deum propter se, & proximum propter Deum diligimus: licèt in Charitate sint duo actus, ob quos statuuntur duo mandata, de dilectione Dei, & proximi. Quod Charitas sit omnium virtutum maxima, patet: quia virtutes Theologicæ sunt aliis præstantiores, & inter Theologicas Charitas præcellit, quia magis Deo adhæret: Deinde est omnium virtutum forma, saltem extrinseca, & in ratione meriti, ut diximus q. 4 cap. 1. de fide. Si martyrium sit perfectissimum: hoc est, quia imperatur à Charitate sicut paupertas voluntaria.

Dicitur 3. *qua Deus propter se diligitur*: quia si Deum diligamus propter nos, hic amor complacentiæ potius spectat ad Spem ut diximus, quam ad Charitatem perfectã. Per charitatem debemus amare Deum super omnia appretiativè, quia debemus illum præferre omnibus bonis, quibus infinitè nobilior est: non tamen tenemur ipsum amare super omnia intensivè, quasi amor erga Deum debeat esse intensior, quam circa omnia aliud bonum, cum enim hoc non possit scire homo. semper scrupulis turbaretur, an amaret Deum super omnia. Ut ergo impleatur præceptum de diligendo Deo ex toto corde, sufficit quòd

Deus ametur sincerè, quòd anteponatur omnibus, & quòd quis præferat omnem pœnam offensæ, quæ frangeret amicitiam cum Deo.

Dicitur 5. *& proximus propter Deum*: per quod denotatur aliquid quod est tantum accidentale Charitati; non enim est de essentia Charitatis, ut ametur revera proximus: si enim esset tantùm unus homo in mundo, ille per veram Charitatem Deum amaret, & ipsius objectum esset simpliciter perfectum; posito tamen, quod sint homines in mundo, debemus per Charitatem Deum diligere propter se & proximum propter Deum: & tunc Charitas habet duo objecta, unum primarium & absolutum, nempe Deum: aliud secundarium & relativum nempe proximum, qui propter Deum diligitur.

QUÆSTIO II.

Quodnam sit objectum Charitatis?

NOn proponimus quæstionem de subjecto, in quo inhæreat Charitas, quia constat satis subjectum proximum ejus esse voluntatem, quæ *cor* communiter vocatur: Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*. Et Luc. 10. *Diliges Dominum ex toto corde tuo:* Subjectum verò temotum est Angelus, vel homo, sive in via, sive in patria: nam *Charitas nunquam excidit*. 1. Cor. 13. In demonibus nulla est charitas, immò Deum odio prosequuntur; nec etiam in Deo, quia in Charitate est aliquod accidens. De subjecto ergo Charitatis non multa dicenda sunt, sed de objecto plura.

CON.

CONCLUSIO PRIMA.

OBjectum materiale charitatis sumptę extensivè, est quidquid amari potest propter Deum, Objectum verò charitatis intensivè sumptæ primarium, & absolutum, etiam adæquatum, est Deus.

Probatur primum, quia illud cadit sub objecto charitatis extensivè, quod potest amari ex motivo charitatis, sed quid amari potest propter Deum; amator ex motivo charitatis, nempe propter Deum ergo objectum charitatis extensivè est quidquid propter Deum potest amari.

Probatur 2. Per objectum primarium, adæquatum, & absolutum intelligitur, quod potest primariò, & proper se amari, sed solus Deus primariò, & propter se amatur; & omnia alia propter Deum; ergo solus Deus est primarium, absolutum, & adæquatum objectum charitatis.

CONCLUSIO SECUNDA.

OBjectum formale charitatis est quælibet perfectio divina, propter quam Deus amatur, ita quod dum amatur Deus ut sapiens, sapientia sit objectum formale hujus charitatis, si ametur ut misericors, misericordia est objectum formale, si ametur ut sapiens, simul & misericors, sapientia, & misericordia simul apprehensæ eruont objectum formale illius amoris. Ratio est, quia objectum formale nihil aliud est quàm motivum, ob quod actus elicitur, sed quæcunque perfectio divina est motivum, propter quod elicimur actum amoris circa Deum: ergo

ergo est objectum formale.

Objicies: ergo dantur amores Dei diversi specie, si sint in Deo diversa objecta formalia. Respondent alii, hoc esse verum: alii negant, quia omnes illi actus conveniunt in ratione communi, nempe in hoc, quod semper ametur quælibet perfectio divina propter se.

QUÆSTIO III.

A quo sit Charitas.

ALius est amor Dei naturalis quo Deum diligimus, ut authorem naturæ, & proinde nostrum conditorem, alius est supernaturalis, quo diligimus, ut authorem gratiæ, & gloriæ. Omnes fatentur, primum amorem esse naturalem, quoniam natura proprio pondere, amore fertur in benefactorem suum: De secundo autem Pelagiani fatebantur quidem, Fidem esse à Deo, hoc autem negabant de Charitate: Unde contra illos arguit Augustinus lib. de Grat. & lib. Arbit. cap. 19 dicens: *Non audiunt Apostolum dicentem*, 1. Corinth. 8. *Scientia inflat, charitas ædificat. Quid enim inepcius, & ab ipsa charitate alienius, quam confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine charitate inflat, & ex nobis esse Charitatem, quæ facit ut scientia inflare non possit.*

CONCLUSIO.

CHaritas à solo Deo, qui gratuito in voluntate nostra illam infundit, ex ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.* & 1. Joann. 4. *Charitas ex Deo est.* Sic Concilia, Milevitanum Canon. 4. sub

sub Innoc. 1. Arausicanum II. Can. 25. & Tridentinum sess. 6. c. 6. & Can. 3. sic etiam Patres, & maxime Augustinianus loco citato. Ratio nostra est, quia per Charitatem amamus Deum, ut objectum supernaturale, nempe, ut authorem gratiæ, & gloriæ, & per illam meremur ipsum possidere; ergo ipsa debet esse supernaturalis; alias nos ipsos discerneremus, contra D. Paulum? *Quis te discernit.*

Obiic. Ex D. Thoma charitatem esse tantùm secundùm modum supernaturalem: ergo secundùm substantiam est naturalis. Resp. si sumatur actus Charitatis materialiter, & vitaliter, est quidem naturalis, sed pro tunc non est vere Charitas; si sumatur vero formaliter pro actu illo amoris, qui tendit meritorie in Deum per Fidem cognitum, tunc est supernaturalis secundùm suam essentiam moralem. Si ab Augustino Charitas dicatur introduci per timorem servilem, qui est naturalis? Resp. ex ipsomet aliquem timorem servilem esse donum Dei; deinde ab illo timore non producitur, nisi dispositive, sicut nec à Fide, aut Spe: sed à solo Deo formaliter infunditur.

Quæres, an charitas possit augeri? Resp. 1: non posse augeri secundùm essentiam, quia essentiæ rerum sunt indivisibiles sicut numeri: charitas in quarto gradu non est magis Charitas, quàm in secundo, licet sit major. Resp. 2. quod Charitas habitualiter sumpta non possit augeri objectivè; quia inclinat voluntatem ad amandum omnia, quæ sunt amabilia propter Deum, & præterea, quæ sunt amabilia propter Deum, nihil potest amare Charitas. Resp. 3: quod Charitas actualis possit augeri objective, in

quantùm plures perfectiones divinæ cognoscuntur, & proponuntur amandæ, sicut & plures proximi. Resp. 4. licèt Charitas non possit augeri essentialiter, potest tamen augeri entitativè, ita ut Charitas modo major sit, modò minor. Sic habetur ad Philipp. 1. *Ut Charitas vestra magis, & magis abundet.* Favet Augustinus Tract. 5. in prim. Joannis, *Charitas nata nutritur, nutrita roboratur, & roborata perficitur.*

Quæres, quomodo augeatur Charitas; Alii dicunt augeri per radicationem in subjecto, quatenus tenacius, & firmius adhæret subjecto, sed hoc falsum est, quia calor ferri candentis longe major est, quam calor manus ex temperamento: attamen calor firmius in manu adhæret, cùm difficilius evanescat: Unde Resp. charitatem, sicut cæteras qualitates intendi per additionem novorum graduum, qui distinguuntur à præexistentibus, & cum illis constituunt unam numero qualitatem quia augeri, est realiter perfici: Illud autem quod perficitur realiter, recepit aliquid reale de novo, & sic dum augetur charitas, non recepit tantum novum modum quo perfectiùs se habeat, sed novam perfectionem, & novum gradum quo evadat perfectior. Sic Scotus contra D. Th. in Sent. Dist. 17.

Quæres, à quo producatur augmentum charitatis? Alii dicunt hominem dici posse effectivè concurrere ad illud augmentum, & non tantùm moraliter, sed & meritoriè quia (inquiunt) sicut homo per actus virtutum naturalium, V. G. Temperantiæ producit effectivè augmentum temperantiæ, sic in virtutibus supernaturalibus, quando Deus produxit in illo charitatem per actus charitatis potest illam augere. Alii, ni fallor, meliùs

res-

respondent, hominem non concurrere nisi moraliter ad illud augmentum in quantum eliciens actum charitatis, meretur, quòd Deus Charitatem augeat, addendo illi novum gradum. Et ratio petitur ex hoc, quod debeat esse eadem causa rei, & augmenti. Cùm ergo solus Deus sit causa effectiva Charitatis, ex Aug. lib. 2. de Lib. Arbitr. c. 18. & 19. dicente de virtute infusa, quòd sit *bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur*, ergo etiam solus ipse est causa effectiva augmenti, maximè cùm augmentum Charitatis teneat locum præmii.

Quæres, an Charitas possit augeri per actus remissiores ipsa charitate: Alii negant, dicentes Charitatem ut quatuor augeri non posse per actum amoris ut duo. Alii dicunt posse reverà augeri per actus remissiores ipsa Charitate, modò sæpiùs repetantur: Ego verò respondeo, per quemlibet actum remissum intendi Charitatem: Primò, quia medium illustratum majori lumine magis adhuc illustratur, dum lumen minus majori additur. Secundò, quia augmentum gratiæ est merces meriti: ergo cuilibet actui Charitatis, qui est meritorius, debetur augmentum Charitatis. Tertiò, quia ex Scoto in 4. dist. 22. q. unica art. 2. *quilibet actus Charitatis quantumvis primus, & remissus, debet habere augmentum gloriæ essentialis*: Sed gloria essentialis datur per proportionem ad Charitatem: ergo augetur Charitas per quemlibet actum remissum. Quartò, illi gradus remissi non debent sæpiùs iterari, ut augeatur Charitas; ex hoc enim sequetur, quod deberet differri collatio augmenti gratiæ, donec alii actus elicerentur; quod falsum est; quia nulla est causa dilationis, nec ex parte

Dei,

Dei, qui liberalissimus: est nec ex parte hominis, qui, cum sit justus, est capax recipiendi augmentum, nec ex parte actus, qui est ejusdem rationis, & meriti, ac sequens.

Quæres, an Charitas possit semper augeri in hac vita? Aliqui asserunt, Scotum id negasse, & voluisse capacitatem voluntatis esse in certo gradu limitatam; & sic non posse amplius esse subjectum ulterioris Charitatis: sed Scotus voluit tantùm hoc intelligi de capacitate naturali voluntatis, non verò de potentia obedientiali, quam habet voluntas ad recipiendum à Deo quemcumque gradum Charitatis, etiam in infinitum syncategorematicum. Resp. ergo, quòd Charitas possit semper, & semper augeri sine termino dum sumus in hac vita: non est enim repugnantia ex parte agentis, & producentis, qui Deus est; est enim infinitæ virtutis ad perficiendam Charitatem: Neque ex parte formæ, quia nullam Charitas habet determinatam mensuram, maximè ut subest potentiæ Divinæ: Neque ex parte subjecti: quò plus enim Charitas augetur, eò plus auget capacitatem voluntatis nostræ; unde dicit Paulus, Charitatem dilatare, Charitas ergo ex dictis potest semper augeri, quantùm est ex parte Charitatis, & per respectum ad potentiam Dei absolutam.

Quæres, an possit minui Charitas? Altisiodorensis, Victoria, & quidam alii tenent peccata venialia vim habere minuendi Charitatem: tamen vulgò sentiunt Theologi, illa minuere tantùm ardorem, qui reperitur in actibus Charitatis, ob quod dicitur Prov. 14. *Septies in die cadit justus*; id est, cadit in languidiorem usum Charitatis: Unde resp. de potens-

tentia Dei absoluta Charitatem habitualem posse minui entitativè, quia Deus potest separare unum gradum ab alio, sicut unum addidit alteri: de lege tamen ordinaria non minuitur habitus Charitatis, sed totus conservatur, aut totus deperditur. Si enim minueretur Charitas, vel hoc fieret per actus bonos remissos, quòd non potest esse, cùm actus boni à Charitate procedentes, etiam remissi, non habeant vim alterandæ Charitatis: vel minueretur per actus malos venialiter (quia actus mortales illam destruunt), quod etiam non potest, quia si unum peccatum veniale tolleret unum gradum Charitatis, aliquando per multa venialia destrueretur tota Charitas, & sic peccata venialia mortem animæ afferrent, proindeque essent mortalia.

Quæres, utrùm penitus extingui possit Charitas: Resp. affirmativè contra Jovinianum, Pelagium, Begardos, & Beguinas censentes hominem in hac vita ad talem gradum Charitatis posse ascendere, ut redderetur impeccabilis, propterea quòd damnati sunt in Concil. Vien. contra etiam Vvicleffum, Lutherum, & Calvinum lib. 3. Instit. cap. 4. Probatur nostra resolut. ex Ezech. 28. *Si averterit se justus ab justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus non recordabuntur amplius.* 1. ad Cor. *Qui bene stat, videat ne cadat.* Ex quibus patet, Justitiam, & Charitatem posse amitti, & quod aliquando amissa fuerit revera. Hoc probat lapsus Luciferi, Adami, Davidis, Salomonis, &c. Objicint hæretici ex Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & nemo rapiet illas de manu mea:* Et 1. Joan. *Si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* 2. Joan. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, non facit peccatum: quia semen*

men ipsius in eo manet, & non potest peccare. Ad primos contextus dicendum, illos intelligi de prædestinatis; tertius verò intelligitur in sensu composito, non in diviso; idest, qui natus est ex Deo, quatenus natus ex Deo, non potest peccare, quod non impedit, quin per liberum arbitrium à Deo recedat, aliàs non diceret Paulus 1. Corinth. 9. *Castigo corpus meum, &c. ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Hæc omnia confirmat Conc. Trid. sess. 6. Cant. 13. *Si quis dixerit, hominem semel justificatum, amplius peccare non posse, atque ideò eum, qui labitur, & peccat, numquam fuisse verè justificatum, Anathema sit.* Maneat ergo quòd charitas penitus destrui possit, & destruatur actualiter per quodcumque peccatum mortale, ob repugnantiam formalem peccati cum charitate. Peccatum, inquam, destruit Charitatem moraliter & demeritoriè; quatenus per peccatum homo sit Dei inimicus, & ideò Deus tollit Charitatem, qua erat amicus. Si dicant aliqui, hominem corrumpere effectivè Charitatem per peccatum; hoc est quia concurrit effectivè ad peccatum, cujus forma opposita est Charitati. Si dicat Paulus, *Charitas numquam excidit*, loquitur de Charitate patriæ: ut patet ex 1. ad Cor. 13. ubi hoc habetur.

QUÆSTIO IV.

Utrùm detur præceptum Charitatis circa Deum?

CHaritatem esse necessariam necessitate medii, constat; quia sine illa nullatenus potest obtineri beatitudo, ex Apostolo, 1. Cor.

Cor. 14. dicente : & *Si linguis hominum loquar*. &c. *Charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans*, & posteà, *Nihil sum*, & deinde, *Nil mihi prodest*. Quærimus autem, an detur præceptum formale de Deo diligendo ; & quid nobis præcipiatur per illud ?

CONCLUSIO PRIMA.

LIcèt in Decalogo habito 20. cap. Exaudî, non habeatur præceptum formale de Deo diligendo, habetur tamen Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum*, & Matth. 22. *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua* : Licèt autem hoc præceptum non sit expressè in Decalogo, pertinet ad illud virtualiter, & antecedenter, quatenus omnia præcepta Decalogi deducuntur ex amore Dei.

Ex hoc præcepto tenemur primò : numquam Deum odisse : nec moraliter offendere, quia odium Dei, & quodcumque peccatum mortale est oppositum mortaliter tali amori. Tenemur 2. Deum aliquando, amare actualiter, producendo scilicet actum amoris super omnia, ita quòd non sufficiat amare illum virtualiter, martyrium subeundo propter Deum, aut præcepta observando. Quando nam hoc debeat fieri, mox dicetur. Tenemur 3. ipsum amare super omnia, nisi intensivè, saltem appretiativè, ut diximus quæst. 1. & ex charitate supernaturali cum gratia conjuncta ; quia hoc est necessarium ad salutem. Non tenemur tamen ad observandum in hac vita præceptum charitatis, secundùm omnem perfectionem quam sibi proposuit Deus in tradendo hoc præcepto :

quia

quia dicendo homini : *Diliges Dominum ex toto corde , &c.* per hoc voluit , ut semper homo adhæreat Deo per amorem , & numquam cessaret ab illo, quod tantùm implendum est in patria ex August. lib. de Spiritu , & Littera.

CONCLUSIO SECUNDA.

IN qualibet die Dominica nos teneri ad actum amoris Divini docet Scotus in 3. dist. 17. nisi ignorantia , aut opinio probabilis de opposito excusset Fideles : quia excellentia , & bonitas Divina exigit ut pro beneficio Creationis , Conservationis , & Redemptionis ipsum frequenter amemus : ergo præsertim debemus illum amare illo die , quem ipsemet assignavit pro cultu sibi reddendo. Confirmatur ex opinione adversariorum , qui fatentur , Fideles in hac die teneri ad abstinentiam operum servilium & ad aliquem cultum Deo exhibendum : quisnam autem cultus nobilior , quàm amoris divini , sine quo , vel habituali , vel actuali , omnis cultus est inutilis ? Quod si Fideles non accusent se in confessione , de transgressione hujus præcepti ; hoc est , quia existimant se ad illud non teneri. vel quia sequuntur opinionem contrariam , quam probabilem tenent.

CONCLUSIO TERTIA.

MUltæ aliæ occasiones assignantur , in quibus docetur , debere elici actum amoris divini. Primò tenetur quis amare Deum , quando pervenit ad usum rationis , & illi proponitur Deus amandus , & præceptum de illo amando. Secundò , cùm quis adul-

adultus suscipit Baptismum, quia cùm sedet Deo, tunc debet firmare suum propositum per amorem ipsius. Tertiò, cùm tenetur habere contritionem: quia ex amore procedit. Quartò, quando homo recipit à Deo aliquod singulare beneficium, cùm enim sit signum specialis amoris Dei circa nos, tunc probabile tenetur à Soto quod debeat redamari: Quintò, quando est necessitas subeundi Martyrium, quia est Sacramentum amoris ad quod accedere sine amore indignum esset. Septimò, instante morte, quo tempore opus est, ut se Fidelis conjungat Deo per actus Fidei, Spei, Charitatis, & aliarũ virtutum nè in æternum ab illo separetur. Porrò, cùm hoc præceptum affirmativum sit, & non constet liquidè de tempore, quo urgeat, consultissimum est, ut Fidelis se accuset sub dubio de omissione ejus.

QUÆSTIO V.

Utrùm detur præceptum Charitatis circa proximum.

EX Conclusione præcedenti. Deus est diligendus juxta cap. 6. Deuteron. *Diliges Dominum ex toto, &c.* quo loco Deus jussit Judæis, ut semper meditarentur in hoc præcepto, sicut in aliis, narrarent illa filiis, ligarent ea quasi signum in manu sua, scriberentque in eo limine, & in ostiis domus suæ: Unde apud eos usus erat, ut scriberent legem in duabus membranis, quarum una affigebatur ostio domus; alia affigebatur fronti, vel brachio, vel fimbriis, ubi illam portabant Scribæ, & Pharisæi, de quibus dicit Christus, Matth. 23. *Dilatant philacteria sua,*

sua: ideſt, membranulas, in quibus circa caput, brachia, & fimbrias geſtabant legem, ut haberetur ob oculos; Sed intelligebant nimis litteraliter præceptum, quod intelligi debebat ſpiritualiter, non de ſcriptione materialis legis, ſed de ſpirituali, & continua meditatione ejuſdem. Poſito ergo quòd Deus diligendus ſit ex charitate, quærimus, utrùm debeat etiam proximus diligi.

CONCLUSIO.

EX charitate debet proximus diligi. Sic habetur Levitici 19. *Diliges amicum tuum ſicut teipſum* Matth. 22. *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & proximum ſicut te ipſum*, Joann. 15. *Hoc mandatum habemus à Deo: ut qui Deum diligit, diligat & fratrem*. Quòd autem debeamus diligere proximum ex charitate, patet ex hoc quòd illa præcepta conjungantur in Scriptura: Unde ſicut tenemur diligere Deum ex charitate, & propter ſeipſum, ſic etiam ex charitate debemus diligere proximum ſcilicet propter Deum & amore ſupernaturali.

Quando dicitur, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*: non præcipitur æqualitas amoris: debet enim ſe quiſque magis diligere, quàm alium: ſed præcipitur ſimilitudo, ut videlicet fidelis amet proximum ſimiliter, ac ſeipſum: Primò ex parte finis, diligendo proximum in ordine ad Deum, & bona ſpiritualia ſicut ſe ipſum, & in hoc ſancta eſt dilectio proximi. Secundò ex parte objecti, nihil deſiderando proximo, quod ſit illi malum, ſed tantum quod eſt illi bonum: & ſic dilectio eſt juſta. Tertiò, ex parte modi diligendi, ut ſcilicet proximus diligatur, non

in

in perniciem sui, sed tantùm in utilitatem, & in hoc dilectio est vera: & illa amicitia non est vera, quæ cedit solùm in utilitatem, & delectationem diligentis.

QUÆSTIO VI.

Utrùm detur præceptum de diligendo inimico?

INimicus sumptus reduplicativè non præcipitur diligendus: quia inimicitia non potest esse motivum amoris: sed quæstio est de inimico specificativè sumpto: id est de illo homine, qui nobis inimicus est, & malum nobis irrogat: de quo potest, quæri, an sit amandus; quia Evangelium præcepit solam dilectionem proximi, & inimicus noster non censetur nobis proximus, quia dum Luc. 10. Pharisæus à Christo quæreret, quis esset proximus, Respondit Christus. *Qui fecit misericordiam cum illo*, sed quia hoc non obstante, alii erant etiam proximi, ideo erit.

CONCLUSIO.

PRæceptum datur de diligendo inimico; Matth. 5. *Diligite inimicos vestros*. Quod Christus præcepit sub peccato gravi quia Matth. 18 habetur, quod nec Pater cœlestis dimittet nobis peccata, nisi priùs dimiserimus fratri nostro de cordibus nostris. Hoc præceptum nedum est juris positivi divini, sed etiam juris naturalis: quia jus naturale dictat aliis faciendum esse, quod nobis volumus fieri, & unusquisque vult sibi bonum fieri ab alio, etiam ab inimico.

Non

Non obstet illud. *Matth.* 4. *Dictum est antiquis, odio habebis inimicum*, hoc enim non est dictum à Deo, neque à natura, nisi corrupta: unde Lyranus in cap. 5. Matth. cum Doctore, & aliis tenent, id non fuisse præceptum nec permissum antiquis, nisi quatenus pœna rationis introducta est ex authoritate justitiæ, qui exigebat, ut dens daretur pro dente, quod nunc non licèt. Semper tamen præceptum fuit ut homò homini optaret bona spiritualia, & æterna, quantumcumque damnum temporale ab ipsis passus esset, in quo consistit verus amor.

Ex hac conclusione sequitur exhibenda esse inimico obsequia necessaria, & valde utilia quæ illi exhiberentur, si non esset inimicus, v.g. si esset in extrema necessitate bonorum, vel necessitate gravi corporali, & multò magis spirituali. Quantùm verò ad obsequia non necessaria, nec maximè utilia, nullus tenetur ad illa præstanda inimico: nam ad hoc, ut dicatur diligere inimicum, sufficit quòd illi non velit malum, & quod ei exhibeat obsequia necessaria, & multùm utilia, modò non adsit scandalum.

Nullus ergo præcisè tenetur salutare inimicum, (quia hoc non debet etiam amico) nisi in casu scandali inimici, aut astantium, vel nisi esset in tanta authoritate constitutus, ut illi salus debeatur. Non tenetur etiam ipsum invitare ad convitum generale, quod tamen feciset cessante inimicitia, nec orare pro eo, quando orat pro amicis particularibus, nec ipsum diligere tanto amore, quanto diligebat eum anteà, nec illi tot exhibere signa benevolentiæ, quia hæc omnia sunt signa specialia amicitiæ, quæ sunt libera, sicut & habere liberam conversationem cum illo.

illo. Quod semper intelligendum est cum exclusione scandali; unicuique enim mandatum est de proximo. Si unus salutet alium: iste tenetur ad resalutandum, nisi esset tantæ authoritatis ut justè exigeret salutem, quam non teneretur reddere.

Quando ab inimico venia petetur humiliter, Jesus debet illam conferre: ex Charitate enim debet facere id, quod maximè conducit, ut proximus deponat inimicitiam, hoc tamen non esset verum, si probabiliter se ex ponere periculo gravioris injuriæ: & hoc etiam non impedit quin satisfactionem exigat, non ex metu vindictæ, sed ex affectu justitiæ; non tenetur enim cedere juri suo. Si duo sibi mutuò offensam intulerint, qui priùs offendit, priùs debet petere veniam, quia priùs læsis, & alter priùs acquisivit jus petendi satisfactionem; quod intelligitur, cæteris paribus, qui priùs enim levem injuriam intulit: ex qua secuta est major, non tenetur ad hoc.

QUÆSTIO VII.

Utrùm debeat esse aliquis ordo in actibus Charitatis?

MUlta sunt objecta, quæ debent ex Charitate diligi, sivè diligantur secundùm se ut Deus, Angelus, & Homo: sive diligantur in ordine ad alium, ut sanitas, & gratia, quam volumus amico, primò objectum primarium Charitatis est Deus, ut diximus. 2. Debemus amare nos ipsos, non quidem amore amicitiæ, qui est ad alterum, sed dilectione simplici. Debemus amare proximum, & consequenter Angelos, quos Augustinus lib. de doctrina Christiana cap. 30. vocat

pro.

proximos nostros; non verò dæmone, nec damnati sunt ex charitate diligendi, nisi quasi quatenus sunt entia à Deo creata; non autem ut damnati, quia à Deo separati sunt, & sic non possunt amari propter Deum. 4. Debemus ex charitate corpus nostrum diligere, quia est pars nostri, & via, quia est capax beatitudinis. 5. Peccatores sunt etiam amandi, quia sunt proximi nostri, qui ad beatitudinem pervenire possunt, & sic illis optare debemus gratiam, & gloriam 6. Tenemur ex charitate diligere inimicos, ut probabimus mox. 7. Licèt creaturæ rationis expertes non possint directè amari ex charitate, quia non sunt proximus noster, cùm non communicent nobiscum in natura intellectuali, nec sint capaces gratiæ, aut gloriæ: attamen possunt indirectè, tanquam media utilia ad salutem proximi. Cùm ergo hæc omnia cadant sub præcepto charitatis, & consequenter à nobis diligi debeant, quærimus, utrùm debeat esse aliquis ordo in charitate nostra, ita ut unum objectum debeamus plus amare, quàm alterum: posteà visuri in sequenti quæstione, quænam objecta sint aliis præferenda.

CONCLUSIO PRIMA.

DEbet reperiri aliquis ordo in charitate, secundùm quem tenemur unum objectum charitatis perfectioris diligere, quam aliud.

Probari potest ex Matth. 22. *Hoc est primum, & maximum mandatum, diliges Dominum Deum tuum*; debet ergo: primò diligi Deus. Dum postea verò additur: *Secundum autem simile huic: diliges proximum tuum: sicut te ipsum*; ex

hoc

hoc habetur, quod post amorem Dei, debeamus nos diligere, & postea proximum. Ratio hujus clara est, quia conferendo Deum cum creaturis, & creaturas inter se, constat Deum in æstimatione infinitè excedere creaturas, & proinde longè perfectiùs debere amari. Constat etiam unam personam debere præferri alteri, cæteris paribus, v. g. Parentes extraneis personis, Regem subdito, & Rempublicam privato homini: cùm inquam, talem ordinem recta ratio persuadeat, hoc etiam dictat Charitas quæ naturam non destruit, sed potiùs perficit.

CONCLUSIO SECUNDA.

ILle ordo Charitatis, quo præferendus est Deus creaturis, & unà creatura alteri, est ex præcepto; & ipse ordo manebit aliqualiter in cœlo.

Primum patet ex Scriptura, nam quando Matth. 22. habetur, *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut te ipsum*; præcipitur quod primò ametur Deus, deinde nos ipsi, denique proximus. Cùm etiam 1. Joann. 3. habetur? *Nos debemus pro fratribus animas ponere*: præcipitur, ut salutem proximi præferamus vitæ propriæ. Dum rursus dicitur ad Gal. 6. *Operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei*, innuitur præceptum de præferendis melioribus quod confirmatur ex 2. ad Timoth. *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*.

Secundum probatur ex 1. Cor. 13. *Charitas non excidit*: ergo manet Charitas in cœlo, & proinde ordo Charitatis, quo quilibet beatus volet majus bonum amore complacem-

tiæ illi, qui maius reverà possidebit. Eodem ordine magis appretiativè Deus diligetur quocumque alio: Posteà quilibet Beatus se magis diliget appretiative, & deinde illos, qui sibi sunt coniunctiores, non quidem coniunctione procedente ex naturalibus: sed ex præstantiore coniunctione cum Deo per gratiam, & gloriam, quæ coniunctio præponderat omnibus aliis affectibus; quod non impedit tamen; quin amore aliquo accidentario minus sanctus diligatur propter antiquam vitæ huius honestam amicitiam, ex D. Cypriano Serm. de mortalitate: *Magnus ille nos expectas charorum numerus, parentum, fratrum, & filiorum, ad horum conspectum venire quanta illis, & nobis latitia?*

QUÆSTIO VIII.

Quisnam sit ille ordo, qui extare debet in actibus Charitatis.

DE fide est, Deum ex Charitate supernaturali debere plus diligi, quàm nos ipsos, aut quemcumque proximum: tum ratione bonitatis, quæ infinita est in Deo, & per essentiam, finita verò in qualibet creatura, & per participationem: tum ratione modi, quo præcepit Deus, ut amaretur ab hominibus, *ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente*. Ex quo inferunt Doctores, Deum plus aliis diligi debere, primò obiective, in quantum debemus illi velle maius bonum, nempe infinitum; secundò, appretiative in quantum debemus Deum præferre omnibus creaturis, & tertiò intensive, saltem secundum Scotum in 3. Dist. 27. Sed. *De primo* dico, in quantum actu intensiori Deum diligere debeamus,

mus, quam ullam creaturam. Contrarium tamen sentiunt omnes ferrè Doctores, immò & noster Pontius aliàs Scotista, Quæst. 3. de natura Charitatis Concl. 2. Turma in. qua n, Doctorum tenet, quòd ut ametur Deus super omnia, & ex toto corde, sufficiat, si sincero corde omnibus præferatur, & addunt non esse verisimile, quod Deus præcipiat, ut homo amet Deum super omnia intensivè, cùm multi probi homines videantur, qui centies mortem præferrent peccato, attamen aliquid intensius amant quàm Deum, v.g. filios.

CONCLUSIO PRIMA.

NEdum ex charitate supernaturali Deum plus debemus diligere, quàm cætera omnia, de quo omnes conveniunt; sed etiam secundùm inclinationem naturæ Deum præferre debemus nobis metipsis, & proinde omnibus. Hæc conclusio est D. Thomæ, Scoti in 3. Dist. 27. q. un. & aliorum, contra D. Bonav. Albertum Magn. & Gabrielem putantes unumquemque magis se diligere, quàm Deum secundum inclinationem naturæ.

Probatur hæc conclusio; Primò, quia, si homo ex natura propenderet ad diligendum plus seipsum, quàm Deum, Charitas, quæ inclinat ad præferendum Deum sibi, repugnaret naturæ, quod falsum est; nam Charitas est instituta, ut perficiat hominem ut est naturæ intellectualis; ergo non ut destruat suam inclinationem intellectualem, qua inclinaretur ad se præferendum Deo. Secundò, quia lex naturalis præcipit, ut amemus Rem. publicam plusquam nos ipsos: ita ut moriamur, si opus sit, pro illa conservanda: ergo à fortiori debemus amare Deum plusquam nos,

etiam ex proscripto solo naturæ, cum ab illo plus pendeamus, quàm à Repub. Tertiò, quia omnis pars magis amat totum, à quo dependet, quam seipsam, ut patet de manu, quæ se exponit periculo, ut totum conservet: ergo debet creatura sibi præferre Deum, cujus est pars, & in quo conservatur. Quod si filius se plus diligat, quàm patrem, cujus est pars; hoc est, quia pater non est totum, in quo contineatur filius, & à quo dependeat in conservari.

Obiicies. Si ex inclinatione naturæ Deus est super omnia diligendus: ergo viribus naturæ, & sine gratia potest super omnia amari; quod tamen falsum est. Resp. si attenderetur pura voluntas hominis, & solum hoc præceptum de diligendo Deo super omnia, verum esset antecedens: si attendantur verò difficultates extrinsecæ, quæ reperiuntur in observatione hujus præcepti, utpote passiones, & concupiscentiæ, hoc præceptum non potest observari naturaliter. Si bonum proprium sit præferendum bono alieno, hoc verum est per respectum ad alia bona particularia, non verò ad bonum universale, quale est Deus.

CONCLUSIO SECUNDA.

QUoad bona spiritualia, quæ necessaria sunt ad salutem tenetur homo magis se diligere, quàm proximum; non verò quantùm ad illa, quæ non sunt ad salutem necessaria. Ratione primi quilibet tenetur sibi magis optare, Fidem, Spem, Charitatem, gratiam, & perseverantiam, quam alteri; Et ratione secundi, non tenetur sibi optare donum virginitatis, Statum Ecclesiasticum: nec gratias

tias gratis datas ; quæ dantur in utilitatem proximi . Primum habetur ex Matth. 16. *Quid prodeſt homini , ſi univerſum mundum lucretur?* Et ex Matth. 22. *Diliges proximum ſicut te ipſum* ; ubi dilectio ſui eſt regula Dilectionis proximi, & regula eſt prior regulato. Si 1. Corinth. 13. habeatur, *Charitas non quærit , quæ ſua ſunt* ; nocendo proximo, conc. quoad legitima, nego. Si Paulus Rom. 9. dicat; *Optabam eſſe anathema pro fratribus meis* ; hoc eſt in foro externo, quantùm ad commercium humanum ; non in foro conſcientiæ, & ex peccato . Si Moyſes Exod. 32. dicebat; *Aut dimitte illis hanc noxam , aut dele me de libro viventium*; loquitur de libro vitæ præſentis ex Hieron. vel de privatione beatitudinis ad tempus ex Aug. vel loquebatur per exaggerationem , confidens quòd Deus illis parceret.

Ex hac aſſertione multa concludit de Valentia ; Primò , quòd non liceat ullum peccatum committere propter ſalutem alterius nec etiam pro ſalute Communitatis, ex Auguſtino in Pſalm. 5. Secundò, quòd non liceat velle carere Gratia, aut Charitate, vel in perpetuum , vel ad tempus, propter ſalutem alterius, nec etiam Communitatis. Tertiò quod non liceat velle carere beatitudine in perpetuum propter eandem rationem eſto dicat licitum eſſe velle carere illa ad tempus. Fundamentum illius petitur ex Matth. 18. *Quid prodeſt homini , ſi univerſum mundum lucretur , animæ verò ſuæ detrimentum patiatur* ? Quibus verbis dicit Chriſtum ſatis judicare , perverſum eſſe anteponere ſaluti propriæ, & proinde gratiæ, quæ ad illam conducit, ſalutem aliorum. Et certè ſi ideò tenetur homo ex Charitate optare ſalutem pro-

ximi, quia sibi conjunctus est à fortiori suam debet præferre, cùm sit sibi magis conjunctus, quàm toti Communitati.

Si comparatio fiat inter bona corporalia sua, & bona spiritualia alterius, tenetur quilibet præferre bona spiritualia proximi suis bonis temporalibus; sicque in causa necessitatis exponere vitam suam pro salute aliorum, in hoc sequendo exemplum Christi, qui sic mortuus est, & jussit fieri similiter. Joann. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Unde Augustinus lib. de mendacio cap. 6. ait; *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Ratio sumitur ex hoc, quòd simus omnes membra ejus corporis, cujus Christus est caput; & quòd ratio dictet, unum membrum debere de facili expendere id, quod sibi minùs utile est, ut acquirat alteri id, quod est illi utilissimum.

Quoad bona temporalia, quæ aliquis debet sibi optare, & communitati, cujus est pars: si sint ejusdem rationis, debet quis magis diligere communitatem, quàm seipsum: Unde quilibet civis pro salute Reipublicæ vitam exponere debet temporalem, quia bonum commune est præstantiùs bono privato. Nec idem dicendum est de bono spirituali Communitatis, & hominis privati, quia privatus homo pendet quidem à Communitate, cuius est pars, quantum ad bona temporalia, non verò quàntùm, ad bona spiritualia, sed tantùm pendet à Deo tamquam à causa principali, & à Christo ut à causa minùs principali, & sic licet debeat anteponere bonum temporale Communitatis bono suo privato temporali cæteris paribus, tamen non debet præferre salutem communitatis suæ saluti propriæ,

priæ, cum ſalus non dependeat ab illa principaliter, ſed tantùm inſtrumentaliter à Sacerdotibus, qui ſunt in illa. Cùm verò Chriſtus etiam, ut homo ſit cauſa principalis, à qua pendet noſtra ſalus, tum in fieri, tum in conſervari, tenetur quilibet magis diligere Chriſtum, quàm ſeipſum, & præferre illius ſalutem noſtræ.

Si bona temporalia unius privati hominis comparentur cum bonis temporalibus alterius, tunc cæteris paribus, tenetur quis magis ſe diligere quàm proximum, & præterre ſua bona temporalia bonis temporalibus proximi, ob maiorem ſcilicet coniunctionem quam habet ſecum. Ex hoc ſequitur, quòd ex Charitate non debeamus exponere noſtram vitam temporalem pro vita temporali alterius, ex D. Aug. cap. 6. lib. de Mendacio, dicente: *Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, jam non diligit proximum ſicut ſeipſum, ſed pluſquam ſeipſum, qua doctrina regulam excedit.* Licèt autem hoc non debeat fieri ex amore vitæ alterius, quæ eſt ſimile bonum vitæ propriæ, poteſt tamen fieri ob amorem virtutis, nempè generoſitatis, & fortitudinis, quæ eſt ſuperioris ordinis: Unde Ariſtoteles Ethic. cap. 8. dicit: *Qui pro aliis mortem obire conſueverunt, eligunt quoddam magnum honeſtum ſibi ipſis*, In hoc conciliatur opinio Doctorum, quorum alii dicunt, non eſſe vitam aliorum anteponendam propriæ, & alii ſuſtineant, licitum eſſe mori pro proximo. Adde quod, ſi hoc ultimum non debeat fieri ex Charitate, fieri tamen poteſt ex amicitia, quam laudat in hac actione D. Ambroſius lib. 3. Offic. cap. 12. & Auguſtinus lib. de Amicitia cap. 10.

QUÆSTIO IX.

Quo ordine debeamus diligere proximos nostros.

EX antecedentibus liquet, talem esse ordinem in actibus Charitatis per comparationem Dei ad omnem creaturam, & comparationem nostri ad proximum. Primò debemus diligere Deum super omnia. Secundò debemus præferre nostra spiritualia bonis spiritualibus aliorum, etiam totius mundi. Tertiò debemus anteponere bona spiritualia proximi bonis corporalibus nostris. Quartò, præferri debet bonum corporale. Communitatis bono privato. Quintò denique, præponere debemus privatum bonum proprium privato bono alterius, cæteris saltem paribus. Quia autem dilectio nostra tendere potest solum ad proximos, hìc quærimus, quo ordine alii sunt diligendi.

CONCLUSIO.

CUm proximi nostri sint à nobis diligendi, quia nobis conjuncti sunt, & cum diversimodè conjungamus cum illis, ideò in dilectione nostra alii aliis sunt præferendi: non tantùm, quoad affectum externum, seu quantum ad signa, & affectus amicitiæ, sed etiam quoad affectum internum, contra Dominicum Bannem, qui voluit affectum internum Charitatis debere esse partem, effectum verò dissimilem. Sed hoc falsum est sicut enim odium internum unius proximi est gravius peccatum, utpotè patris, quàm odium alterius, ita debemus magis amare

amo-

amore interno parentes, quàm extraneos. Ex hac conclusione.

Dico primò, qui sunt meliores, sunt magis objectivè, æstimativè diligendi, quia bonum, quod possident, debet magis æstimari quàm bonum aliorum, quod est minus, & ille amor est complacentiæ, quo favemus bono possessio proximi, qui quidem amor non impedit, quominùs amore desiderii possimus optare proximo majus bonum. Ratio assertionis petitur ex hoc, quòd ubi est major bonitas, ibi est objectum magis æstimativè diligendum. Unde Deus magis amat meliores.

Dico secundò, Amore intensivo, & appretiativo magis diligendi sunt, qui nobis sunt propinquiores; quia amor intensivus sumitur à persona, sicut æstimativus sumitur à dignitate objecti: unde quo magis nobis conjuncta, est persona, eo intensivè magis diligitur. Et ratio, cur plus diligamus intensivè res sensibiles quam spirituales, est quia objecta sensibilia majorem habent affinitatem cum sensibus nostris, & proindè cum intellectu, & voluntate, cum anima pendeat in operari à sensibus in hac vita.

Dico tertiò in genere, quod cæteris paribus, primò diligendus sit Pater, cùm ab eo acceperimus quicquid habemus 2. Mater, à qua etiam ducimus originem 3. Uxor, quæ una caro reputatur cum Sponso 4. Filii, qui sunt conjunctiores, utpotè de substantia parentum 5. consanguinei cum suo ordine, ita ut præferantur extraneis, & diligantur primò, qui sunt coniunctiores. 6. amici sunt magis diligendi inimicis. Dixi, cæteris paribus; nam si v. gratia Mater esset filio beneficientiore patre spiritualibus, vel temporalibus, posset plus diligi. Si etiam pater comparare-

tur ad Rempublicam, vel ad Personam absolutè necessariam ad illam, pro qua & ipse Pater mori tenetur: postponendus esse pater.

Dico quartò. In extrema necessitate priùs subveniendum est Patri, aut Matri, quàm Filiis; quia sicut Pater dedit Filiis esse, sic Filii debent reddere illud Parentibus, dum sunt suam existentiam amissuri. Extra casum tamen extremæ necessitatis, potiùs debent curare de filiis, quam de parentibus ex 2. Corinth. 12. *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed filiis.* Quia amor est instar ponderis, *amor meus pondus meum*, ex Augustin. 13 Confess. cap. 9. Pondus verò suaptè natura descendit, quod est causa, cur videamus communiter Parentes maiori affectu complecti Filios, quàm Patrem, aut Matrem: quod non impedit, quin pietas, & charitas magis tendat in parentes in extrema necessitate, & semper, quantùm ad honorem, & reverentiam. Notant tamen Doctores inversionem huius ordinis non esse peccatum mortale, modò absint contemptus, & odium.

Dico quintò, patrem esse magis diligendum matre, ex Hieron. in cap. 44. Ezech. quia vir est caput mulieris, & pater nobilius concurrit ad generationem. Quantùm ad coniugem; debet æstimative plus diligere parentes altero coniuge; quia est maior dignitas in parentibus, à quibus accepit bonum sui esse, non à Coniuge: intensivè verò debet præferre coniugem unde maiori affectu adhærent sibi coniuges, quam parentibus. Ad Ephes. 5. *Vir diliget uxorem tanquam carnem suam*, & Matth. 19. *Iam non sunt duo, sed una caro.* Simulque habitare debent, illis dimissis, iuxta illud Genes. 2. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ.*

Por-

Porrò quantùm ad ſubventionem: in extrema neceſſitate, ſuccurrere debet coniux parentibus prius, quàm coniugi ſuo, ſecus extra neceſſitatem. Aliqui tenent coniugem eſſe poſtponendam filio; alii meliùs præferunt quia ſi filius eſt coniunctus parenti, hoc eſt mediantè coniuge, quæ facit completum principium Filli Deinde 1. Reg, 5. Elcana ſic conſolatur Annam in ſterilitate, *Numquid non ego tibi melior ſum, quàm decem filii?*

Dico ſexto, inſignem amicum nullo modo eſſe præferendum patri, aut matri, ex Ariſt. 8. Ethic. cap. ult. *Diis, parentibuſque non poſſunt reddi æqualia*. Per reſpectum verò ad conſanguineos, debet præferri inſignis amicus, cui eximiis beneficiis devincimur, Illis etiam, qui ſunt in primo gradu; non enim illis debemus, quod ſimus conſanguinei amicis autem debemus, quod eximia illa beneficia dederint, utpotè defenſionem vitæ aut conſervationem honoris: Unde Auguſtinus vocat amicum dimidium animæ 4. Confeſſ. 4. & Ariſtoteles ait 9. Ethic. 9. *Amicus eſt alter ego*. Quod intellige de conſanguineis, ut ſunt ſimpliciter conſanguinei, non verò ut etiam amici ſunt.

CAPUT II.

De effectibus Charitatis.

EX Charitate multi effectus reſultant, quorum alii ſunt interni, alii externi. Inter primos, proximus, & immediatus eſt amor actualis, ſeu dilectio Dei, & proximi; & ex quo ſequuntur Gaudium, Pax, & Miſericordia. Per *gaudium* intelligitur delectatio quædam interna in voluntate reſidens, qua

ipsa voluntas delectatur, dum quiescit in Deo possesso per amorem; unde ad Galat. 5. Gaudium numeratur inter fructus Spiritus sancti, qui procedunt ex Charitate. Per *Pacem*, intelligitur consensio appetitus sensitivi cum voluntate aliorum. Unde dicitur de Justis, Psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam*, & de peccatoribus Isai. 48. *Non est pax impii*: in se enim caro, semper concupiscit adversùs spiritum, & ipsi cum aliis semper habent jurgia. Quòd si justi aliquando inter se dissentiant, ut Paulus & Barnabas Act. 15. sicut Hieronymus, & Augustinus; dicendum est diversitatem opinionum posse consistere cum unione voluntatum. Per *Misericordiam* denique intelligitur dolor, seu tristitia de malo alieno involuntario, apprehenso ut proprio, cum voluntate ipsum sublevandi. Alii dicunt, hunc actum esse à Charitate, quæ cùm proximum diligat, ipsius mali miseretur; alii volunt, quòd si ille dolor se extendat ad malum pœnæ, sit actus Misericordiæ, quæ distinguitur à Charitate, à qua tamen imperatur: si verò se extendat tantùm ad malum culpæ, sit actus Charitatis, porrò actus externi Charitatis solemnioris, sunt Eleemosyna, & Fraterna Correctio, de quibus nobis est agendum.

QUÆSTIO PRIMA.

De Eleemosyna.

QUi diffusè de Eleemosyna discurrere voluerit, habebit plurima, tùm ex Patribus Græcis, Basilio in Concione super hæc verba Lucæ, *Destruam horrea mea*, Gregorio Nyss.

Nysseno Basilii fratre, oratione de pauperibus amandis, Gregorio Nazianzeno in Oratione de pauperum amore, & D. Chrisostomo lib. de Eleemosyna, & Misericordia: tùm ex Patribus Latinis, Cypriano lib. de Opere, & Eleemosyna, Ambrosio lib. 1. de Officiis c. 30. & ex Augustin. Enchiridii c. 69 Hic autem summè necessaria tantùm tractabimus, nostræ brevitatis solitæ semper memores.

Dico 1. quòd Eleemosyna sit actus, quo damus alteri in miseria constituto aliquid, ad sublevandam illius necessitatem, Quòd si hoc fiat ex amore Dei, est actus Charitatis: si fiat ex naturali compassione, est actus Misericordiæ naturalis. Sicut miseria proximi duplex est, nempè corporalis, & spiritualis, sic duplex est eleemosyna corporalis, & spiritualis. Eleemosynæ corporales continentur hoc versu, *Visito, poto, cibo, tego, colligo, condo*, & spirituales isto, *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora*, Hæc verba ex rudimentis Fidei patent. Notandum tamen est, præter has species Eleemosynæ, alias reperiri: sed istæ numerantur tanquam præcipuæ.

Dico secundò, Eleemosynam multas conferre utilitates, quarum aliæ sunt communes illi, & omnibus virtutibus simul, aliæ verò sunt ipsi propriæ. Primæ utilitates sunt, quòd habeat honestatem Virtutis, quòd habeat vim merendi, si fiat in gratia ob amorem Dei, & quod satisfaciat pro pœna debita peccato: Tria enim opera satisfactoria assignant Theologi loquentes de Pœnitentia nimirum Orationem, Jejunium & Eleemosynam. Utilitates propriæ Eleemosynæ sunt, quod remittat peccata, ab inferno liberet, & præservet à peccatis. Tobiæ 4. *Eleemosyna ab*

omni

omni peccato, & à morte liberat, i. æterna, *& non patietur animam ire in tenebras*, i. peccati.

Dico tertiò, Eleemosynam non habere vim remittendi peccata *ex opere operato*, ut habent Baptismus, & Pœnitentia: quia si hoc esset, haberetur ex Scriptura, vel ex judicio Ecclesiæ explicantis Scripturam, Ecclesia autem tantum determinavit de Sacramentis, quod conferant gratiam *ex opere operato*; ergo ex natura sua Eleemosyna non delet peccatum. Non delet etiam per modum dispositionis præviæ, qua posita, gratia conferatur, & tollantur peccata, ut faciunt Contritio, & Amor Dei super omnia; quia, posita Eleemosyna, & sublatis actibus cujuscumque virtutis, gratia conferretur, quod falsum patet ex Paulo, 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*.

Dico ergo 4. Eleemosynam conferre suos effectus impetrativè, & per accidens. Primò Impetrativè, quia cùm rectè fit impetrat à Deo quasdam gratias actualés, quibus homo efficaciter movetur ad resurgendum, à peccato, & perseverandum in bono. Secundò, per Accidens, quando nimirum Eleemosyna procedit ex actuali Dei amore, propter quem Eleemosyna erogatur, Hęc assertio, sicut præcedens, est contra illos, qui tempore Augustini, dicebant, Eleemosynam promittere certam peccati remissionem, & impunitatem, licèt aliud flagitiosa esse vita, ut ipse Doctor testatur 25. de Civitate, Dei, cap. 22. & 27. & fundabantur illi super contextum superius allatum Tobiæ, & in illo Danielis 4. *Peccata tua Elemosynis redime*: Et Luc. 11. *Date Elemosynam, & ecce omnia mun*

sunt

sunt vobis. Quæ omnia debent intelligi, ut diximus impetratoriè, & per accidens, non formaliter, & per se.

Dico 5. Eleemosynam esse sub præcepto Divinò, Eccl. 14. *Eleemosynam pauperis ne fraudes*, Et post ea, *Declina ad pauperem sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum*. Ratio assertionis petitur ex natura Charitatis, ad quam pertinet, non solum velle bonum proximo, sed etiam illi bonum facere, ex Joan. 5. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Adde, quod si Eleemosyna non esset præcepta sub peccato mortali, non diceret Christus reprobis, Matth. 25. *Discedite maledicti, &c. Esurivi enim, &c.* Non obligat tamen hoc præceptum, si non habeas, unde des Eleemosynam: vel si habeas, & non cognoscat necessitatem pauperis; vel si habeas & cognoscas, credis tamen alium sublevaturum esse pauperem; vel denique, si cum his omnibus non possis subvenire pauperi in extremis degente, nisi illa erogando, quæ tibi, vel parentibus in pari necessitate positis necessaria sunt. Porro, Eleemosyna est etiam de Jure Naturali, sicut & proximi dilectio juxta illud principium, *Quod tibi vis fieri, alteri feceris*.

Dico 6. Quemlibet teneri facere Eleemosynam proximo in extrema necessitate constituto, modò illa necessitas nota sit; non tantùm ex relatione indigentis, qui suspectus est in sua causa; nec Parochiani, aut Confessarii, qui potuerunt decipi: sed ex assertione alicujus, qui talem necessitatem viderit: In dubio tamen inquirendum est de illa. An extra illam necessitatem, quis teneatur Eleemosynam largiri? Ut ad hoc, respondeatur, notandum est, quòd bona, ex quibus fieri

possit

potest eleemosyna, vel sunt necessaria vitæ dantis, vel sunt superflua vitæ & necessaria ad ejus statum, vel superflua tum vitæ, tum statui. Si bona sint necessaria vitæ, nullus tenetur illa errogare proximo, Charitas enim à seipso incipit; si tamen indigens sit persona publica, necessaria ad salutem Communitatis, & in extrema necessitate posita, tunc debet illi subveniri de bonis necessariis propriæ vitæ.

Dico 7. Quantùm ad bona, quæ sunt superflua vitæ, & statui, 1. ad conservandum decenter suum statum, aliqui tenuerunt non debere fieri eleemosynam ex illis bonis, ex præcepto, nisi in extrema, aut quasi extrema necessitate, extra quam dixerunt; illam esse tantùm de consilio. Sic Alensis, Turrecremata. Panormit. Antonin. Durandus & alii: Nos verò cum D. Thoma, Cajetano, Abulensi, Lyrano, & multis, dicimus divitem habentem superflua, neque ad vitam, neque ad decentiam status necessaria, teneri sub peccato mortali errogare de illis, pauperibus, non tantùm in vera, sed communi paupertate existentibus. Quia divisio rerum de communi gentium usu introducta cederet in præjudicium pauperum, si divites habentes superflua non tenerentur de illis errogare pauperibus. Adde quòd ille non censeretur amare proximum, quem videret necessitate communi pressum, si illi non succurreret de superfluis naturæ, & statui. Et hoc insinuat D. Thomas, 2. 2. Quæst. 32. Art. 5. dum dicit, dare eleemosinam de superfluo esse in præcepto, & dare eleemosynam in extrema necessitate, quæ duo distinguit.

Dico 8. aliam esse contrarietatem inter Doctores

ctores quoad bona, quæ sunt superflua naturæ, & necessaria staqui: Alii enim tenent de talibus bonis non esse necessariò faciendam eleemosynam neque in gravi, neque in communi necessitate, sed tantùm in extrema. Sic Bonac. Disp. 3. Quæst. 6. Puncto 6. Num. 11. ubi Plures Authores allegat: Valentia verò cum aliis Disp. 3. Quæst. 9. de eleemosyna, Puncto 4. tenet quòd in gravi necessitate proximi, licèt non extrema, debeat fieri eleemosyna de bonis statui suo necessariis, quando quis minori suo incommodo notabile proximi incommodum avertere potest: Charitas enim, & amicitia Christiana violaretur, si amicus non averteret grave incommodum amici, cum levi tantùm suo incommodo, Per *gravem necessitatem* prædictus author intelligit illam, quam patiuntur ii, quibus immineret longa incarceratio, captivitas, magna calamitas, vel si aliqui exciderent à sua dignitate.

Dico 9. ex præcepto Charitatis faciendam esse eleemosynam omnibus, sive sint amici, aut inimici sive fideles, aut infideles; Deus enim *Solem suum oriri facit super justos, & injustos*. Hoc est contra Vvicleffum soiis justis eleemosynam fieri volentem, ex Eccl. 12. *Bene fac humili, & ne dederis impio*: Sed hoc intelligitur de impio, ut impius est, non ut proximus: idest ne des impio eleemosynam, ut per illam foveantur in impietate. Licèt inimicis privatis danda sit eleemosyna, nisi ex hoc tibi immineat incommodum: inimicis tamen Reipub. etiam in extremis non est erroganda, si periculum sit, ut illi noceant. Non satisfacit huic precepto, qui laboranti necessitate extrema dat aliquid,

quid, non gratis sed ratione mutui aut contractus, quia non sufficit, ut succurratur necessitati alterius quocumque modo fiat, sive Eleemosyna, sive mutuo, ut vult Adrianus: sed necesse est, ut hoc fiat per actum præceptum, nempe per Eleemosynam cujus aliter præceptum destrueretur; alias non teneretur jejunare, qui per alias afflictiones corpus suum maceraret. Si tamen aliquis esset tantum pauper Parisiis, & dives Lugduni, sufficeret pro tunc mutuum: Si etiam aliquis indigeat tantùm aliqua re, usu, non consumptibili, ut equo, veste, lecto, &c. mutuum sufficit: secus de re consumptibili usu, ut potu, & cibo. Idem dicendum, si indigeat tantùm pro tali tempore, & non pro alio, v. g. si quis à latronibus captus indigeret centum nummis, ut liberaretur quos tamen de facili posset recuperare. Porrò, qui non dedit Eleemosynam, non tenetur restituere, quia talis obligatio oritur tantùm ex præcepto justitiæ: deinde; præterita necessitate ipsa cessat obligatio: Unde nec tenetur extinguere debitum, quod eum aliis contraxit pauper, dum erat necessitate pressus. Quoad Ecclesiasticos, habentes bona Ecclesiæ: si de illis non faciant Eleemosynam, credunt aliqui, ipsos ad restitutionem teneri, quia illam debent ex justitia, in quantum, licèt sint domini fructuum, quos percipiunt, quoad eam partem, quæ est necessaria ad status sui honestam substentationem; tamen sunt tantùm dispensatores, quoad aliam partem, quæ est superflua personæ & statui: Unde, si illam non expendant in pia opera, ad restitutionem tenentur. Sic Alensis. Paludanus, Major, & inter alios Navarrus, qui hoc conatur probare in Tract. de redditi-

bus

bus Eccle. Aliis hęc opinio rigidior videtur; unde dicunt, Beneficiarios esse dominos bonorum suorum, & sic debere quidem superflua personæ; & statui expendere in pias causas sub peccato mortali, & non tamen teneri ad restitutionem, si hoc non faciant. Sic cum plurimis D. Thomas.

Dico 10. Eleemosynam debere fieri ex bonis propriis, quia est actus dominii, in extrema tamen necessitate, ubi bona propria desunt, fieri potest ex alienis, quia tunc omnia sunt communia. Qui habet bona aliena sibi depositа, potest ille dare in extrema necessitate, absque obligatione restituendi: modò non habeat propria, ob rationem allatam Qui non habet propria, potest capere aliena, ut subveniat alteri in extrema necessitate, quia iste alienum capere posset, nec ullus istorum tenetur ad restitutionem, quia illa bona debentur pauperi. Meretrix, quę pretium meretricii accepit, potest de illo bono Eleemosynam erogare, quia aquisivit dominium ejus per voluntatem dantis. De bonis, quæ acquisivit Simoniacus per Simoniam, fieri potest Eleemosyna, quia illa non sunt acquirentis, nec debent restitui illi, qui ea dedit, quia dignus est, ut in pœnam criminis illis privetur; Ergo possunt tradi pauperibus.

Dico ultimò Eleemosynam posse fieri ab illis, qui habent dominium, seu plenam administrationem bonorum temporalium, & ab eis, qui consensum habent ab illis, sive expressum, sive tacitum. Ex quo sequitur, Prælatos Religiosorum, habentium administrationem bonorum, quæ illis elargita sunt, posse ex eis facere Eleemosinam, licet apud Mendicantes non habeant dominium. Hoc possunt etiam facere Religiosi inferiores, cum con-

consensu saltem tacito Superioris, secus non possunt, immò si ipso invito donent notabilem quantitatem bonorum Monasterii alicui externo, peccant mortaliter, & dans, & recipiens tenetur ad restitutionem, quia ille injustè dedit, iste injustè accepit, tenetur reddere Monasterio rem, si extet, vel id, in quo factus est ditior; si non extet, ille verò tenetur admonere, recipientem, ut restituat, vel, si non velit, tenetur curare specialiter, ut refarciatur bonum Monasterii, Filius, Uxor, & Servus possunt de bonis Patris, Mariti & Domini dare aliquid cum consensu eorum saltem tacito, & sine consensu, potest Uxor dare de suis bonis paraphernalibus, non de dote, cujus administratio ad Maritum spectat, immò, si Maritus nollet dare Eleemosynam, deberet illam facere Uxor de bonis communibus sibi, & sponso, Filius potest invito Patre, elargiri de bonis Castrensibus: aut quasi Castrensibus. Per bona Castrensia, intelliguntur illa, quæ Filius acquisivit in bello, vel ex donatione Regis: per quasi Castrensia, intelliguntur ea, quæ habent privilegium bonorum Castrensium, ut quæ acquiruntur ex officio publico, v. g. Advocati, Judices, Medici, Professoris alicujus scientiæ, ex beneficio, & ex exercitio septem artium liberalium. Servi denique, de bonis, quæ sibi acquisierunt, consentiente domino, possunt tradere. Tutores, & Curatores moderatas Eleemosynas possunt elargiri de bonis pupillorum, quorum administrationem habent, hoc enim est conforme rationabili dominorum voluntati, in quorum utilitatem vergit Eleemosyna. Ille, cujus bona sunt ipso facto addita Fisco ob crimen, potest ante

sen-

sententiam Judicis, de illis elargiri, saltem quantùm exigit necessitas pauperibus, quia ante illam Sententiam potest illa insumere in sui, & familiæ sustentationem; cùm nondum careat dominio; ergo necessitati potest aliquid distribuere, modò hoc non fiat in fraudem Fisci. Sic Bonacina contra Beccanum.

QUÆSTIO II.

De correctione Fraterna.

PEr correctionem Fraternam, intelligitur actus externæ Charitatis, quo quis subvenit necessitati spirituali proximi, nitendo ipsum revocare à peccato ad virtutem per sermonem ad id idoneum. Differt à correctione juridica in hoc quod correctio juridica primò, & per se ordinatur ad bonum communitatis, cujus scandalum reparatur per punitionem, Correctio verò Fraterna tendit ad bonum peccantis. Correptio & Correctio pro eodem actu sumuntur licèt in rigore Latinitatis, Corrigere sit impellere efficaciter ad bonum, & revocare à malo ex Eccles. *Pernicioſi difficilè corriguntur*, Corripere autem sit tandem eniti emendare proximum verbis, reprehendendo scilicet, vel hortando, vel increpando, vel docendo, sive emendatio actualis sequatur, sive non.

Dico primò, correctionem fraternam esse de Jure Naturali & Divino, primò est de Jure Naturali, sicut Eleemosyna, cujus est species, natura enim postulat ex 1. Cor. 12. ut *Si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra*. Secundò est de Jure Divino, Levitici 19. *Non oderis fratrem tuum*

in

in corde tuo, sed publice argue eum, id est aperte. Eccl. etiam 19. *Corripe amicum, ne iterum ad. fat facere.* Denique Luc. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum*, Ubi Notandum, quòd particula, *in te*, duplicem sensum habeat apud Expositores, modo enim idem est ac *contra te*, & modo idem sonat, *ac te scien. te*. Correctio ergo ex his censetur præcepta sub peccato mortali, modo adsint certæ quædam circumstantiæ de quibus postea: quod est contra illos qui apud Augustinum Lib. de Correptione, & Gratia Cap. 3. nolebant corripi, Hanc necessitatem Correctionis Fraternæ perbelle insinuat Augustinus. Ser. de Verbis Domini dicens; *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum: si neglexeris, pejor es, ille injuriam fecit, & injuriam faciendo, gravi seipsum vulnere percussit, Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, & negligis? Pejor es tacendo, quam ille convinciando.*

Dico 2. Quando quidem Correctio Fraterna est de Jure Naturali, ad ea consequenter tenentur omnes, nedum Christiani, sed etiam infideles, qui nisi per ignorantiam inculpabilem, vel per inadvertentiam excusentur, peccant mortaliter, correctionem omittendo; quia ad præcepta Juris naturæ tenentur infideles. Licèt omnibus incumbat corrigendi proximum necessitas, hæc tamen magis spectat ad superiores, & Prælatos, qui ex officio debent, nedum corrigere peccata, cum illa cognoscunt, sed etiam de illis inquirere, cum sint instituti animarum vigiles, juxta dictum D. Gregorii, Epist. 53. ad Joannem Epis. Constantinop. *Qua potest esse Pastoris excusatio, Si lupus oves comedit, & Pastor nescit?* Correctio etiam specialiter debet

fieri

fieri à viris Religiosis, qui profitentur se in negotio salutis opem laturos proximo. Inter alios denique eò strictius tenemur ad corrigendum proximum, quo nobis est conjunctior; ordo enim correctionis sequitur ordinem Charitatis. Inferiores tenentur corrigere Superiores humili, & deprecatorio sermone, licèt non habeant authoritatem super illos; quia talis correctio non est juridica, sed fraterna. Adde quòd illa superioritas non impedit, quin sint alter alterius membra, & quin teneantur se invicem diligere. Non solùm justi, sed & peccatores ad corrigendum tenentur, ob rationes allatas: & quia peccatum mortale non liberat ab observatione mandati alterius; Ob hoc optime dicitur à Scoto; quòd non teneatur præcisè peccator ad pœnitentiam sui criminis, ut corriga: alienum. Quod si Christus dicat, Matth. 7. *Hypocrita! eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui*, per hoc arcetur illorum modus corrigendi, qui non reprehendebant alios sincere, & ob bonum finem, sed per hypocrisim, & superbiam, ut sanctiores aliis apparerent.

Dico 3. sequentes circumstantias requiri, ut quis teneatur ad correctionem fraternam. Primò, debet scire certò, vel saltem probabiliter peccatum: nec tenetur privata persona, sed bene Prælatus inquirere de peccato proximi. Secundò, correctio non est necessaria, quando scitur, quod peccator resipuerit. Tertiò, debet ille spes emendationis; qui enim certò, aut probabiliter scit, se nihil effecturum esse per correctionem, ab illa dispensatur: & multo magis si sciat per correctionem delinquentem fieri deteriorem. Quartò, cùm quis novit, peccatorem se esse emenda-

turum

turum ſponte ſua, vel per correctionem alterius, quam probabiliter ſcit eſſe futuram, tunc à correctione liberatur; ſicut nec ille tenetur ad Eleemoſynam faciendam Pauperi, quem prævidet eſſe ſublevandum ab alio; quia tunc non indiget iſte tua Eleemoſyna, nec ille tua correctione. Quintò, non tenetur quis corrigere pro tali, aut tali tempore, ſi prævideatur, quòd in alio efficacior erit correctio. Sextò, peccatum debet eſſe mortale, vel veniale aliquod; ex quo ſequatur ſcandalum, vel occaſio proxima peccandi mortaliter. Quoad peccatum ergo veniale ſimplex, nemo tenetur ad illius correctionem ſub peccati mortalis pœna; quia præceptum Chriſti de corrigendo proximo intelligitur per reſpectum ad peccatum mortale: dicit enim Chriſtus, Matt. 18. *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum*, nimirum, qui perierat per peccatum mortale, & addit, *Si te non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*: quòd non fieret, niſi propter peccatum mortale. An autem teneamur ſaltem ſub peccato veniali corrigere proximum peccantem venialiter; negat Bannes: quia fieri, nequit, ut abſtineatur à peccato veniali. Sed meliùs affirmant Navarrus, & Valentia; quia ſicut debes amovere à proximo leve damnum temporale, & hoc ex Charitate; à fortiori leve damnum ſpirituale amovere debes. Deinde, quiſque deberet reſpectu ſui velle ſe immunem facere à peccato veniali, & hoc ſub pœna peccati venialis: ergo idem velle debet reſpectu proximi. Nec ratio allata urget: nam licèt ſit in nobis quædam neceſſitas cadendi in peccata venialia; tenemur tamen hoc, vel illud determinatè vitare;

& ſic

& sic debemus facere, ut per correctionem fraternam proximus noster illud, & illud peccatum veniale vitet.

Dico quartò, modum, quo communiter debeat fieri correctio, traditum fuisse à Christo, Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omnes verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* Per hæc verba Christus non tulit distinctum præceptum à præcepto naturali de corrigendo proximo; nec distinctum modum corrigendi; quia sic correctionem fieri docet natura, & doceret vir prudens, si tale præceptum non extaret, ut emendaretur proximus, & conservaretur proximi fama, sed præceptum naturæ tantùm explicavit Christus. Fatentur enim Theologi, Christum Dominum nil addidisse ad præcepta naturæ, nisi explicationem, sed tantùm præceptis ipsius naturæ subjunxisse præcepta de Fide, & Sacramentis. Dixi in assertione, hunc corrigendi modum esse observandum communiter: possunt enim reperiri casus, in quibus prætermitti potest ille ordo: v. g. si peccatum sit publicum, publica potest fieri correctio: Si peccatum cedat in damnum communitatis, & periculum sit in mora, nec speretur statim emendatio ex correctione secreta: Quando peccatum occultum cedit in majus detrimentum alicujus quàm sit fama delinquentis, utpote si machinetur mortem ejus, nec sit spes, quòd desistat, nisi admonendo Superiorem: Quando peccatum est ita contagiosum, ut se citius

diſſeminet, niſi illico poteſtas Superioris interveniat, Sunt & alii caſus in quibus prudentia dictat prætermitti debere admonitionem privatam, ut ſi probabiliter ſciatur, ipſam non eſſe profuturam.

Dico quintò. Quandoaliquis tantum dubitat, an correctio ſit profutura, debet facere correctionem, ſicut Medicus debet adhibeat medicamentum, de cujus utilitate dubitat. Si autem dubitet, nedum an profutura ſit correctio, ſed etiam an obfutura, prævidendo quod ſic correctus ad maximam iracundiam provocabitur, & aliquando ad blaſphemiam, pro tunc omittenda eſt; ſicut Medicus non debet porrigere pharmacum, quod dubitat obfuturam. Si quæratur, an quid debeat corripere proximum, etiam quando imminet periculum vitæ; Alii negant, ad ſe trahentes Auguſtinum lib. 1. de Civit. Dei c. 9. dicentem, quoſdam juſtos amore propriæ vitæ omittere interdum correptionem: alii affirmant; quia ex ordine Charitatis debet præferri utilitas ſpiritualis proximi vitæ corporali propriæ. Nos melius, ni fallor, diſtinguimus aſſerentes in extrema neceſſitate, ubi evidenter ſalus proximi periclitatur, Correctionem Fraternam debere fieri, ſi illa prævideatur abſolute neceſſaria; extra tamen illam neceſſitatem, poteſt non fieri cum diſpendio vitæ: quia licèt aliquis ſit actu in peccato mortali, alia via quam per Correctionem Fraternam poteſt emendari, nimirum per inſpirationes Divinas.

CA.

CAPUT TERTIUM.

De Vitis oppositis Charitati.

MUlta sunt Vitia, quę directè, vel indirectè opponuntur Charitati, nempe Odium Dei, aut proximi, Acedia, Invidia, Discordia, Contentio, Rixa, Seditio, Scandalum, Schisma, & Bellum. De tribus ultimis diffusius loquemur; de primis pauca tantùm, cum sint exigui momenti. Odium duplex est, Dei, & proximi; & utrùm opponitur directe Charitati, quam debemus habere erga utrumque. In odio Dei, parvitas materię non excusat à peccato mortali, quia quilibet talis actus pugnat cum bonitate divina, quę infinita est: in odio vero proximi excusat parvitas à tali peccato.

Acedia est quędam tristitia voluntatis afferens negligentiam in operibus dilectionis, & opponitur Charitati; quia sicut proximum Charitatis est afferre gaudium in exercitio actionum, quæ concernunt amorem Dei, & proximi; sic proprium Accediæ est tristitiam afferre in his actibus, Acedia est peccatum mortale ex suo genere, posita gravitate materiæ, & plena deliberationem, nam 2. Cor. 7. Paulus dicit; *Tristitia sæculi mortem operatur*, Si tamen quis tristaretur de aliquo bono spirituali, non secundum, se, & absolutè, sed propter circumstantiam aliquam, sive loci, aut temporis, à mortali excusaretur; ut pote si tristetur, quod jejunandum sit tali tempore. Remedium contra hoc vitium capitale utilissimum est, quod sine mora agrediamur faciendum opus, quod instat. Porrò Acedia habet pro objecto bonum, non se, sed quatenus molestum est.

Invidia est inordinata tristitia, qua quis dolet de bono proximi, quatenus videtur diminuere propriam excellentiam invidentis. Dicitur primò, *inordinata tristitia de bono proximi*; quia si occasione boni proximi aliquis tristetur, non quòd proximus habeat tale bonum, sed quod careat tanto bono, sibi tale bonum cupiens, sine præjudicio alterius, non est Invidia, nec pauperes in hoc sunt invidi; quia non est tristitia inordinata. Sicut nec quando videns proximum virtute præditum, quis tristatur, quòd talem virtutem non habeat; immò tunc est sancta æmulatio. Qui etiam tristatur, quòd proximus habeat aliquod bonum temporale, cujus est indignus; non propriè habet invidiam. Dicitur 2. *Quatenus videtur diminuere propriam excellentiam*, quia si quis tristetur de bono proximi, quatenus ejus persona displicet, non est invidia, sed odium proximi; invidia autem quis tristatur de bono proximi, quatenus videtur diminuere propriam excellentiam; ut dum quis dolet de virtute, aut doctrina alicujus, quia aliena virtus videtur diminuere de sua propria. Porrò, invidia, quæ ex se est peccatum mortale, eo modo quo diximus de Acedia, opponitur Charitati, quia sicut Charitas affert gaudium de bono proximi, invidia affert tristitiam.

Discordia est dissentio voluntatis unius à voluntate alterius cum quo tenetur consentire; v. g. si Petrus velit assequi bonum, tu verò non cupias, ut ipse assequatur: & hoc vitium opponitur paci quæ est effectus Charitatis. Contentio est altercatio quædam verborum cum proximo ad impugnandam veritatem, quam ipse sustinet, quod etiam opponitur paci. Rixa est privatum quoddam bellum

inter

inter personas ex odio resultans, odium enim suscitat rixas. Prov. 10. Dicitur rixa à ringendo, quia sicut canes ex ira sibi invicem excandescentes dicuntur ringi, sic & homines. Hæc omnia esse peccatum mortale ex suo genere, patet ex D. Paulo ad Galat. 5. *Contentiones, iræ rixæ, dissentiones, & his similia, regnum Dei non possidebunt*. Seditio denique est quædam dissentio inter cives, ab his duobus vocabulis, *Seorsim, & itio*, quia aliqui cives in dissentione dicuntur seorsim ire: Hoc vitium, quod opponitur paci politicæ, est, ex suo genere peccatum mortale ex parte commoventis seditionem, sicut rixa ex parte rixantis, non verò ex parte illius, qui invaditur. Superest, ut loquamur diffusius de Schismate, Scandalo, & Bello.

QUÆSTIO I.

De Schismate.

NOmen Schismatis venit à nomine Græco χίσμα, quod scissionem significat, ita quòd Schisma, ut hìc sumitur, nihil aliud sit, quàm quædam separatio ab Ecclesia, quæ est una, & non habet nisi unum caput, à quo omnia membra dependent in actionibus, quæ ab ipso corpore mystico dependent, putà in doctrina Fidei, in Cultu, in Legibus, &c. Unde, qui ab Ecclesia, aut ipsius Capite se separat, dicitur Schismaticus à Schismate.

Dico primò: Schisma est voluntaria discessio, qua quis se subtrahit ab unione Ecclesiæ. In Ecclesia est duplex unio membrorum Ecclesiæ: seu Fidelium inter se, quatenus scilicet conveniunt in Fide, in Cultu, &

aliis actionibus : alia est unio membrorum Ecclesiæ cum suo Capite 1. cum Pontifice, cui obedire tenentur Fideles, & à quo si separentur, ut est caput Ecclesiæ universalis, dicuntur Schismatici. Ex hac duplici unione facile conciliantur authores, quorum aliqui dicunt, Papam posse esse Schismaticum, alii negant dicendo scilicet, quod si Schisma sumatur pro divisione membrorum Ecclesiæ inter se, pro tunc Papa potest esse Schismaticos (saltem in opinione eorum, qui dicunt Papam posse fieri hæreticum) quia Papa est taliter caput Ecclesiæ, ut sit etiam membrum: & proinde, in illorum opinione, posset se separare à communi fidelium cœtu, sicque fieri Schismaticus ; Si sumatur verò Schisma pro separatione à Capite Ecclesiæ, non potest fieri Schismaticus, quia non potest se separare à se ipso.

Dico secundo, quia Schismaticus communiter se separat à Summo Pontifice, ut est caput universalis Ecclesiæ, ideò nec Religiosus se subtrahens ab obedientia Superioris, nec subditus negans Principem, nec populus Episcopo obedire non volens, sint proprie Schismatici. Sicut nec qui separantur per peccatum mortale à Charitate Ecclesiæ, quia non est propria separatio; cum maneant semper in fide, & in voluntate obediendi Summo Pontifici ; nec qui separantur ab Ecclesia per excommunicationem, quia illa separatio non est voluntaria. Qui ob injuriam à Summo Pontifice passam ipsius præceptis obedire negat, non est Schismaticus, quia illa rebellio non fit Summo Pontifici, ut Pontifex est, sed oritur ex vindicta in personam Pontificis, quem semper agnol-

agnoscit Pastorem universalis Ecclesiæ, non est etiam Schismaticus, qui præceptum Pontificis exequi recusat, in quantum est nimis difficile, modo nihil faciat quo ostendat indirectè, se velle subtrahere ab obedientia Pontificis, quia obedientiam non negat Pontifici, ut Pontifex est, inquiunt D. Thom. Cajetan. & alii, Iste non est Schismaticus, qui se abducit ab obedientia Pontificis, quem probabiliter tenet non esse canonicè electum, benè autem illi, qui se, vel alios à Summo Pontifice avocarent, qui non vellent communicare cum ovibus Summi Pontificis, aut Synodos generales contra ipsius voluntatem celebrare intenderent.

Dico tertiò, quòd Schisma differunt ab Hæresi, primò, quia Hæresis opponitur Fidei, & Schisma opponitur Charitati: nam per Charitatem debemus velle proximo bonum, sed unio inter omnia membra Ecclesiæ est quoddam bonum commune omnibus Fidelibus: ergo Schisma, quod tollit talem unionem, destruit illud bonum, sicque Schisma opponitur Charitati. Secundo, quia Heresis latius patet Schismate, in quantum omnis hæreticus est Schismaticus, non è contra, si enim v. g. Græci tenerent tantùm obedire. Pontifici Romano, ut adhærent suo Patriarchæ, & omnia crederent, quæ credunt Romani, essent quidem Schismatici, non Hæretici. Licèt Schisma differat ab Hæresi, & sit peccatum minus grave, attamen est peccatum ex suo genere mortale; quo potest quidem fieri veniale ob indeliberationem actus, & ob inadvertentiam; non ob vero parvitatem materiæ; sicut nec Infidelitas, aut heresis, aut perjurium, aut blasphemia: qui Schisma est formaliter se-

separatio ab Ecclesia, quæ separatio abolevit bonum commune Ecclesiæ, de quo loquitur David. Psal. 132. *Ecce quàm bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum.* Unde Chrysostomus, Hom. 11. in Epist. ad Ephes. ait; *Nihil ita Deum irritat, sicut Ecclesiæ divisio, & si in numera bona operati fuerunt, non minores tamen pœnas dabimus quàm qui corpus ejus prasciderunt.*

Dico quartò, quòd sint pœnæ canonicæ quibus subjacent Schismatici: Licèt enim non amittant potestatem spiritualem procedentem à charactere, qui indelebilis est, & confertur in Baptismo, Confirm. & Ord. ammittunt tamen potestatem jurisdictionis, quæ datur, & tollitur ab Ecclesia. & sic non possunt Absolvere, Excommunicare, Indulgentias concedere, nec conferre beneficia; quia cùm separaverint ab Ecclesia: non est justum, quòd potestate ipsius gaudeant. Secundò, Schismatici ipso facto incurrunt Excommunicationem Cœnæ Domini, non tamen fautores, aut defensores Schismaticorum; quia de illis mentionem non facit Bulla, sicut de fautoribus hæreticorum, & odia sunt restringenda. Tertiò Schismatici contrahunt in habilitatem ad beneficia impetranda, etiamsi resipuerint, modò non advenerit dispensatio Summi Pontificis in Schismate, manifesto, aut Episcopi in occulto, ex cap. *Qua diligentia*, de electione. Quantum ad beneficia possessa; illis non privatur, qui cum Schismate non habet Hæresim conjunctam. Quod si simul sit Schismaticus, & Hæreticus, propter Hæresim privatur beneficio possessor, modo interveniat sententia Judicis; delinquens enim non tenetur solvere pœnam, nisi post sententiam declaratoriam

ram delicti, aut nisi appareat talem esse Legislatoris intentionem, dicendo verbi gr. *Beneficium vacet in conscientia*, & non sufficiunt ista verba, *Sic privatus ipso jure, facto, eo ipso*, &c. Hoc probat usus, qui est legum interpres; Doctorum turma hoc asserentium, etiamsi crimen ita notorium sit, ut possit celari. Bonac. de legibus disp. 3. quæst. 1. p. 7. §. 2. Propos. n. 8. Qui Ordines suscipit à Schismatico, suspensionem ab usu ordinum incurrit, cap. 1. de Schism. ubi dicuntur Ordines irritari, idest quoad usum. Qui beneficium, vel dignitatem à Schismatico recipit, privari debet illis, cap. de Schismaticis.

Dico quintò, controversiam esse inter Doctores, an Schismaticus careat jurisdictione, antequam nominatim fuerit denuntiatus. Alii tenent, Schismaticum privari potestate jurisdictione eo ipso, quod in Schisma incidit, sive occultum, sive manifestum, licèt non sit denunciatus quia cùm sit actus extra Ecclesiam, non debet gaudere ipsius potestate. Unde inquiunt per sententiam, Ecclesiæ Schismaticos, aut Hæreticos non deponi, sed declarari jam depositos à Deo; sic Turrecremata, Silvester, Paludanus. Alii tenent, non amitti potestatem jurisdictionis, si Hæretici, aut Schismatici sint tantùm occulti: amitti verò, si sint manifesti, & notorii per sententiam Ecclesiæ, aut per àpertam Ecclesiæ impugnationem: sic Valentia. Alii denique cum Bonacina, Cajetano, Soto, & aliis quorum opinionem probabiliorem judico, sentiunt, nec Hæreticum, nec Schismaticum occultum, vel manifestum privari potestate jurisdictionis, sed illam potestatem amitti per sententiam Ecclesiæ, quia ex

Conc. Conſtantienſi nullus eſt vitandus ex vi prohibitionis Eccleſiæ, niſi ſit notorius clerici perculſor, aut niſi ſit nominatim denuntiatus.

QUÆSTIO II.

De Scandalo.

SCandalum ſumitur in ſe pro offendiculo, quod in via obiicitur, vel pro læſione facta ab illo: Ut verò ad noſtrum propoſitum ſpectat, *Eſt dictum, vel factum minùs rectum dans proximo occaſionem ruinæ.* Dicitur, *Factum, vel dictum*, quia in interiori cogitatione non eſt ſcandalum, cùm non cognoſcatur à proximo. Dicitur, *Minus rectum*: quia ratio ſcandali eſt in actu, qui ſaltem habet aliquam ſpeciem mali, unde ſcandalizatur proximus. Dicitur, *Dans proximo occaſionem ruinæ*, & non cauſam; quia à nulla cauſa efficaci moveri poteſt voluntas humana ad peccandum, niſi à ſeipſa. Et hac pericula colligitur, quod ſcandalum ſit oppoſitum Charitati, qua debemus conſulere ſaluti proximi, & per ſcandalum illi aliquod obſtaculum ponimus. De ſcandalo quædam nobis ſunt dicenda.

Dico primò, duplex eſſe ſcandalum, nimirum activum, & paſſivum. Scandalum activum, quod ſe tenet ex parte illius, qui ſcandalizat, eſt illud de quo loquuti ſumus, *Dictum, vel factum minus rectum, præbens occaſionem ruinæ* Scandalum paſſivum eſt lapſus, ſeu peccatum illius, qui ſcandalizatur. Quòd ſi ſcandalizetur ex opere malo, ut de blaſphemia, vel de opere licito, quod illicitum putavit, ut quando quis habet neceſſitatem, aut diſpenſationem de manducanda

carne

carne in quadrageſima, tunc eſt ſcandalum datum; quia oritur ex actione habente ſpeciem mali: Si verò Scandalum paſſivum oriatur ex actione bona non habente ſpeciem mali eſt tunc ſcandalum acceptum non datum qui enim benè agit, non dat alteri occaſionem peccandi, ſed ille accipit. Ex quo patet, ſcandalum paſſivum duplex eſſe, datum videlicet, & acceptum.

Dico ſecundò, duplex eſſe Scandalum activum, nimirum generale, & ſpeciale. Scandalum generale eſt, quando quis ex aliqua actione præbet alteri occaſionem ruinę, hoc non intendens; Scandalum verò ſpeciale, quando aliquis facit actionem, ſive pravam in ſe, ſive habentem ſpeciem tantùm mali, intendens per illam ſcandalizare proximum, & illi præſtare occaſionem ruinæ ſpiritualis. In hoc ultimo eſt peccatum; eſt enim dictum, vel factum pravum, vel ſaltem minus rectum præbens occaſionem peccandi, quæ omnia dicunt aliquid peccaminoſum: in primo verò quòd eſt ſcandalum tantùm per accidens, non eſt peccatum, ſi actio ſit bona, nec ſit intentio ſcandalizandi nec prævisio de ſcandalo futuro. Si dicatur, Scandalum non eſſe peccatum, quia neceſſarium eſt Matth. 18. *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala*, hoc non dicitur abſolutè, ſe conſiderans hominum perverſitatem.

Dico tertiò: Scandalum paſſivum dividi communiter in datum, & acceptum: primum oritur ex fundamento, ſcilicet ex actione, quæ habet aliquam ſpeciem mali: acceptum eſt ſine fundamento, quando actio eſt bona, nec ſpeciem mali induit. Melius dividit Becanus ſcandalum paſſivum, in ſcandalum ex malitia, ex ignorantia, & ex

infirmitate. Si oriatur ex opere bono, est scandalum ex malitia, quod dicitur Phariſaicum; quia Phariſæi ex actionibus rectis Chriſti ſumebant occaſionem vituperandi ipſum. Si oriatur ex aliquo opere, quod videtur habere ſpeciem mali, attamen non habet, ſcandalum ex ignorantia: Eſt denique ex fragilitate, quando oritur in illis, qui non poſſunt videre peccatum alterius, quin illicò conturbentur, & excitentur ad peccandum. Porrò ſcandalum activum eſt peccatum mortale, dum qui ſcandalizat per peccatum mortale, ſi hoc prævideriſ, & illi, coram quibus peccat, non ſint ita perfecti, ut per hoc excitentur ad peccandum: eſt verò tantùm veniale, dum ſcandalizat ſolo veniali; niſi ſcandalizans ſit talis conditionis, ut committendo peccatum veniale, det occaſionem peccandi mortaliter: quod poteſt evenire Religioſis, & in Eccleſiaſticis.

Tria hìc quæri ſolet, an ſit Scandalum activum ſuadere alicui minus malum, ut vitetur majus: an opera, quæ ſunt de præcepto, poſſint omitti ad vitandum ſcandalum aliorum; an denique poſſint omitti actus boni, & utiles, qui non ſunt præcepti.

Reſp. ad primum, hoc licere: Loth enim Gen. 19. & Levites Judic. 19. ſuaſerunt fornicationem illis, qui peccatum Sodomiæ committere volebant: Ex quo ſequitur, quòd ſi homo aliquis eſſet poſitivè determinatus ad patrandum adulterium, poſſet illi conſuli ſimplex Fornicatio: & tunc non eſſet velle, aut conſulere malum, ut malum eſt, ſed quatenus induit aliquam rationem boni: nam bonum eſt, impedire majus bonum.

Reſpondeo ad ſecundum, quòd illa opera, quæ non poſſunt omitti ſine peccato mortali,

non

non sunt dimittenda pro vitando scandalo, nec ea sunt facienda ad vitandum scandalum, quæ sine peccato committi non possunt; salus enim propria saluti alterius præponenda est: Potest tamen fieri aliquando aliqua actio prohibita sub peccato per præceptum positivum, ut vitetur scandalum; sed tunc non censetur amplius prohibita: sic enim dicitur, quòd possimus tacere aliquod peccatum in confessione, si ex hoc prævideretur scandalum esse futurum in Confessario: quia pro tunc non præcipitur integritas materialis in Confessione.

Resp. ad tertium, quòd ad vitandum scandalum futurum ex malitia, non tenetur vitare opus utile spiritualiter, aut temporaliter; modò actio non habeat speciem probabilem mali. Ad vitandum tamen scandalum futurum ex ignorantia, vel infirmitate, tenemur omittere opus utile, vel saltem differre illud, quod non habet ullam speciem mali, quia licèt non teneamus consulere malitiæ alterius, ubi adest nostra utilitas attamen debemus misereri infirmitatis, & ignorantiæ proximi; ob hoc mulier deberet domi manere, & non ire ad sacrum in die feriali, si prævideret, Petrum debere scandalizari ob ejus intuitum, non verò hoc deberet facere in die Festo, ob rationem superius allatam. Si dicatur, quòd aliquis dispensetur à Missa, data occasione succurrendi vitæ corporali proximi: ergo à fortiori, ubi agitur de vita spirituali. Resp. esse disparitatem in hoc quòd in primo casu proximus est innocens, & invitus patitur, & sic ex jure naturali debemus illi succurrere; in secundò autem culpabiliter mortem patitur, sciens, & volens.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Bello.

POstquam diximus plura de aliis vitiis, quæ Charitati opponuntur, loquendum adhuc est de bello quod unum etiam horum vitiosum est. Bellum autem dicitur à belluis, qui bellatores pugnas feroces bestiarum imitantur; vel taliter nominatur per antiphrasim, quia bellum omnia acerba, & nihil bellum habet. Bellum non est tam armorum conflictus, quàm professio, & status confligendi, & nocendi parti adversæ vi, & armis. Duplex est bellum, unum offensivum, quod suscipitur ad vindicandam injuria, aliud defensivum, quo quis se tuetur contra invasores Plura de bello nobis sunt explicanda.

Dico primò; tres præsertim fuisse hæreses circa belli susceptionem. Manichæi, quorum sectator fuit Vvicleffus, in genere damnantes bellum ex sua natura, tanquam impios accusabant Moysen, Josue, Davidem, & alios Reges, & Principes veteris Testamenti, quia bellum gesserant, Secundò, Anabaptistæ interdicebant bellum saltem Christianis, fundati in illo textu Scripturæ Matth. 26. *Omnis, qui occiderit gladio, gladio peribit*; & in hoc sequebantur Julianum Apostatam, qui ut impediret, ne se defenderent Christiani ab injuriis, quas illis inferebat, solitus erat eis obiicere hos contextus; *Si quis te percusserit in una maxilla: præbe illi & aliam*, Matth. 5 ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes*. Lutherus tertiò omne bellum non prohibebat, sed dicebat illicitum esse in particulari contra Turcas;

in

in articulis enim damnatis à Leone X ait *Præliari adversùs Turcas est repugnare Deo visitante iniquitates nostras per illos*: hoc tamen revocavit, & tale bellum commendavit Principibus Christianis; si enim non liceret se eripere à captivitate tyrannica, quomodo in libro Judicum, judices, & duces populi sæpius pugnassent ad Judæos eripiendos à servitute Gentium? Super est ergo tantùm, ut confutemus duas primas hæreses; sed anteà . . . . . .

Dico secundò, Bellum esse licitum ex natura sua, modò certas quasdam conditiones habeat. Primum probatur ex praxi, in universo orbe usitata, & in quodlibet tempore: quod certè non contingeret, si haberetur à natura prohibitio ejus, aut à jure divino, vel humano. Ratio nostra est, quia ex natura ipsa competit hominibus jus propulsandi injurias, impediendi nè inferantur, & aliquando ulciscendi in injuratores, ut cives tuti maneant in posterum, quod non potest sæpe fieri sine bello, quando maximè nullus est superior utrique parti, Confirmat Scriptura bellum esse licitum. 1. Quia illud Deus impetravit contra Madianitas Num. 25. & contra Amalecitas 1. Reg. 15. 2. Quia Deus opem tulit præliantibus Exod. 17. Deuteron. 1. & 2. Paralip. 20. & Ps. 17. 3. Quia Joannes Baptista Luc. 3. bellum approbat, præscribens leges militibus, ut non perderent salutem animæ. 4. Quia Deus interdum stupendis miraculis præliantium adjuvit conatus, quando V. G. Josue 9. ad clangorem tubarum corruerunt muri civitatis Hierico, & 4. Regum 19. Angelus Domini percussit una nocte centum octoginta quinque millia Assyriorum in illorum castris.

Di-

Dices tertiò ; tres requiri conditiones, ut bellum fiat licitè ; nempe legitimam authoritatem indicendi bellum, causam justam, & intentionem rectam. Si una harum conditionum desit, bellum est illicitum ; si prima absit, vel secunda, bellum est contra Justitiam, & onus restitutionis incurritur ; si tantùm desit tertia, bellum est contra Charitatem & restitutio non est necessaria. Authoritas illa est in Principe, aut in Republica perfecta, quæ non habet Superiorem, à quo reparationem injuriæ exigere possit : quòd intelligitur de bello offensivo, quantùm enim ad defensivum, cuilibet privato homini licitum est naturaliter se defendere. Quantùm ad justam causam, est, cùm reperitur necessitas impediendi, aut repellendi, aut ulciscendi injuriam. Non est autem justa causa, quando reperitur alia via injuriam vindicandi, aut propulsandi ; quia tot, & tanta mala oriuntur in bello, ut ad illud recurrere non liceat, nisi urgente necessitate. Quantum denique ad rectam intentionem, ipsa requiritur ; quia si quis Princeps injuriam passus esset ab alio Principe, posset uti juste vi, & armis, ut repararetur illa injuria ; si tamen præliaretur ex motu vindictæ, bellum esse illicitum, non tamen injustum, modò haberet aliam duplicem causam.

Dico quartò, bellum licitum fuisse in veteri Testamento, & etiam in novo. Ratio utriusque est, quia Bellum ex sua natura est illicitum, ut probavimus, ergo non potest fieri illicitum, nisi per legem prohibentem, quæ nulla invenitur in Veteri, aut in Novæ Lege. Deinde si Bellum esset nobis illicitum, vel esset propter damna, quæ ex bello oriuntur, vel propter obligationem, quam habemus diligendi

pro-

proximos, etiam inimicos, vel quia tenemur condonare offensam. Non primum, quia plura mala possunt impediri per bellum quàm ex illo sequerentur; posset enim tota Respublica in potestatem venire inimici, qui plurima damna afferret. Non secundum quia debemus nos præferre inimicis. Non tertium, quia possumus ex justitia exigere satisfactionem injuriæ. Quantum ad textus Scripturæ, qui videntur bellum interdicere, sic solvendi sunt. Quando dicitur Matt. 5. *Si quis te percusserit in una maxilla, præbe illi & aliam*; hoc non est absolutè necessarium, aliàs feciset Christus, qui tamen dixit; *Cur me cædis?* Sed per hoc privatam vindictam vult arcere; ita quod accepta una injuria, parati simus ad aliam, potiùs quàm vindictam sumere. Sic etiam intelligenda hæc verba, *qui gladium acceperint, gladio peribunt*, supple ex motu privatæ vindictæ, quod tamen non prohibet bellum, quæ suscipitur authoritate publica. Quando dicit Isaias c. 2. *Non levabit Gens contra Gentem Gladium*, per hoc tantùm indicat, non fore bellum in adventu Messiæ. Si in Concil. Nic. Can. 11. præcipitur, ut Christiani, qui anteà malitiam reliquerant, & postea ad illam redierant, sint decem annis in pœnitentia: hoc intelligitur de conversis, qui militiam Licinii, aut Diocletiani Imperatorum infidelium relinquerant, ut se darent Christo, & postea ad eandem militiam reverti prætendebant, abnegando fidem receptam.

Dico quintò, posita justa causa, non posse bellum offensivum indici, nisi prius satisfactio petatur ab adversario; quæ si offeratur, non debet indici bellum. Immò si postquam inchoatum est, offeratur satisfactio, bel-

lum

lum ceſſare debet, modò, cum reparatione injuriæ, bona in bello expenſa reſarciantur. In bello juſto licitum eſt facere hoſtibus omnia, quæ ducunt ad finem belli, ad recuperationem rei ablatæ, ad injuriæ reparationem, ad pacem ſtabiliendam, & reducendam hoſtes, ut non valeant in poſterum damna afferre reipublicæ, quæ omnia ſunt finis belli. Ex eo poſſunt hoſtium bona diripi, uſque ad ſufficientem compenſationem injuriæ, & non ultra, excepta præda quam accipiunt milites, quæ ex jure Gentium pertinet ad milites capientes illam: niſi lex regni, vel conſuetudo velit, quod ſpolia militum ad ducem afferantur, ut dividantur pro merito prælianrium, ſicut fecit David 1 Reg. Poſſunt etiam interfici hoſtes, bonis ſpoliari, carcere detineri, & in ſervitutem redigi, exceptis Chriſtianis à Chriſtianis captis; & hoc in gratiam fidei. Quantum ad innocentes, non licèt eos occidere, Exod. 23. *Inſontem, & juſtum non occides* niſi accederet mandatum ſpeciale Dei, ut 1. Reg. 15. ubi dixit Deus Sauli; *Percuto Amalech, & interfice à viro uſque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem*; per accidens tamen poſſunt occidi, cum ſine diſtinctione tormenta bellica plures occidunt. Quoad bona ipſorum, idem picendum eſt ac de vita, quòd licèt non tolli non poſſint, niſi per illa bonum præſtari poſſit nocentibus hoſtibus, quod facit, ut aliquando ſpoliari poſſint navibus, frumento, & equis. Ratio noſtra eſt, quia ſicut Rex in ſuo regno non poſſet ſpoliare vita, aut bonis ſuos ſubditos innocentes, ita nec alios, quando non nocent; aliqui tamen, ut noſter Pontius, putant, innocentes poſſe vita & bonis privari, dum conjuncti ſunt

par-

particulariter cum nocentibus (ut mulieres filii , singulares amici) modò etiam tanta sit injuria, ne competens vindicta sumi non possit de nocentibus , nisi cum illis occidantur personæ singulariter conjunctæ. Quoad Ecclesias denique, semper sua immunitate gaudent , nisi ad illas fugiant hostes , ut se defendant ; unde non debent muniri ad oppugnandos hostes, bene autem ad conservandos Ecclesiasticos, & Laicos innocentes.

Dico sextò , ut jam anteà , bellum non posse fieri sine justa causa; sed sciendum est ex Bonacina , quòd si milites sint subditi Regi bellanti , vel ejus stipendiarii , ante bellum sufficit , ut sciant bellum non esse injustum ; nam in dubio præsumendum est pro Rege, & illi obediendum ; si tamen fama communis diceret , bellum esse injustum , inquirendum esset de rei veritate , aliàs esset ignorantia crassa. Ut tamen non subditus , vel stipendiarius accedat ad bellum , debet habere cognitionem moralem de justitia belli : quia nulla necessitas illum cogit ad se dandum Principi alieno , cum periculo inferendi damnum injustum suo proximo ; illa autem cognitio erit sufficiens , si credat Principem ita æquum , ut non esset bellum injustum susceptum . Bellum sæpè est ex utraque justum formaliter ; quando scilicet uterque Princeps , re maturiùs examinata , credit se habere justam causam bellandi ; Non potest tamen ex utraque parte esse justum materialiter , quia utraque pars non potest habere justam causam à parte rei. Quando causa belli est dubia , hæc sunt digna notatu . Primò , si alter Principum sit in possessione , verbi g. urbis in contestatione existentis , non tenetur , qui illam possidet , alteri tra-

dere

dere quiam est possessor bonæ fidei, & in dubio melior est conditio possidentis : alter etiam non potest propterea hoc illi bellum declarare, quia jus favet possessori, quod pro tunc violaretur per bellum. Unde iste deberet rationibus declarare jus suum illi, qui etiam eas deberet audire ; per quas rationes, si non esset convictus, non teneretur cedere urbem, nec alter posset illi propterea bellum inferre, si maneat dubius de jure suo, ob rationem allatam. An autem debeant deferre hanc controversiam ad arbitrum negatur communiter; quia Principes supremi sunt judices in sua causa, & sic debent tantùm sequi regulam juris; unde Possessor potest illam urbem retinere, quia jus favet possessori, & Actor non potest bellum declarare, quia violaret jus, quod habet alter; Si tamen uterque conveniset de arbitrio, deberet sequi ipsius determinationem. Secundò, si principum alter venit in possessionem urbis illius post bellum inchoatum, non censetur possessor bonæ fidei; & sic cùm uterque maneat dubius, debet fieri divisio illius; & compositio litis pro quantitate dubii. Tertio, si neuter principum est in potestate rei controversæ, idem dicendum: quòd, manente dubio, debeat compensatio, aut divisio fieri, quia nullus potest præliari. Quartò si post obitum Regis, quilibet hæredum prætendat successionem tunc Respublica est superior, quæ litem dirimere debet, sicut in Schismate Ecclesiæ.

Dico septimò, jure Ecclesiæ prohibitum esse bellum Clericis, & Monachis, ita quòd propria manu pugnare non possint; ex cap. *Eos qui.* 20. qu. 3. & Cap. *Quicumque ex Cler.* 23. qu. 8. quod habetur 2. Timoth. 2. *Nemo mili-*

militans Deo implicat se negociis sæcularibus: Possunt tamen suadere bellum, Principem sæcularem evocare ad bellum suscipiendum pro defensione suæ Ecclesiæ, bellum indicere, & ducem constituere, qui bello præsit; similiterque bello interesse ad ferenda subsidia spiritualia, & in illo hortari milites, ut fortiter dimicent, sine intentione formali sanguinis effundendi; unde, cùm Innocentius III. ait enormiter peccare Clericum, qui alios ad pugnandum incitat, intelligitur de bello injusto. Possunt Clerici, & Monachi ex licentia Summi Pontificis in Extrema necessitate pugnare propria manu, & consequenter hostes occidere, spoliare, & facere omnia alia, quæ licitè faciunt alii milites; & hoc ver. g. quando talis pugna necessaria est ad defensionem sui aut reipublicæ, aut exercitus, qui sine ea esset periturus; Immò etiam ad hoc tenentur, non expectata Pontificis licentia, quia hoc est de jure naturæ; nec in his occasionibus incurrunt irregularitatem, quoniam ipsa non contrahitur nisi in casibus à jure expressi, quando scilicet aliquis alium occidit illicitè, vel dat operam rei illicitæ, ex qua mors sequitur, vel denique licitè occidit tanquam Minister publicus justitiæ, in his inquam contrahitur irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, non verò in casu proposito, rigores enim non debent extendi, aliàs qui justè occidat alium in defensione sui esset irregularis, contra Clement. *Si furiosum* de homicidio. Adde quod, in his casibus Clericus censetur habere licentiam interpretativam Pontificis, qua cessat Irregularitas. Si Bellum sit injustum, omnes, qui causa sunt, sive consilio aut auxilio, ut fiat, sunt irregulare, si ex

si ex eo homicidium sequatur, etiamsi illud non fecerint, quia ad homicidium injustum cooperari sunt. Clerici verò, licèt bellum sit justum, sunt irregulares, si pugnent sine licentia Pontificis, vel extra casus necessitatis præallegatos, hoc enim illi prohibet Ecclesia sub pœna Irregularitatis. Hìc quæri solet, an Clericis prohibeatur bellum ex jure naturæ, negat Becanus, sed melius affirmat Valentia Disp. 3. quæst. 16. Punct. 3. de bello, extra casus necessitatis, pro tunc enim duo præcepta naturæ urgent Clericos; per primum tenentur secundùm dictamen rationis vivere conformiter suo statui, & proinde non se implicare negotiis temporalibus, & per aliud tenetur defendere se, & Rempublicam, quæ absolutè indiget defensione Clericorum, quod ultimum præceptum præponderat primo; unde concludit Valentia ff. *Nec verò*, extra casus necessitatis, invalidam esse dispensationem Summi Pontificis, qui nihil potest contra jus naturæ; sed tantùm valere in illis casibus, ubi non constaret evidenter, si opera Clericorum essent absolutè necessaria Reipulicæ, tunc enim hoc explicare: Pontifex.

Dico octavò; pro solutione aliquarum quæstionum, quæ explicandæ remanent, quòd si quæratur primò, an possit fieri bellum contra Hæreticos, Respondendum erit posse fieri, modò Hæretici turbent pacem Ecclesiæ, vel Reipublicæ, habetur enim exemplum Moysis, qui interfecit tria millia hominum, quando pars populi commisit Idololatriam. Quantùm ad infideles. Si sint subditi de facto Christianis, ut sunt Judæi in Italia, illis potest fieri bellum, quando obsunt bono communi, & crimina committunt. Si

sint

sint tantùm de jure, & non de facto subdi. ti Principibus Christianis, ut sunt Turcæ, potest illis bellum declarari, & ab illis auferri terras, quas habent à Principibus Christianis. Hoc potest, inquam, fieri ab illis Principibus, qui ex successione habent jus ad illas terras; immò & ab aliis, maximè si accedat consensus, saltem interpretativus, Summi Pontificis. Si denique infideles non sint subjecti Principibus Christianis de jure, nec de facto, non potest cum illis iniri bellum, nullum enim jus habetur super illos: nisi impediant prædicationem Evangeliis, ut diximus, agendo de Fide, Dum quæritur secundò, an licitè possint Christiani ad auxilium vocare infideles contra fideles. Distingui debet, & dici, hoc non esse illicitum ex natura rei: quia, cùm infideles possint ex justa causa prœliari cum fidelibus, sic etiam possunt vocari, ut juvent contra fideles: David enim 1. Reg. 28. præbuit Achis Regi Philistinorum auxilium contra populum Israel: Ratione tamen scandali, & periculi hoc est sæpè illicitum: unde Deus prohibuit Israelitis, nè inirent fœdus cum infidelibus: ideò punivit Asa regem Juda 2. Paralip. 16. & Josaphat etiam regem Juda, quia iste præbuit auxilium Regi Achas 2. Paralip. 16 & ille accepit à Benadab Rege Syriæ. Si quæratur tertiò, an semper liceat bellare? Respondeo affirmativè, excepto tempore induciarum unde in die Festo licita est pugna, si necessaria sit, aut opportunior ad obtinendam victoriam: immò etiamsi ita commodè possent obtineri die sequenti, non esset prohibita sub peccato mortali, modò audiatur Missa, ajunt Canonistæ: quia bellum non est opus servile, cùm etiam exerceatur à Principibus, si cap.

1. de

1. de *Tregua*, & *Pace* prohibeatur bellum à Septuagesima ad octavam Paschæ, hic canon non est in usu.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Ecclesia.

CUm Fides sit anima Ecclesiæ, qua omnia ipsius membra vivunt, ordo doctrinę postulare videbatur, ut agentes de Fide etiam ageremus de Ecclesia, tanquam de prę. cipua regula Fidei. Quia tamen hæc omnia tractata simul, aliquam attulissent confusionem, distinctiùs procedere volentes, congruum sanè visum est; istum ab illo tractatum separare, ut confusorum distinctio claritatem pariat. Tractatus autem iste tribus disputationibus componetur, quarum prima erit de Ecclesia in se, secunda de Summo Pontifice, tertia de Conciliis, in quibus examinantur difficultates, quæ sæpiùs oriuntur in Ecclesia.

DISPUTATIO PRIMA.

De Ecclesia.

PRobavimus aliàs Scripturam solam aut solas Traditiones non esse sufficientes fidei nostræ regulas; cùm Scriptura sit multùm obscura, & non contineat, omnia, quę ad salutem necessaria sunt ut vidimus agendo de Fide, de traditionibus verò non possumus indubitanter cognoscere, an sint divinę vel Apostolicæ, vel humanæ; ideò dedit nobis Deus aliam regulam prorsus infallibilem, Ecclesi-

cleſiam nimirum, quæ clarè, & diſtinctè determinat de omnibus credendis, & quæ nullo modo deficere poteſt, cum ex promiſſione Chriſti portæ inferi non poſſint prævalere adversùs eam.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Eccleſia.

ECcleſiæ nomen à verbo Græco derivatur, quod eſt evocatio, ſeu invocatio; ita quòd Eccleſia ſit cætus vocatorum: Fidelium ſcilicet, qui non intrant Eccleſiam proprio motu, nec propriis viribus, ſed quatenus Dei vocatione præveniuntur. Sumitur in bonam, & in malam partem: alia eſt Eccleſia malignantium: *Odivi Eccleſiam malignantium*, alia eſt Eccleſia Sanctorum: *Laus ejus in Eccleſia Sanctorum*. Pſalm. 88. Tamen communiter Scriptura illam ſumit in bonam partem. Hic loqui non intendimus de Eccleſia ſumpta pro loco, ubi aggregantur Fideles, Judith. 6. *Omnis populus per totam noctem orabat*, ſed de ipſa aggregatione Fidelium, ad Rom. 16. *Salutant vos omnes Eccleſiæ Aſiæ.*

CONCLUSIO

ECcleſia ſtrictè, & propriè ſumpta, eſt congregatio, ſeu cętus hominum, qui uniuntur in eadem Fidei profeſſione, & Sacramentorum participatione, ſub legitimo Paſtore, Chriſti in terris Vicario. Sic excluduntur ab Eccleſia illi, qui nunquam habuerunt fidem: ut Pagani, Turcæ, Judæi: & illi, qui à vera Fide receſſerunt, ut Hæretici, quia noſtra Eccleſia eſt cætus fidelium

lium. Excluduntur etiam Catechumeni, & Excommunicati, qui non admittuntur ad participationem Sacramentorum. Excluduntur insuper Schismatici, qui verum Pastorem non agnoscunt. Quia ex dictis sonat Ecclesiam esse omnium Fidelium, ideò errant Pelagiani dicentes Ecclesiam esse tantùm multitudinem perfectorum, qui nullum habent peccatum, de quibus August. lib. de Hæres. cap. 88. Errant 2. Vvicleffistę, dum putant solos prædestinatos facere Ecclesiam, Ex Conc. Constantiensi sess. 15. art. 5. Errant 3. Novatiani. & Donatistæ, qui asserunt non quidem omnes peccatores excludi ab Ecclesia, sed illos, qui lapsi sunt circa fidem, & ejus professionem, ex Cypriano l. 4. Epist. 2. & August. lib. de Hæres. cap. 69. Errant denique Calvinus, & Lutherus, qui Ecclesiam volunt tantùm componi ex justis prædestinatis, tenent enim nobiscum Fideles esse in Ecclesia, & afferunt contra nos, quòd illi, qui semel fidem acceperunt, ea non possint carere, nec ulla peccata mortalia, aut venialia illis imputari.

Quæres, utrùm Ecclesia ante Christum dicatur una cum nostra. Resp. quod etiamsi diversa appareat in lege naturæ sub Prophetis, in lege scripta sub Sacerdotibus, Levitis, & Prophetis, & in lege gratiæ sub Summis Pontificibus, attamen secundùm essentiam est una cum illis, quia omnes populi sub his legibus existentes profitentur eamdem Fidem de Deo, & de Christo, & eadem sacramenta participant, licèt illi haberent ea tantùm in figura, nos in veritate, & realitate, licèt etiam nos distintiùs habeamus credenda, quàm illi: Attamen, licèt: Ecclesiæ non differant

se.

secundùm naturam, diversæ tamen sunt secundùm statum, sicut alius est status hominis in infantia, alius in pueritia, & alius in juventute.

QUÆSTIO II.

Quando incepit Ecclesia.

Alii censent, Ecclesiam ortum habuisse ab Adamo, & Eva, alii verò à tempore Abelis, qui à Patribus dicitur primus justorum, sed licèt dicatur primus justorum, hoc est, justorum, qui nominantur in Scriptura; probabile tamen est, quòd Adam statim post peccatum pœnitentiam egerit. Sapient. 10. *Adam peccavit, & eductus est à delicto suo*; quod de Eva credendum est etiam, quæ in omnibus virum suum sequebatur: Adde, quòd licèt Abel fuisset primus justorum, non propterà Ecclesia duxisset ab illo principium, quia, ut diximus, Ecclesia non est collectio justorum, sed Fidelium: Hoc ergo non probat Ecclesiam incœpisse ab Abel.

CONCLUSIO.

Ecclesiam in statu imperfecto incœpit ab Adamo, & Eva, & tempore Abelis ratione utentis perfectionem accepit Primùm probatur primò, quia Adamus, & Eva fidem interiùs habebant, quam exteriùs profitebantur. 2. quia Adamus erat ex se dux Ecclesiæ, cùm ipse esset suos filios eruditurus in Fide unde ab illo potiùs, quàm à filiis incepit Ecclesia. 3. quia extra Ecclesiam nullum est verum Sacrificium; & probabile est Adamum toto tempore inter peccatum, & liberorum

pro creationem non fuisse sine aliquo sacrificio, quod offerebat ad expiationem peccati, ad gratias agendum Deo, & ipsum glorificandum, in quo Abel imitatus est patrem. Secundùm evidens est; quia ex duobus non potest fieri societas Ecclesiæ, juxta Canonistas, *tres faciunt Capitulum*, ita ut unus sit superior, alteri inferiores.

Objicies: Si Ecclesia fuit tempore Adami, tota defecit; tum in justitia, quoniam ambo peccaverunt; tum in fide: quia uterque erravit putans se fore similem Deo. Resp. ad primum; Ecclesiam reverà retinere semper aliquid boni; nam secundùm se totam non habet maculam, neque rugam ex Scrip. sed hoc intelligi debet de Ecclesia in statu perfecto. Ad secundum dico, primos parentes errasse quidem, qui enim peccat, errat; *errant omnes, qui operant iniquitatem*; non erraverunt tamen in fide, quia non crediderunt se posse deos fieri, sed tantùm majorem excellentiam, quæ est aliqua Dei similitudo, appetierunt.

QUÆSTIO III.

Utrùm Ecclesia sit visibilis.

HÆretici nostri contendunt, Ecclesiam non esse visibilem; Aliàs fateri cogerentur se non esse de Christi Ecclesia, cùm nullum possit præteritis temporibus illustrem cœtum hominum indicare, in quo fuerit Orationum, Religionis, atque Doctrinæ forma, quam in sæculo præcedenti introduxerunt. Unde ut se filios tenebrarum ostendant, Eccl siam, quam se obtinere dicunt, sua luce privant; asserentes illam pluribus sæculis

culis detuliſſe uſque ad Lutherum, Calvinum, & alios. Catholici autem ſic in luce, & conſpectu hominum poſitam eſſe Eccleſiam aſſeverant, ut quovis ſæculo evidenter non fuerit illa congregatio, quam Eccleſiam Chriſti eſſe credimus.

CONCLUSIO.

ECcleſia Chriſti eſt viſibilis, 1. quia Pſal. 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*. quod de Eccleſia intelligit Auguſt. in hunc Pſal. & Epiſt. 166. ad Donatiſtas, *Ipſa Eccleſia in Sole poſita, hoc eſt, in manifeſtatione, omnibus nota uſque ad terminos terræ* 2. quia in Evangelio comparatur Eccleſia à Chriſto ſagenæ miſſe in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: comparatur convivio nuptiali, ad quod boni, & mali congregata ſunt: comparatur decem virginibus, quarum quinq; erant ſapientes, & quinque fatuæ: comparat denique Apoſtolus domui, in qua ſunt vaſa in honorem, & in contumeliam: hæc autem omnia ſunt viſibilia 3. quia illa Eccleſia eſt viſibilis in qua convocantur Concilia, ſanciuntur Canones, Paſtores viſibiliter docent ſubditos, Subditi obediunt Paſtoribus, Sacramenta ſenſibilia adminiſtrantur &c. 4. quia præcipit Chriſtus, ut quando frater noſter eſt incorrigibilis, dicamus Eccleſiæ, Matth. 18. quomodo autem hoc poſſet fieri; ſi Eccleſia eſſet inviſibilis? ex quibus omnibus patet, Eccleſiam Chriſti eſſe viſibilem, quidquid dicant Lutherani, & Calviniſtæ cum Donatiſtis. Unde Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincentium. *Ipſa eſt Eccleſia, quæ aliquando obſcuratur, & tanquam obnubilatur ſcandalorum multitudine, ſed etiam tunc in infirmitate eminet.*

Obiicies ex Jerem. 31. distinguente Ecclesiam Novi, & Veteris Testamenti, per hoc quod Ecclesia veteris Testamenti sit congregatio externa, cujus lex scripta erat in tabulis materialibus; & nova sit cœtus internus, cujus lex est in cordibus, *Dabo legem meam in cordibus eorum, & ero eis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum*, Resp. Prophetam velle tantùm ostendere, animam veteris Testamenti esse tantùm doctrinam exteriorem, animam verò Novi esse Charitatem: *qua diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.* Quando etiam Scriptura dicit regnum Dei Luc. 15. non venire cum observatione, intra nos esse, non consistere ceremoniis exterioribus, & sensibilibus, non loquitur de Ecclesia, sed de anima Ecclesiæ, quæ est Fides Gratia, & Charitas. Si lex dicatur invisibilis, sicut Sacerdotium, & Hostia, ex hoc non sequitur, Ecclesiam esse invisibilem, sed tantùm, quod in ea est principalius.

Obiicies 2. Fides non est visibilium; at, qui credimus Ecclesiam, *credo in Ecclesiam*: ergo est visibilis, aut dicendum est, video, seu clare cognosco Ecclesiam. Resp. quòd duo sint in Ecclesia; quorum unum est manifestum, nempè congregatio Fidelium, Deum in Sacramentis, & Sacrificiis sensibilibus colentium, & hoc proprie non creditur; aliud est obscurum, quod creditur, nempe quòd regatur à Spiritu sancto, quòd Sacramenta Ecclesiæ conferant gratiam invisibilem, quòd extra eam nemo possit salvari, quòd sit infallibilis, &c. Primum non creditur, benè autem secundum; sicut Christus cognoscebatur secundùm humanitatem & credebatur secundùm divinitatem.

Obii-

Obiicies; Ecclesiam tempore Heliæ latuisse; ita ut Helias se solum relictum putaret? Tempore etiam Antichristi ita latebit Ecclesia ut nullus ausurus sit Christum confiteri; Resp. aliquando uno tempore illam minus esse conspicuam, vel in uno loco, ita fuerit cognitu difficilis, juxta Hilarium contra Auxentium, admonentem tempore Arianorum, non fuisse tunc Ecclesiam in exteriori pompa quærendam, sed potiùs in carceribus, & speluncis; non fuit tamen, aut erit tempus, in quo ita obscura sit Ecclesia, quin semper habeat actus suos visibiles, ut sunt prædicatio Evangelii, oblatio Sacrificii, Sacramentorum administratio, &c. licèt omnia aliquando non fiant cum apparatu. Quod ergo dicitur de Helia, solvi potest, quod licèt fideles, qui erant sub dominatione Achab, essent occulti, respectu Heliæ, inter se tamen erant cogniti. Adde quod in aliis duabus tribubus, quæ non parebant Achab, erant multi fideles, nempe in tribu Beniamin, & Judæ. Quoad tempus Antichristi, licèt in eo non futura sit libera professio fidei, fiet tamen occulta.

Quæres, an Ecclesia sit visibilis materialiter, vel formaliter? Resp. utroque modo esse visibilem. Primò materialiter, quia cœtus hominum Deo servientium in Ecclesia visibilis est. Secundò formaliter, quia licèt fides, quæ est forma Ecclesiæ, non videatur per se, sicut substantiæ videntur, cognoscitur tamen per externam sui professionem, quæ fit per verba, aut per actus, sicut substantia cognoscitur per accidens: Ergo Ecclesia est visibilis etiam formaliter, saltem arguitivè.

QUÆSTIO IV.

Utrùm universalis Ecclesia possit errare in fide.

TItulo quæstionis apparet nos non loqui de tota Ecclesia collectivè sumpta, quatenus ex Pastoribus, & Ovibus constata est, constat enim aliquam partem Ecclesiæ, seu Christianos aliquos errasse reverà. Erravit Arrius negans Christi divinitatem: erravit Macedonius negans divinitatem Spiritus S. Erravit Nestorius asserens duas in Christo personas; erravere Eutyches, & Dioscorus asserentes in Christo unicam naturam; erraverunt Pelagani negantes peccatum originale, &c. An autem tota Ecclesia defecerit, vel possit deficere à fide, hoc quærimus.

Lutherani, & Calvinistæ fatentur Ecclesiam Christi, seu Romanam per primos quingentos annos fuisse veram Christi sponsam, nec ullo modo errasse toto tempore illo: sed posteà cepisse paulatim deficere à vera fide, & religione, ac tandem omnino apostatasse, factamque esse adulteram. Sed hoc nemini mirum videri debet; cùm enim Ecclesia hæreticorum errores semper damnaverit: si ejus infallibilitatem in fide admitterent, nihil illis ampliùs supereset, quo suas tuerentur hæreses.

CONCLUSIO.

UNiversalis Ecclesia secundùm se totam non potest deficere in rebus ad salutem necessariis, neque in Fide, neque in moribus. Matth. enim 16. *Porta inferi non prævalebunt adversùs eam*. Unde Aug. lib. 1. de

Sym-

Symbolo ad Catechumenos, *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans: oppugnari potest, expugnari non potest: Hæreses omnes de illa prodierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in charitate sua, porta inferorum non vincent eam.* Ubi Augustinus loquitur de Ecclesia visibili, ex qua hæretici prodierunt; non de invisibili, in qua sunt soli prædestinati. Frustra ergo Calvinus asserit, Ecclesiam invisibilem, ex solis prædestinatis compositam non posse errare; bene autem visibilem ex bonis, & malis, ex prædestinatis, & reprobis conflatam, errasse actualiter. Matth. etiam 28. promittit Christus se semper Ecclesiæ suæ adfuturum per directionem, & gubernationem, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Quo argumento Aug. utitur contra Donatistas Conc. 2. in Psal. 101. qui dicebant sicut Lutherani, & Calvinistæ, *Ecclesia Catholica jam non est, sed fuit.*

Probatur 2. Ecclesia est sponsa Christi, quam Christus sibi indissolubiliter conjunxit. Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum*, & Ephes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Sponsus autem non debet à sponsa separari; ergo nec Christus ab Ecclesia: Sponsa etiam relinquere non debet sponsum, ergo nec Ecclesia directionem Christi; Unde Cyprianus lib. de Unic. Eccl. *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, & pudica.* Deinde Christus Matt. 16. dicit se ædificaturum Ecclesiam supra Petram, in quam portæ inferi non prævelebunt; non ut insipiens Architectus,

de quo fit mentio Matth. 7. qui super arenam ædificat, & quando oritur vehemens aliqua tempestas, statim corruit. Tandem, Ecclesia dicitur *columna veritatis*; columna autem est firma, & stabilis, quæ à veritate deflectere non potest.

Probatur 3. Extra Ecclesiam nemo salvari potest; at semper aliqui salvantur, aliàs omnes majores nostri, qui à quinto sæculo vixerunt usque ad Lutherum, periissent, quod nemo, nisi impius dixerit: ergo remansit semper Ecclesia, in qua saltem aliqui salvi fierent. Secundò, si in dogmatibus fidei aut morum erraret Ecclesia, hoc attribueretur Christo, & Spiritui sancto, qui Ecclesiam regunt, Joan. 16. *Spiritus Domini docebit vos omnem veritatem*. Ad Ephes. 1. *Dedit Deus ipsum*, nempe Christum, *caput Ecclesiæ, quod est corpus ejus*. Et c. 3. *Vir est caput mulieris, sicut Christus Ecclesiæ*: Blasphemum autem est dicere, Christum non conservare sua membra, nec suam uxorem, & Spiritum sanctum contra veritatem Catholicam aliquid inspirare. Tertiò, tenentur fideles assentiri Ecclesiæ, Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*, Sed nimis purum esset, ad illud astringere Fideles, si Ecclesia posset docere falsum. Quartò, Patres huic veritati subscribunt, ut videre est apud Irenæum lib. 3. c. 4. apud Aug. disputantem contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem Christi periisse dicebant, & solum remansisse in aliquibus justis in Africa: apud Bernardum Serm. 79. in Cant. in illud, *Tenui illum, nec dimittam*: & alios.

Objicies primò: Synagoga Judæorum fæpè defecit à fide: ergo & Ecclesia. Negatur con-

consequentia, quia Ecclesia habet promissionem de firmitate: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, non Synagoga: Deinde, difficile est ostendere Synagogam totam defecisse: nam si dicatur tempore Moysis populum, Exod. 32. orasse: in adoratione vituli aurei; nec Moyses, qui tunc erat dux Ecclesiæ, illum adoravit, neque Levitæ. Si dicatur, quòd solus Helias remanserit fidelis; hoc solutum est *quæst. præced.* Si dicatur, Synagogam defecisse tempore Christi; hoc est, quia repudiata fuit ceremoniis suis, & loco ejus substituta est Ecclesia. Si dicatur, quod Ecclesia deficiet tempore Antichristi, 2. Thessal 2. *Nisi advenerit discessio primùm*, hoc intelligitur quantùm ad aliquos, non quantùm ad omnes. Si dicatur Danieli 9. *Deficiet hostia, & sacrificium*, hoc est, Synagoga, non in Ecclesia. Si dicatur, quòd Concilium Basilienſe deposuerit Eugenium IV. & loco ejus creaverit Felicem, & quod postea Eugenius in Sede irrepserit sine Canonica electione, à quo ortum habuerunt subsequentes Pontifices Episcopi, & Sacerdotes: ergo saltem ab illo tempore defecit Ecclesia. Resp. licèt hoc concilium initio fuerit legitimum, dum in illo aderant legati Pontificis; ex quo tamen ipsi sunt revocati ab Eugenio, cessavit Concilium, & factum est Conciliabulum Schismaticum. Si Ecclesia denique comparetur Lunæ, quæ aliquando deficit: in hoc non stat comparatio; sed in hoc, quòd sicut Luna initio mensis exigua est, sic Ecclesia in ortu suo: sicut etiam Luna desumit lumen à Sole, sic Ecclesia fidem, & sanctitatem à Christo.

Objicies secundò: non minùs promissa est sanctitas Ecclesiæ, quam Fides, quia san-

ctitas est una ex notis Ecclesiæ, sanctitas autem potest deficere in omnibus Prælatis. Resp. quòd licèt sanctitas deficeret in Prælatorum congregatione (quod tamen non est probabile) attamen non deficiet in congregatione omnium Fidelium. Deinde, perseverantia in fide magis promissa Prælatis, quàm in sanctitate; quia si errarent in deficiendo, omnes Fideles errarent, qui tenentur obedire Prælatis suis: ex corruptione autem Prælatorum non nasceretur ruina Populorum, cùm non secundùm opera eorum teneantur agere, sed secundùm dicta. Dices, promissum est tantùm Ecclesiæ quod non deficeret in fide; sed error inculpabilis in fide non destruit fidem, quoniam Cyprianus docuit baptizatos ab hæreticis debere rebaptizari, & non fuit infidelis: ergo tota Ecclesia saltem inculpabiliter potest errare in Fide. Resp. licèt hoc possit accidere respectu privatorum (unde aliud est errare in Fide, & aliud deficere à fide) attamen totam Ecclesiam, quæ est columna veritatis, numquam permittet Deus definire aliquid contra Fidem; ipse enim Christus, & Spiritus sanctus censerentur definire contra fidem: nam ut ait D. Th. 3. q. 12. art. 2. Solut. ad 3. Christus est caput Ecclesiæ, & Spiritus sanctus ejus cor; actiones autem vitales corporis naturalis attribuuntur capiti, & cordi; ergo si Ecclesia proponeret aliquid contra fidem, Christus, & Spiritus sanctus illud definire censerentur. Dices, Ecclesia potest errare, si vult, quia Fides est libera. Resp. Deum numquam permittere, quòd tota Ecclesia errare velit. Dices, infallibilitas non debetur Ecclesiæ, nisi post disquisitiones, & consultationes, quas pos-

sunt

sunt omittere omnes Prælati : ergo. Resp. Deum, qui promisit infallibilitatem Ecclesiæ suæ, mediante disquisitione, numquam permissurum, quod illa omittatur.

Ut hæc quæstio intelligatur distinctiùs, Dico primò, quòd Ecclesia tota orbe diffusa, in rebus necessariis in fide; aut in moribus non possit errare errore culpabili; & sic non loquimur de Papa, aut Concilio Generali, sed de universa Ecclesia dispersa. Hoc probatum est in Concluſ. Dico 2. nec etiam totam Ecclesiam posse errare errore inculpabili credendo, aut definiendo aliquid contra Fidem, ut diximus; quia licèt non destrueretur illius fides, rueret tamen tota certitudo fidei; dubitaret enim quilibet, an in tali articulo, vel tali non laboraverit Ecclesia errore inculpabili. Dico; omnes Prælatos collectivè sumptos non posse proponere aliquid contra Fidem, sive culpabiliter, sive inculpabiliter: cùm enim populus teneatur doctrinam Pastorum sequi, rueret tota fidei certitudo, si Prælati, & populus in errorem laberentur, sicque Providentia Deus non debet permittere, ut omnes Prælati deficiant. Dico 4. probabile esse, quòd omnes Pastores, & Doctores simul sumpti non possint personaliter errare in fide; si enim omnes sentiret aliquid esse de fide, quod non est, vel è contra, periculosissimum esset, ne idem sentirent populi, illud eis proponendo credendum. Licèt enim credamus Deum impedire, ne Summus Pontifex Hæreticus proponat suum errorem credendum tale miraculum non est admittendum in singulis Prælatis.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quinam ad Ecclesiam pertineant.

HÆc quæstio de pluribus intellgi potest, nimirum de infidelibus, de Judæis, de Hæreticis, de Schismaticis, de Excommunicatis, de reprobis, de non Perfectis, de magnis Peccatoribus, & de Infidelibus occultis, Quæri, inquam, potest, an omnes isti sint membra Ecclesiæ, quod solvetur, brevitatis causa, per resolutiones sequentes. Unde.

Dico primò, Infideles, & Judæos non baptizatos nequaquam pertinere ad Ecclesiam Christi (de Catechumenis loquemur posteà) quia Fides, & Baptismus sunt janua Ecclesiæ, & sic non sunt illius membra, 1. Cor. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* id est, de Infidelibus. Nisi fortè dicantur esse de corpore Ecclesiæ, saltem in potentia, quomodo asseruit D. Thom. Christum esse illorum caput.

Dico secundò, Hæreticos non esse membra Ecclesiæ, sicut nec Apostatas; qui in hoc differunt, quod Apostatæ nihil retineant de fide, sed sint in Judaismo, aut Paganismo. Hæretici verò in aliquibus tantùm articulis errant, & alios, saltem fide humana, retinent, ut diximus agendo de Fide. Assertio nostra est Concilii Nic. ubi Hæretici dicuntur posse recipi in Ecclesiam, si redierint; ergo sunt extra illam, eo ipso, quo sunt hæretici. Ex Concil. etiam Lateran. Capit. *Firmiter* de Summ. Trin. & Fide Catholica: Ecclesia est congregatio Fidelium, & illi nullo modo sunt infideles, ut probavimus Cap. de Fide.

Sic

Sic Patres omnes, inter quos solum Aug. referam lib. de Unitate Ecclesiæ, Cap. 4. *Quid non credunt, Christum in carne venisse, & resurrexisse, non utique sunt in Ecclesia*, & Cyprianum in Epist. ad Jubajanum dicentem, hæreticos, cum sint extra Ecclesiam, sibi vindicare authoritatem Ecclesiæ more simiarum, quæ cùm homines non sint, volunt tamen homines videri. Dum dicit Alphonsus à Castro, hæreticos, & apostatas esse in Ecclesia, tanquam membra mortua, quia habent caracterem Baptismi, subjiciuntur pœnis Ecclesiæ, & Paulus 2. ad Timot. 2. ait, *In magna domo sunt vasa aurea, argentea, lignea, & fictilia*: negatur Alphonsus: Carracter enim non facit esse actu in Ecclesia, aliàs damnati essent in illa; sed significat saltem aliquando fuisse in Ecclesia. Quod si puniantur hæretici, hoc est, ut ad Ecclesiam redeant. Paulus denique per vasa lignea, & fictilia intelligit perversos, & reprobos homines: Quòd si intelligas hæreticos, ut volunt aliqui, per domum illam non intelligitur Ecclesia, sed mundus.

Dico tertiò, Schismaticus non esse in Ecclesia, quia Schismaticus idem est ac divisus; est ergo ab Ecclesia separatus, qui est Schismaticus. Deinde, de ratione Ecclesiæ est, ut reperiatur unio membrorum inter se, & membrorum cum capite; hanc autem unionem tollit Schismaticus, dum se separat ab aliis Fidelibus, vel à Summo Pontifice: ergo quoquomodo fiat illud Schisma, semper ab Ecclesia separationem facit. Denique accedit testimonium Ecclesiæ, quæ in dies sancta Veneris orat pro Hæreticis, & Schismaticis, ut possint ad Ecclesiam redire. Quod si Schismatici dicantur Catholici, & Ecclesia dicatur

catus

catur Catholicorum congregatio, non proinde sunt in Ecclesia; quia non sunt propriè Catholici, cùm non faciant professionem fidei in Ecclesia Catholica, à qua separantur. Dices, partes vestis scissæ æque manere partes ac anteà; ergo licèt Schismatici sint scissi ab Ecclesia, non minùs sunt ejus partes. Resp. Schismaticos scindi ab Ecclesia non ut partes vestis, sed ut ramos ab arbore, qui statim moriuntur, ipsa vivente.

Dico tertiò, Excommunicatos non esse de Ecclesia, ut docet Catechismus Romanus in expositione Symboli, & sacra Scriptura, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*, id est, si propter suam contumaciam ab Ecclesia excommunicatus sit, sit tibi tanquam Ethnicus qui non est intra Ecclesiam, & tanquam Publicanus, qui licèt sit intra Ecclesiam, tamen ejus conversatio ab omnibus vitatur: Deinde 1. Cor. 7. jubet Paulus incestuosum eiici extra Ecclesiam, id est excommunicari. Adde, quòd, in die Parasceves Ecclesia orat pro illis, ut possint redire ad Ecclesiam. Si dicas. Excommunicatum retinere baptismum fidei professionem, & subjectionem Prælato: Resp. quòd, ut aliquis sit propriè in Ecclesia, præter has conditiones requiritur, quòd communicet cum aliis in vero cultu divino, quòd non faciat Excommunicatus: Unde Aug. dicit lib. de Unit. Ecclesiæ cap. ult. *excommunicari, est visibiliter præscindi ab Ecclesia*. Instabis: Si excommunicatus post pœnitentiam ante absolutionem moriatur, salvus erit; sed extra Ecclesiam non est salus; ergo Excommunicatus est in Ecclesia: Resp. pro tunc esse intra Ecclesiam affectu, & desiderio, unde salvari potest: non

est

est tamèn in ecclesia externa communicatione, quod requiritur, ut quis sit in Eccclesia visibili. Aliqui non obstantibus his, tenent Excommunicatos esse tantùm extra Ecclesiam in actu secundo, qui privantur beneficiis Ecclesiæ nempe orationibus publicis; re ipsa tamen, & in actu primo, sunt intra Ecclesiam: unde si tradantur Sathanæ; hoc est; quia sævit in eos fortiùs Sathanas, dum illos videt auxiliis Ecclesiæ destitutos.

Dico quartò quantùm ad Cathecumenos; quòd si nullo modo sint instructi, sed tantùm sinant se instrui, non sunt absolutè in Ecclesia, quia nec habent Fidem, nec Baptismum. Si verò, per instructionem præcedentem fidem habeant, possunt dici esse intra Ecclesiam, saltem potentialiter, cùm fidem habeant, eamque exteriùs profiteantur, & parati sint recipere Baptismum, qui est janua Ecclesiæ; cùm illum tamen nondum habeant, non sunt actu in illa, nisi imperfectè, & inchoativè, sicut fætus in utero matris dicitur homo. Unde dicit Nazianzenus: Orat. in sanctum Lavacrum, eos esse in vestibulo pietatis, nec posse dici Fideles, nisi intùs ingrediantur. Alii dicunt, quòd si per votum Baptismi, & gratiam, & fidem habeant sunt de ecclesia, quantum ad meritum: quia ut sic salvari possunt: non verò, quantum ad numerum; quia soli baptizati propriè numerantur inter Fideles. Dices, quòd in veteri Testamento Gentiles, ut pote Job, Melchisedech, & alii erant de ecclesia, quoniam salvi evaserunt sine Circumcisione, quæ erat figura Baptismi. Resp. pro tunc extra Synagogam fuisse salutem, quia circumcisio, & ceremoniæ erant tantùm pro Hraelitis, Baptismus autem est pro omni-

omnibus janua Ecclesiæ, & Paradisi.

Dico quintò, quòd reprobi sint intra Ecclesiam, saltem aliqui, sicut & imperfecti, & magni peccatores. Primum est contra Calvinum, Vvicleffum, & Hussitas, contendentes solos prædestinatos Ecclesiam componere, & probatur ex hoc, quòd Judas dum Christum sequebatur, erat de Ecclesia, quia erat Apostolus. Deinde comparatur Ecclesia decem virginibus quarum quinque dictum est, *Nescio vos*, comparatur etiam campo, in quo est bonum granum cum zizania, & ista tandem comburitur: comparatur domo, in qua sunt vasa in honorem, & in contumeliam, comparatur denique convivio, à quo eiiciuntur, & proiiciuntur in tenebras exteriores, qui non habent vestem nuptialem, per quos intelliguntur Reprobi, quoniam Christus concludit, *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quòd si Ecclesia comparetur arcæ Noe, in qua omnes salvati sunt in hoc stat similitudo, quod extra Ecclesiam non sit salus, sicut nec extra arcam. Secundum, quod est contra Pelagianos, & Anabat. patet, quia numquam fuisset Ecclesia, si solis perfectis componeretur; soli enim Christus, & Maria fuerunt perfecti, & duo non faciunt Ecclesiam. Tertium denique probatur ex comparationibus præcedentibus de arca, de campo, de convivio, & domo.

Dico sextò, Hæreticos occultos, qui interiùs non habent Fidem Christianam, exteriùs tamen illam profitentur, frequentando Sacramenta; esse membra Ecclesiæ, licèt arida, & mortua. Sic Valdensis, Driedo, Sotus, Valentia, & Bellarminus, & alii contra aliquos: Non quod internam conjunctionem habeant cum illa per Fidem, sed quia con-

conjunguntur illi visibiliter per externam professionem: sicut membra corporis, quæ vita carent, dicuntur tamen membra ejus, quandiu exterius illi adhærent. Ratio præcipua hujus assertionis est, quia non potest esse caput Ecclesiæ, qui non est membrum illius: atqui Summus Pontifex, aut aliquis Episcopus non desinunt esse capita Ecclesiæ propter hæresim mentalem; ergo sunt adhuc membra illius, licèt nihil de fide retineant. Major ex se patet, & minor habetur, cap. *audivimus*, 24. quæst. 1. Deinde, omnes actus hæreticorum occultorum sunt validi ex eodem cap. ut Absolutiones, administrationes Sacramentorum, beneficiorum collationes, &c. Nemo autem potest exercere actus jurisdictionis Ecclesiæ, nisi sit in Ecclesia; qui enim sunt extra Ecclesiam, nullam jurisdictionem habere possunt in Ecclesiam, ut habent Cyprianus lib. 1. Epist. 7. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos Augustinus in Enchyridio. Cap. 65. & alii. Dicendum ergo est, quod in Ecclesia aliqua sunt membra, quæ habent Fidem, & Charitatem: alia, quæ habent solam Fidem: alia denique, quæ habent tantùm externam fidei professionem. Si dicatur, quòd forma Ecclesiæ sit Fides, hoc est falsum, aliàs Ecclesia non esset visibilis. Tandem hæc quæstio bene intellecta potiùs est de nomine, quam de re.

QUÆSTIO VI.

Quas prærogativas habeat Ecclesia supra Synagogam.

NOn sumitur hìc Synagoga pro congregatione malorum, quo sensu accipitur

Pl. 85. *Deus, iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium, quæsierunt animam meam*: Non sumitur etiam pro illis ædificiis, in quibus Judæi solebant Scripturam explicare, ut Matth. 4. *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum*: Sed sumitur pro congregatione, seu ecclesia Judæorum, quatenus constabat ex populo, & Sacerdotibus, cui ecclesiæ Judæorum succesli Eccclesia Christiana, quæ habet Christum institutorem, sicut Synagoga habebat Moysem, non quidem pro authore, sed pro publicatore, de qua ecclesia Christiana quærimus, num habeat quasdam perfectiones, quas Synagoga non habuit.

CONCLUSIO PRIMA.

IN multis perfectior est ecclesia nostra quàm ecclesia Judæorum. Primò, Synagoga fuit ancilal, ad Gal. 4. *Non sumus filii ancillæ, sed libræ* 2. Synagoga, ut ancilla, fuit repudiata, ad Galat. 4. *Eiice ancillam, & filium ejus*, ecclesia autem: cum sit domina, nunquam repudiatur; Isaiæ 54. *Noli timere, quia non confunderis, neque erubescas*. 3. Synagoga accepit à Moyse nudam legem quæ præcipiebat; ecclesia autem accepit à Christo legem præcipientem, & gratiam adjuvantem: Joan. 1. 4. Synagoga fuit exigua, & intra Palestinæ terminos comprehensa: ecclesia verò est Catholica, & toto orbe diffusa, *In omnem terram exivit sonus eorum*. 5. Synagoga non fuit mater omnium fidelium, quia multi extrà illam salvabantur ut Ninivitæ: ecclesia autem est mater omnium, & extrà illam nemo salvari potest: Unde Cyprian. lib. de Unit. ecclesiæ, *Non ha-*

habet Deum Patrem, qui Matrem non habet Ecclesiam. Quod confirmat Aug. lib. de Unit. eccles. 19. *Ad ipsam salutem nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum, habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.* Cujus veritatis rationem adducit Ser. 18. quia in sola ecclesia immolatur Hostia redemptoris, in sola vinea laborantes mercedem denarii accipiunt, omnes, qui erant extrà arcam Noè, diluvio extincti sunt, &c.

Obiiciunt non obstantibus his rationibus hæretici, probare contendentes æqualibus Synagogam fuisse cumulatam favoribus à Deo, ut exinde concludant, quòd sicut Synagoga in fide periit, ita etiam Ecclesia defecerit à fide.

Obiiciunt, inquam, id quod habetur Deuter. 4. *Non est alienatio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi.* Et Ps. 147. *Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias, & judicia sua Israel, non fecit taliter omni nationi.* Respondeo, has prærogativas fuisse concessas Synagogæ per præferentiam ad alias Gentes, quæ tunc erant, non verò per respectum ad Ecclesiam, quæ nunc est; Nam aliæ gentes, ut plurimum habebant quidem responsa dæmonum, qui in idolis falsa, & ambigua loquebantur, habebant etiam legem Decalogi in cordibus suis, sed penè deletam propter peccata sua; non verò habent legem Decalogi ita recentem, non responsa Dei, qualia Judæi habebant. Quantùm verò ad Ecclesiam Christi, superat in his Synagogam; nam si Judæi habebant Deum loquentem per Angelos in tabernaculo fœderis, Ecclesia habet ipsum Filium Dei Incarnatum, qui in propria persona locutus est Apostolis. Heb. 11.

No-

Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.

Obiiciunt secundò, 3. Reg. 9. *Sanctificavi domum hanc* (inquit Dominus ad Salomonem) *quam ædificasti, ut ponere nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum tibi cunctis diebus.* Et Psal. 13. *Elegit Dominus Sion in habitationem sibi hæc requies mea in sæculum sæculi, &c.* ubi præclaras promissiones fecit Deus Synagogæ quales nunquam, inquiunt, fecit Ecclesiæ. Respondeo, hæc dici respectu aliarum gentium non respectu Ecclesiæ, de qua ad Hebr. 8. habetur; *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Ubi patet, Ecclesiam Christi meliores promissiones habuisse, quàm Synagoga, cujus promissiones fuerunt conditionatę, ut patebit legentibus primam promissionem, cui subjunctum est: *Si autem aversione aversi fueritis, auferam Israel de superficie terræ, templum, quod sanctificavi, proiiciam à conspectu meo, eritq; Israel in proverbium, & fabulam cunctis populis.* Respectu etiam secundæ promissionis, additum est, *Si custodierint filii tui Testamentum meum, & testimonia mea, quę docebo eos.* Promissiones autem factæ Ecclesiæ plures sunt, quam duæ, & hę absolutæ, ita ut de earum effectu non dubitandum sit. Hæ autem promissiones factæ sunt Ecclesiæ in veteri Testamento, & in novo. In Veteri quidem, apud Isa. 54. ubi promittitur Ecclesiæ Fœcunditas vers. 1. Amplitudo vers. 2 Firmitas, & Perpetuitas vers. 4. & sequentibus. Victoria denique contra hostes, vers. 16. quæ omnia intelliguntur expressè de Ecclesia Christi, inquit Hieron-

ronymus cum aliis, & Paulus ad Galat. 4. In novo Testamento multæ adhuc promissiones factæ sunt, quarum prima habetur Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi, &c.* Secunda habetur, Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* In quo promittitur remissio peccatorum per Baptismum, & sempiternam protestationem Dei contra Ecclesiæ suæ persecutores. Tertia promissio facta est Joann. 6. inter alias, quæ videntur in transcursu Scripturæ, ubi Christus promittit pro pane se daturum corpus suum.

Multa de lege Mosayca diximus in præcedenti volumine, agendo de Ordine in tract. de Sacramentis, & agendo de Lege divina Tract. de Legibus.

CAPUT II.

De Notis Ecclesiæ.

DIxisse non sufficit, quid sit Ecclesia, quando incœpit, quòd sit visibilis, quòd non possit errare in fide, quænam sint membra illius, & quas prærogativas habeat supra Synagogam, quæ fuit Ecclesia veteris Testamenti: sed videndæ sunt notæ, quibus vera Ecclesia à falsa discernitur; & hoc est, de quo dicturi sumus in hoc capite.

QUÆSTIO PRIMA.

De prima nota Ecclesiæ, quæ est unitas.

PEr notas Ecclesiæ intelliguntur quædam qualitates, quæ sunt ita propriæ veræ Eccle-

Ecclesiæ, & legitimæ Sponsæ Christi, ut nullo modo adulterinis Ecclesiis competere valeant. Quinque admittit Lutherus, quas ad numerum binarium, nimirùm veram, & incorruptam prædicationem Evangelii, & Sacramentorum administrationem reducit Calvinus. Catholicorum alii admittunt quindecim notas Ecclesiæ, ut Bellarminus; Alii pauciores, alii denique admittunt tantùm quatuor, quæ veram Ecclesiam infallibiliter designant, & hoc conformiter Symbolo Concilii Constantinopolitani: quæ sunt Unitas Sanctitas, Catholicitas, seu Universalitas, & quòd sit Apostolica; unde prima hujus capitis quæstio est de Unitate Ecclesiæ. Porrò non tantùm probabimus ad adstruendum veritatem Ecclesiæ Romanæ, quòd hæ quatuor qualitates illi conveniant, sed insuper probaturi sumus illa deesse Ecclesiis hæreticorum, & præsertim Lutheranæ, & Calvinianæ.

CONCLUSIO PRIMA.

VEra Ecclesia, quæ Romana est, est una. Quod verum est, non solùm de Ecclesia novi Testamenti, sed etiam, ut consideratur ab initio mundi usque ad consummationem sæculorum; ita ut credentium universalitas, quæ fuit ante Legem, sub Lege, & sub Evangelio, semper eadem fuerit: Unde nil refert, quòd alia sit forma nunc colendi Deum, alia Sacramenta, aliaque ratio Fidei; hæc enim non tollunt unitatem Ecclesiæ, sed solùm indicant diversos status, & diversas ætates, manent semper Ecclesia eadem: antte legem enim erat infans, divinis inspiraionibus, velut lacte, nu-

nutrita : sub Moyse erat veluti parvula paulatim crescens sub Lege, & Prophetis tanquam sub Pædagogis : sub Evangelio denique, tanquam adulta, libertate Christiana donata est, duo ubera habens, scilicet utrumque Testamentum, quibus lacte cœlestis ; doctrinæ cepit fecundior esse, ut mundum impleret prole fideli, quæ postea impletura esset cœlum. Sicut ergo nullus homo est alius à se, ob diversas qualitates, ætatum, aut incrementa membrorum, ita nec Ecclesia in diversis illis tribus statibus, non minus una, & eadem censebitur. Probatur conclusio ex Concilio supradicto. *Credo in unam sanctam Ecclesiam, Catholicam, & Apostolicam*. Quæ quidem Ecclesia multiplici ratione una est ; Primò, est una, ratione finis, nempe beatitudinis æternæ ; ad quam omnes Fideles à Deo ipso vocati, & ordinati sunt : Unde Tertullianus 39. Apologet. & alii Patres respondebans Paganis mirantibus, quòd Christiani se Fratres nominarent, ob unionem inter illos existentem, dicendo hoc non mirum debere videri, quia unum Patrem Deum agnoscebant, unum Spiritum sanctitatis habebant, & ad eandem hæreditatem aspirabant; ex Arnobio Apolog. contra gentes. Secundò, una est Ecclesia, unitate principii, nempe Dei vocantis, & Christi fundantis, & instruentis Ecclesiam. Tertiò, est una ratione mediorum ad hæreditatem Fideles perducentium, quibus utuntur; quæ media, vel sunt interna, ut Fides, Spes, & Charitas, vel sunt externa, ut Sacramenta, Sacrificium Eucharistiæ, & Lex Evangelica. Unde Actuum, 4. dicit Paulus; *Credentium erat cor unum & anima una in Domino*. Quartò Ecclesia est

una ad unitate capitis, nedùm invisibilis, qui est Christus, sed etiam visibilis, qui est Romanus Pontifex Christi vices gerens in terris; ita quòd sicut regnum dicitur unum ab uno rege, familia dicitur una ab uno patre, & exercitus unus ab uno duce: sic ab uno Summo Pontifice Ecclesia dicitur una: *Neque enim aliundè*, inquit Cyprianus, *Hæreses ortæ sunt, aut nata schismata, quàm quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi, cogitatur.* Quintò Ecclesia dicitur una ratione doctrinæ, de qua loquens Aug. dicit: *Qui volunt unam linguam, veniant ad Ecclesiam: quia in diversitate linguarum carnis, una est in fide lingua cordis.* Unde Irenæus lib. de unit. Fidei, c 3. *Neque quæ in Germania sunt, fundatę Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lydia, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: Sed sicut Sol creatura Dei in universo mundo unus, & idem est, sic & lumen, & prædicatio veritatis ubique lucet.*

Objicies Scripturam plures Ecclesias commemorantem, ut in Apocalyp. *Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia.* Resp. hanc pluralitatem non intelligi respectu Ecclesiæ universalis, quæ una est in toto mundo, sed respectu Ecclesiarum particularium, quæ sunt diversa membra Ecclesiæ universalis.

CONCLUSIO SECUNDA.

PRæcedens nota veræ Ecclesiæ non repetitur in Ecclesiis reformatis Lutheranorum, aut Calvinistarum; immò Lutherus, & Calvinus in multis dissentiunt; præsertim

in

in fide, in Canone scripturæ, & in Sacramentorum administratione. Differunt primò in Fide: Matthias enim Lutheranus in libello, quem nuper Lipsiæ prælo commisit, septemdecim articulos enumerat, in quibus Lutherani à Calvinistis dissentiunt, de quorum uno tantùm dicam. Quòd in Eucharistia Lutherani agnoscant realem præsentiam corporis Christi cum pane; Calvinistæ verò credant esse solùm corpus Christi in figura, & non manducari, nisi spiritualiter, & per fidem. Differunt secundò in Canone Scripturæ; nam in suo Calvinistæ ponunt Epistolas ad Hæbræos, B. Jacobi, & B. Judæ, quas excludunt Lutherani, & vice versa, aliquos libros admittunt Lutherani, quos rejiciunt Calvinistæ. In quo dissentiunt à Catholicis, quorum Canon antiquissimus est, & quem acceperunt per traditionem ab Eugenio in Concilio Florentino: Eugenius à Gelasio, in Concil. Romano, Gelasius ab Augustino, Augustinus à Concilio Carthaginensi tertio, & Patres hujus Concilii ab Innocentio I. ut diximus aliàs. Tertiò dissentiunt in ritibus Sacramentorum, nam Lutherani administrando Baptismum, exorcismum admittunt, & aliquas ceremonias, qua ridiculas sentiunt Calvinistæ.

QUÆSTIO II.

De secunda Ecclesiæ nota.

EX antedictis habemus unicam esse Ecclesiam, velut Arcam Noè, in qua quisquis non fuerit, peribit, regnante diluvio: Unde multùm errant, qui unumquemque in sua Religione, & fide posse salvari putant,

tant, indifferenter conversando cum Hæreticis, & Catholicis, modòque sumendo Agnum verum in Eucharistia cum istis: modò cœnam ridiculam cum illis: Videndum nunc est utrùm sicut Ecclesia est una, ita sit sancta.

CONCLUSIO PRIMA.

Ecclesia Christi sancta est. Primò, quia nemo in eam ingreditur, nisi per Baptismum ablutus, & sanctificatus: 2. Quia omnia ipsius instituta, Ceremoniæ, Sacramenta, & doctrina ad Sanctitatem ordinantur, quoniam per ea vel sanctificamur, vel in sanctitate crescimus. 3. Quia tota Deo dicatur, & inservit in pietate, & justitia: ita ut planè sine macula existat. Quia Christus, qui est caput, & sponsus Ecclesiæ, est Sanctus Sanctorum. 5. Quia extra eam non potest inveniri vera sanctitas: quoniam sanctitas ad beatitudinem ducit, ad quam nulla via est pro illis, qui sunt extra Ecclesiam. 6. Quia doctrina, quæ traditur in Ecclesia, prorsus sancta est, tùm in fide, tùm in moribus. Unde de illa dici potest; *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*. Est, inquam, tota pulchra in doctrina Fidei, & macula morum in ea nequaquam reperitur, sicut fit in doctrina hæreticorum nulla enim est secta Paganorum Philosophorum Judæorum, Turcarum, & Hæreticorum, quæ non contineat permultos errores rectæ rationi contrarios. Hoc constat de Paganis, qui innumera admittebant in suis ritibus flagitia. De Philosophis antiquis hoc patet etiam, quoniam legibus Licurgi permittebantur adulteria, Persæ admittebant incestas nuptias cum matribus, & sororibus; Apud

Malla-

Massagetas, propinqui devorabant eos, qui vicini erant morti : Hircani projiciebant cadavera Hominum canibus : Platonis legibus, quæ visæ sunt omnium optimæ, vel laudabantur, vel præscribebantur vitia, ut communio uxorum, extinctio conceptuum, & Infantium cædes : Mahumetani docent, beatitudinem consistere in cibo, potu, & uxorum multitudine multaque absurda statuunt in suo Alcorano: Judæi, qui scripserunt post adventum Christi, multos errores admiserunt in suo Talmud, quod est ipsorum verbum Dei non scriptum: Nam Rabbi Salomon maximi nominis apud Judæos in illud Geneſis 2. *Hoc nunc os de ossibus* : dicit Adamum cognovisse omnes bestias, libidinemque non potuisse extinguere, quoadusque Evam habuerit, ipsumque Adam tantę fuisse staturę, ut capite cœlum tangeret.

Quantum ad Hæreticos, exploratos etiam errores habuerunt Gnostici enim luxuriam omnem præscribebant, vitabantque conceptum : qui si sequeretur, fętum extrahebant de utero, & contusum in mortario cum melle, & pipere devorabant; Montanistæ sacrificium efficiebant ex sanguine infantis unius anni, quem æreis aciculis totum exprimebant : Manichæi æquale peccatum esse volebant præscindere folium de arbore, ac interficere hominem : Donatistæ de montibus se præcipitabant, vel suffocabant aquis, vel in ignem se conjiciebant, ut efficerentur martyres.

Lutherani dicebant, infantes uti ratione, dum baptizantur, audire verbum Dei, credere, & diligere, quòd est sanè ridiculum. Anabaptistæ in contrarium errorem inciderunt, asserendo infantes baptizari non posse, nisi usus rationis in illis adfuerit.

Tandem Calviniſtæ omnia abſoluta neceſſitate evenire dicebant, Deumque faciebant authorem peccati. Ex quibus patet, omnes Hæreticos multa contra rationem admiſiſſe, quod nullo modo reperitur in Eccleſia Catholica, quam ſanctam proclamat Conc. Conſtantin.

Objicies, in Eccleſia multos paſtores, & oves quamplurimas reperiri, in quibus nulla prorsùs eſt ſanctitas: ergo vel illi non ſunt in Eccleſia, vel ipſa Eccleſia non eſt ſancta. Reſp. non dici ſanctam, quaſi ſolos juſtos contineat, ut volunt Hæretici, quoniam eſt veluti Arca Noè, in qua animalia munda cum immundis admittebantur: vel ut in antea, in qua triticum reperitur cum palea: vel ut ovile in quo ſunt oves, & hœdis. Sed dicitur Sancta in ſe propter rationes allatas, licèt admittat in ſuo corpore membra putrida. Eſt, inquam, ſancta Eccleſia noſtra, tum ſanctitate intellectus, quæ conſiſtit in carentia erroris in Fide; tum in ſanctitate voluntatis, & affectibus, quæ conſiſtit in perfecta cordis munditia, qua quilibet Chriſtianus ad Deum convertitur. Si quis dicat. A majori parte ſumitur denominatio, major verò pars Eccleſiæ in peccatoribus conſiſtit, multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Antecedens falſum eſt, quando maximè major illa pars non eſt nobilior; homo quippè dicitur pulcher quando faciem habet pulchram, licèt in aliis artibus aliquas habeat deformitate. Adde quòd licèt omnia membra Eccleſiæ ſanctitatem non affectent in actionibus ſuis eum tamen profitentur; ideoque Eccleſia ſemper ſancta dicenda eſt, ſicut omnes profeſſi alicujus Ordinis non minus, Religioſi dicuntur,

tur, licèt suæ Religionis transgrediantur præcepta.

CONCLUSIO SECUNDA.

ECclesia Reformatorum non est sancta, quia tradit doctrinam sanctitati repugnantem, dum docet Deum esse authorem peccati, nullum peccatum ab homine committi, nisi Deo iusligante, & impellente, præcepta Decalogi esse impossibilia, nec ab ullo, quantumvis justo, servari posse; bona opera nullius esse valoris apud Deum, sed esse sordes, & inquinamenta; prædestinatos, & reprobos necessariò salvari, vel damnari. Quòd hæc omnia sint contraria sanctitati, patet; Dicet enim aliquis intrà se, si Deus impellit ad peccatum, cur illi resistam? Si præcepta Decalogi impossibilia sunt, non est, cur caveam à peccatis; nec quòd sollicitus sim de præceptorum Dei observatione. Si bona opera nullius meriti: sint, immò inquinamenta, & sordes, vitari potiùs debent, quàm accumulari. Si prædestinati necessariò salventur, & necessariò damnentur reprobi, cur voluptatibus non indulgeam, si sim prædestinatus? si verò sim reprobus, quid frustra bonis operibus studebo?

Confirmatur, quòd sanctitas non reperiatur in Ecclesiis Reformatorum, quarum capita, nimirum Lutherus, & Calvinus fuerunt perversa, ubi institutores Ecclesiæ Romanæ nimirùm Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Doctores, Confessores, & alii sunt tam sancti, casti, & pii, ut nil habeant quod reprehendi possint ab Hæreticis. De Luthero, constat illum fuisse in-

tamen, nam cum duplici Castitatis voto astrictus fuerit (fuit enim Monachus, & Sacerdos) utrumque votum violavit, dum relicto Monasterio, sacrilegas cum Moniali contraxit nuptias, reliquoque vitæ decursu, in damnato concubitur perseveraverit, quod sine dubio maximam infamiam redolet. Quantùm ad Calvinum, quis ipsius infamiam contestari potest? quippe qui Novioduni in Picardia propter crimen Sodomiæ, publico judicio condemnatus fuit ad pœnam ignis, quæ intercessione Episcopi in usfulationem ferri candentis mutata est. Sic Hieronymus Bolsecus Medicus Lugdunensis in vita Calvini c. 5. Sic etiam Laurentius ad an. Christi 1538. & Thum Stapletonus, in Promptuario Catholico, Sabbato hebdomadæ tertiæ in Quadragesima.

QUÆSTIO III.

De tertia nota Ecclesiæ, nempè de universalitate.

ITa proprium est Ecclesiæ, quòd sit universalis, seu Catholica, ut inter alia, quæ tenebant Augustinum in gremio Ecclesiæ, erat hæc qualitas; in cap. enim 9. Joannis ait: *Multa sunt quæ in gremio Ecclesia me tenent. Tenet me consensus populorum: tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet successio sacerdotum ab ipso Petro: tenet denique ipsum Catholicæ nomen, quod ita inter tot hæreses Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes hæretici se Catolicos dici velint, quærent, tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam Ecclesiam conveniatur, nullus hæreticorum Basilicam suam*

audeat ostendere. Conformiter ergo Augustino erit nostra.

CONCLUSIO I.

ECcleſia dicenda eſt Catholica, ſeu universalis. Eſt, inquam, Catholica tribus de cauſis. Primò ratione loci, quia per universum orbem diffuſa eſt; ratione temporis, quia ſemper duravit, & durabit; 3. ratione hominum ſalvandorum, qui omnes ad Eccleſiæ gremium vocãtur, ſi ſalvari peroptant.

Primò, eſt Catholica ſeu universalis ratione locorum, cùm ſit per totum orbem diffuſa, neque unius regni, aut Provinciæ terminis definita, ut hæreticorum cœtus: unde Auguſtinus docet, Eccleſiam eſſe ubique, & hæreſim pariter, cum hoc diſcrimine, quod Eccleſia eſt ubique una: hæreſis verò ubique diverſa. Hæc aſſertio fundatur in illud Evangelii: *in omnem terram exivit ſonus eorum*; unde nullum eſt regnum, nulla natio nobis cognita, quæ hanc Religionem vel non habet adhuc, vel aliquando non habuerit, vel non incipiat habere, ut videre eſt apud Indos, Japones, Perſas, Mahumetanos, Tartaros, Braſilios, Mexicanos, & alios omnes, apud quos reperiuntur templa, vel ſaltem altaria, imagineſque Chriſti, & Sanctorum, & celebrantur Miſſæ, ſicut & adminiſtrantur Sacramenta, & hoc per prædicationem Apoſtolorum, & virorum zelo incredibili animatorum qui Evangelium Chriſti in quemlibet terræ angulum portavere.

Dicitur 2. Catholica, quia ſemper fuit, & ſemper erit, ubi aliæ ſectæ poſt eam inceperunt, ſenſimque interiore; Author enim cujuslibet, locus, ortus, oppugnatio,

& damnatio facilè ostenduntur ; pro vera autem Ecclesia , ad Deum initio mundi , ad Christum in medio sæculorum recurrendum est , & ad finem usque temporum . Ex ipsomet ore hæreticorum Religio , seu Ecclesia nostra per mille annos absque ulla interruptione duravit à tempore scilicet D. Gregorii (quòd ultrò jure negavimus) ubi vix ullam hæresim reperies , quæ per unum sæculum duraverit , sine maxima sui diminutione . Adde , quòd continua successio Pontificum à D. Petro , ostendit ipsius Ecclesiæ antiquitatem . Si enim Irenæus l. 3. c. 3. qui numeret Episcopos Romanos à Petro ad Eleutherium , qui suo tempore sedebat , ac dicat , per hanc successionem confundi omnes hæreticos , quantò magis nunc confundi debent , ubi successionem non interruptam habemus, plusquam ducentorum Pontificum ?

Dicitur 3. Catholica , ratione personarum salvandarum , quia vocat , & recipit homines cujuscumque status , & conditionis , neque alligata est familiæ particulari , sicut erat familiæ Jacob Ecclesiæ veteris Testamenti ; Immò non est distinctio Judæi , & Græci ; Indi , & Ægyptii ; quoniam quilibet potest effici membrum Ecclesiæ per spiritum sanctum vocantem , & per Spiritum Christi regenerantem in Sacramento Baptismatis . Ostendi potest hæc universalitas tertiò , per hoc , quod dixit Joannes , se vidisse turbam magnam beatorum ex omnibus gentibus , populis , & linguis ; ad Ecclesiam enim triumphantem nemo transferri potest , nisi priùs fuerit sub vexillo Christi in Ecclesia Militante .

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

ECclesia reformata, non est dicenda Catholica, quia toto orbe non est diffusa, nec duratura usque ad finem mundi, nec denique ratione salvandorum. Primò, non est toto orbe diffusa, cùm non reperiatur in Asia, Africa, India, Hispania, Lotharingia, Lusitania; nec in melioribus partibus Italiæ, Galliæ Poloniæ, Germaniæ, aut Belgii: immò verisimile est, numquam fore, ut per totum orbem diffundatur, cùm Ministri reformati non se conferant in exteras nationes, plantandi Evangelii causa. Unde non apparet, illos non esse afflatos eo spiritu, quo olim erant Apostoli, quibus dictum est, *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, sed hunc spiritum retinuerunt Catholici, cùm nullum sit regnum, nec ulla gens tam barbara, ad quam non penetrent solo ardore Legem Evangelicam promulgandi.

Secundò, Ecclesia reformata non est Catholica ratione temporum; quoniam vera Ecclesia antiquior est falsa, sicut Deus ante fuit, quàm diabolus esset: seminatum enim legimus priùs bonum semen, quàm Zizania, Matth. 13. Et nulla est hæresis; cujus author non reperiatur post Christum, & cujus initium non appareat; cœpit enim Ariana hæresis in Ægypto anno Domin. 334. Nestoriana in Thracia ann. 431. & Lutherana in Saxonia ann. 1517. Hæc omnia denotant quaslibet sectas initium ducere, & sic non sunt Catholicæ, nec universales à parte ante. Non etiam sunt tales à parte post, juxta dictum Pauli 2. ad Timoth. 2. *Sed ultrà non proficient*:

unde dicit Cyprianus lib. 3. Epist. 2. Schismaticos semper initia ferventia habere, incrementa verò habere non posse, sed statim cum sua prava æmulatione deficere. Hoc verificari potest in Lutheranis, qui vix nati arescere cœperunt, cœpit enim Lutherus an. 1517. vixque septem annis pacificè regnavit quoniam anno 1525. surrexit Zuinglius, & biennio post Anabaptistæ, qui majorem Lutheranorum patrem ad se traxerunt, & ita immutata est hæc secta, ut vix puri Lutherani inveniantur. Quantùm ad Calvinum, is sus error tam brevi duravit, ut plenè natus, penè divisus fuerit, nimirum per Libertinos in Gallia, per Puritanos in Anglia, per Trinitarios in Polonia, & Samosatenos in Transylvania.

Tertiò, Reformatorum Ecclesia non est Catholica ratione salvandorum; nam omnes qui salvantur, in Ecclesia reformata non salvantur; aliàs ante Lutherum, & Calvinum per mille quingentos annos nullus evasisset salvus. Immò nullus in ea salvari potest; salvaretur enim, vel per Fidem solam, vel per Fidem operibus conjunctam. Non primum, quia Jacob. 2. *fides sine operibus mortua est*, & nemo potest salvari mortua fide; Nec secundum, quia si aliquis salvaretur Fide, & operibus simul, non esset Lutheranus, aut Calvinista, sed purè Catholicus, quoniam Ecclesia in Christianis tantùm exigit fidem, & opera.

QUÆSTIO IV.

De ultima nota Ecclesiæ, quæ Apostolica dicitur.

Licèt ex præcedenti conclusione Ecclesia Christi sit universalis, & Catholica, non minus

minus tamen Romana dicenda est, & in hoc hæreticis non licitum est nos arguere, quod ad locum particularem definiamus Ecclesiam, quæ universalis est; Nam Ecclesia dupliciter potest sumi; primò pro Ecclesia particulari, quæ Romæ fuit ab initio, & nunc est: Secundò pro tota collectione omnium Fidelium: qui toto orbe diffusi Romano Pontifici adhærent. Primo modo sumpta, Ecclesia Romana, non est universalis, sed ad summum Patriarchalis, solum Patriarcharum occidentalem continens, sumpta verò secundo modo (ut sumitur revertà) est universalis: quia toto orbe diffusa est & Romana dicitur, quia Romanus Pontifex illi præest, sicut totius orbis Christiani Ecclesiis. Non sui autem sine speciali cura factum, ut caput Ecclesiæ Romæ sederet, ad quam primò Christus destinavit Petrum, ut scilicet potentiam virtutis suæ ostenderet Christus, collocando principes regni sui spiritualis, ubi mundus universi imperii caput collocaverat. Non clament ergo hæretici, Romam esse meretricem illam, cui nomen datur Babylon in Apocalypsi: licèt enim talis fuerit aliquando, pro tempore, quo gentilis erat, omnium gentium imbuta erroribus, contra Deum blasphemans, & effundens Sanguinem Sanctorum ex Hieronymo, & Tertul. postquam tamen nomen Christo dedit, non ampliùs meretrix, sed sponsa fidelis fuit nominanda: scripram enim in fronte blasphemiam Christi confessione delevit, inquit Hieronym. Non obstante ergo hoc clamore hæreticorum, Ecclesia jure dicenda est Catholica, unde videre nobis remanet, an sit Apostolica, in quo consistit ultima nota Ecclesiæ.

CON.

CONCLUSIO PRIMA.

ECclesia verè Apostolica est tribus de causis, nimirum, quia ab Apostolis fundata est, quia doctrinam, quam habet, ab Apostolis accepit: & ratione successionis continuæ Pontificum ab Apostolis.

Primò, Ecclesia Apostolica dicitur quia per Christum, qui est Apostolus, per duodecim in Apostolos à Christo institutos, & per D. Paulum post Christi ascensionem in Apostolum electum fundata est. Quod Christus author, & fundator nostræ Ecclesiæ dicendus sit Apostolus, patet quia Apostolus idem est ac missus; Christi autem à Patre missus est ad homines redimendos, & educendos. Joann 20. *Sicut misit me vivens Pater*, &c. Quòd etiam D. Paulus ut Apostolus fundaverit Ecclesiam, patet, quia multos Fideles Ecclesiæ genuit per prædicationem. 1. ad Cor. 4. *Per Evangelium ego vos genui*. Et ad Gal. 4. *Filioli, quos iterùm parturio*. Quibus positis, facile videre, Ecclesiam esse Apostolica, quia tum Christus, tum Paulus, tum Apostoli Ecclesiam fundarunt prædicatione, & sanguine: ita quòd isti Spiritum Dei habentes, illum communicaverint Ecclesiæ, sicque sunt secundaria fundamenta illius civitatis Dei viventis.

Secundo, Ecclesia est Apostolica, quia Nedum Ecclesiam Apostoli fundarunt, sed etiam per totum orbem propagarunt juxta id, quod habetur ad Rom. 10. *In omnem terram exivit sonus eorum*, sed quia Apostolorum doctrinam semper retinuit, & retinebit. Ad Gal. *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quod evangelizavimus, Anathe-*

thema sit : quod de sola Ecclesia Romana intelligit potest: non vero Ecclesiis reformatis, quarum pastores nec secuti sunt mores nec doctrinam Apostolorum: Apostoli enim secuti sunt continentiam, & castitatem amplexantur: Reformati verò Castitatem impossibilem dicentes omni libidini immersi sunt & & vota perfectionis non solum irritas, sed & impia, & non servanda proclamant. Quantum ad doctrinam Apostolicam omnino illi adversantur, quia repudiant bona opera contra Petrum dicentem, *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*, Traditiones reiiciunt, contra D. Paulum clamantem, *Tenete traditiones, quas didicistis à me*: Extremamque Unctionem ex numero Sacramentorum tollunt, eslò Jacobus dicat vocandos esse Presbyteros Ecclesiæ, ut ungant infirmos.

Tertiò, Ecclesia est Apostolica ratione successionis continuè Prælatorum ab ipsis Apostolis; hæc enim Pontificum successio à Clemente IX. nuper vivis sublato, deduci potest usque ad Linum, Cletum, Clementem, & Petrum. Hoc nullo modo asseverare possunt hæretici nostri, quorum capita; & institutores fuerunt Lutherus, & Calvinus in precedenti tantum sæculo nati: Nec dicant illi, se habere successionem doctrinæ ab Apostolis, licèt non habeant viros Apostolicos sibi invicem sine interruptione succedentes: hoc enim fieri non potest: nam tempore intermedio ab Apostolis ad Lutherum, & Calvinum, ubi errat illa doctrina; certè debuit existere, cùm sit accidens in aliquo subjecto, tanquam aliquod depositum deducendum à Majoribus ad pastores: attamen à primis quin gentis annis, quo Ecclesia Roma-

corrupta est, ut prætendunt, nullus erat Fidelis, nec ulla visibilis Ecclesia, quæ talem doctrinam retineret. Melius est si concludamus, Ecclesiam nostram non verò Reformatam, esse Catholicam. Hic notandum est, quòd ut successio personalis sit essentialis nota veræ Ecclesiæ, debeat conjungi cum successione in doctrinam, unum enim sine altero non sufficit; nam licet in quatuor Ecclesiis Patriarchalibus Orientis enumerari possint Antistites sibi invicem succedentes, in qualibet tamen harum Ecclesiarum non viget, & sæpè viguit hæresis. In Ecclesia Constantinopolitana, Macedonius, Nestorius, Anthimius. Sergius, & alii plures sederunt In Anthiochena Paulus Samosatenus. Ulalius Petrus Gnafeus, & alii Hæresiarchæ visi sunt. In Alexandrina Georgius Cappadox, Lucius, Dioscorus, & cæteri. In Hierosolymitana denique Salustius, Arsenius, Heraclius, & alii sedem tenuerunt. In Romana verò nullus unquam sedit hæreticus immò deficientibus illis quatuor, semper immobilis remansit. Unde de ea verificari potest illud Isa. 19. *Erunt quinque civitates jurantes per Deum exercituum, verumtamen civitas Solis una vocabitur:* ideſt, quatuor patriarchales Ecclesiæ in cultu Christi olim florentissimæ, paulatim in hæresim defecerunt; Ecclesia verò Romana, solis, à qua lux veritatis undequaque deffunditur, semper manet, stabilisque manebit.

CONCLUSIO SECUNDA.

ECclesia Reformata non est ullo modo Apostolica; non est enim fundata ab Apostolis, nec propagata; sed in Luthero, & Calvi-

Calvino initium habuit, & ab illorum discipulis propagata est: Non habuit etiam successionem Prælatorum ab Apostolis usque ad Calvinum, & Lutherum progenitores suos: nec denique habet Apostolorum doctrinam, ut jam probabimus, quòd ultrò confirmari debet. Primò, Apostoli docent Deum neminem incitare ad peccatum cùm malorum intentator sit: Calvinus verò Lib. 1. Instit. Cap. 18. §. 4. docet, peccatores esse certa Dei destinatione ad peccandum impulsos. Secundò, 2. Petri 3. Scriptura dicitur in multis difficilis intellectu; & Lutherus in præfatione assertionis omnium articulorum à Leone X. damnatorum, dicit, Scriptura ipsa per se est certissima, facillima, & sui ipsius interpres. 2. Homo habet usum liberi arbitrii, 1. ad Cor. 7. *Potestatem habens sua voluntatis*: Lutherus verò art. 36. scribit, quòd liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re; quia omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus: Et Calvinus 4. Instit. Cap. 23. §. 9. affirmat reprobos non posse evadere peccandi necessitatem, cùm ipsis ex Dei ordinatione iniiciatur. 5. Paulus 1. ad Timoth. 3. docet Deum velle omnes salvos fieri, & neminem perire: Calvinus verò Lib. 3. Instit. Cap. 21. §. 1. ait. Palam est Dei nutu fieri, ut aliis ultrò offeratur salus alii ab ejus aditu arceantur. 5. Fidem sine operibus mortuam dicit Jacobus cap. 1. Lutherus verò dicit lib. de Captivit. Babyl. cap. de Baptismo, fidem sine operibus sufficere sicut Calvinus lib. 3. Instit. c. 4. §. 28. Multa hujusmodi quæ prolixius esset retexere, contraria Apostolis admittunt Hæretici.

QUÆ

QUÆSTIO V.

Quanam sint rationes aliæ, quibus ostenditur veritas Ecclesiæ Romanæ, & falsitas reformatæ.

EX dictis jam constat, falsam esse Ecclesiam reformatam; & veram esse Ecclesiam Catholicam, seu Romanam; in quantum ista habeat quatuor notas essentiales, quę unice ad veram Ecclesiam spectant; illa vero nullas casum obtineat, cum non sit Una, Sancta, Catholica, nec Apostolica: Licèt, vero ex illis notis appareat falsitas Ecclesiæ Reformatæ, non desunt tamen aliæ rationes, quibus illius falsitas comprobetur; unde.

Dico primo falsam esse reformatorum Ecclesiam, qui Lutherus, & calvinus seipsos sine legitima vocatione intruserunt ad talem reformationem. Sicut autem in Regno civili, nemo potest sibi arrogare pro libito potestatem gubernandi populum, abrogandi veteres leges, & consuetudines, ac totum Politiæ statum mutandi, & reformandi, alias tyrannus habebitur; sic etiam non potest quis absque legittimo titulo usurpare potestatem dicendi; & dirigendi populum in Fide, ac Religione, nisi fur, & latro vocetur. Joan. 20. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Cur ergo Lutherus, & Calvinus sine ullo jure arrogarint sibi potestatem docendi populum in fide, totumq; Ecclesiæ statum immutandi, & reformandi, proinde Ecclesia ab ipsius reformata vera, & legitima esse non potest, defectu legitimæ missionis.

Quod illi reformatores non fuerint legitimè

mè missi, patet triplici ratione. Primò, quia Spiritus sanctus, à quo dicuntur missi invisibiliter, est Spiritus Patris, & unitatis, qui contradictionem inspirare non potest: sed in sua reformatione Lutherus multa reponit credenda, quæ improbat Calvinus, ut inter aliam realitatem corporis Christi in Eucharistia, quam asserit Lutherus cum existentia panis, & negat Calvinus, docens corpus Christi esse tantùm figurativè in ea, & manducari solùm per Fidem. Secundò, quia illi, qui hactenus emissi sunt ad instituendum populum in Fide, à solo Deo scilicet, ut se jactitant Lutherus, & Calvinus, ita fuerunt à Spiritu sancto directi, ut nullum errorem, aut falsitatem credendam proposuerint populo, ut patet de Moyse, & Christo, Prophetis & Apostolis: sæpiùs tamen mentiti sunt Lutherus, & Calvinus, dicentes hominem non habere usum liberi arbitrii: Deum esse authorem peccati: ipsum velle absolutè, ut major pars hominum pereat: & similes errores proponendo, qui in Deum sunt blasphemi, & hominibus horrorem, ac desperationem incutiunt. Tertiò, quia illi, qui missi sunt à Deo missione extraordinaria, ut se dicunt illi Hæresiarchæ, non habent missionem ordinariam, quæ sit mediante electione, vel concessione eorum hominum, quorum interest, quo pacto confertur Parochis ab Episcopo, Episcopis à Pontifice, & Pontifici, mediante Electione Cardinalium: Illi, inquam, quibus confertur Missio extraordinaria ut Moyses Prophetæ, Christus, & Apostoli, debent probare suam missionem per viam miraculorum, quod nusquam fecerunt illi Reformatores, & sic eorum Missio non fuit legitima.

Supe-

Superest ostendendam, eos, qui fuerunt missi extraordinariè, probasse suam Missionem miraculis, quòd omninò necessarium est; tùm ex parte ejus, qui mittitur, tum ex parte eorum ad quos mittitur. Si enim asserat aliquis à Deo se missum esse, quod tamen probare non potest, ut impostor habebitur: si etiam illi, ad quos fit missio, credant aliquem à Deo mitti sine probatione suæ missionis, non prudenter æstimabunt. Primò, Moyses ad Pharaonem missus à Deo, multa coram illo edidit miracula, ut patet Exod. 3. Secundò, quod dicitur de Moyse, verum est de Prophetis, qui suam missionem ad populum miraculis confirmarunt: nam tempore Achab Regis fuit disceptatio inter Eliam, & Prophetas Baal, 3. Reg. 18. & cùm hi omnes esse legitimè missos affirmarent, dixit Elias, se confirmaturum esse missionem suam evidenti miraculo, quod Prophetæ Baal facere non possent: Duo enim boves in frustra conciss, & super ligna positi sunt in holocaustum, alter pro Elia, & alter pro Prophetis Baal: Hi invocato nomine Deorum suorum, non potuerunt à Deo obtinere ignem, quo suum Holocaustum consumeretur: Elias autem invocato Deo Israel, impetravit; quo miraculo permotus populus interfectis Prophetis Baal, tanquam impostoribus, Eliam, tanquam à Deo missum, acceptavit. Tertiò, suam missionem coram populo confirmarunt Apostoli, utpotè loquendo variis linguis, dæmonia expellendo, morbos umbra, vel verbo curando, mortuos revocando ad vitam, juxta illud Marc. 16. *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quod de se in particulari testatur

tur Paulus 2 ad Corinth. 12. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in prodigiis, & virtutibus*. Quartò, probavit etiam suam missionem Christus per miracula, licèt pro se habuerit vaticinia omnium Prophetarum, licèt habuerit testimonium Jo. Baptistæ, licèt de eo dixerit Pater cœlestis, *Hic est filius meus dilectus*, &c. tamen adhuc opus illi erat miraculis, quibus refertum est Evangelium juxta illud Joann. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipse credite.*

Ex his concludendum est, quòd hæretici nostri, qui non habuerunt missionem ordinariam, quoniam illos non elegerunt Prælati, ut contra mores, & ritus Ecclesiæ declamarent, qui etiam non habuerunt missionem extraordinariam, quam probare possint, ridiculos absolutè videri, dum nobis proponunt novam Ecclesiam, quæ in sponsam Christi insurgere prætendit, affirmantes Ecclesiam Christi à multis jam sæculis in Fide errasse, majores nostros quotquot in ea vixerunt, damnatos esse, nos omnes, qui in ea jam vivimus, in errore, & tenebris versari, neminemque omnium nostrum salvari posse. Cum hæc omnia maximi sint momenti, non leviter his impostoribus credendum est; aliàs ut fatui haberemus, si plus illis, quàm Prophetis, & Apostolis adhiberemus fidem quippè qui nullum miraculum, nullum testimonium divinum, nec ullum signum evidens obtinere possint. Nec dicant adversarii, sufficiens suæ missionis testimonium esse, quòd infiniti probè homines doctrinam Lutheri, & Calvini amplexi fuerint à principio, & hoc sine miraculis; hoc enim mirum videri debet, quia sicut in

veteri

veteri Testamento infiniti ferè homines adhærebant falsis Prophetis, quia grata prædicabant, sicut etiam in Novo major pars orbis Mahumeto adhæret, inquantùm blanda sensibus omnia proponit: sic etiam nil mirum est, si voluptuosi sequuntur Calvinistas, & Lutheranos, qui castitatem mortificationem jejunia, confessionem auricularem, & similia repudiant.

Dico secundò, falsam esse Reformatorum Ecclesiam; quandoquidem in multis articulis sibimet contradicunt, quod non est proprium Ecclesiæ, quæ cùm verum semper edoceat, nusquam sibi contradicit. De contradictionibus Lutheri, quæ propè infinitæ sunt, scribit Joannes Cochleus in libro, qui inscribitur. *Lutherus septiceps*; Modò dicit Lutherus, Ecclesiam multis annis fuisse invisibilem, & undequaque dispersam; modò sustinet illam fuisse semper visibilem. Super Psal. 109. Resol. 26 Missam sacrificium esse agnoscit, postea illam inventionem diaboli nuncupat. Sermon. de Nativit. S. Joan. Baptist. orationes pro mortuis recipit, & contrarium docet Serm. de Lazaro. Super Eucharistiam triginta sex opiniones omninò contrarias in mente habuit. Quantùm verò ad contradictiones Calvini, permultæ sunt, quarum aliquas tantum referam: Primò, lib. 1 Institut. cap. 18. docet Deum esse authorem peccati; contrarium verò astruit in Instructione contra Libertinos, cap. 14. ubi ait, *Temulenti isti à Deo omnia fieri perstrepentes, cum mali authorem constituunt*. Et infrà. *Cùm Deo nil magis proprium sit, quàm sua bonitas, ipsum à se abnegari oportet, & in diabolum transmutari, ut malum efficeret, quod*

ei

ei ab illis tribuitur. Secundò, ad cap. 1. Joan. v. 1. docet Christum esse verum Deum, & ejusdem essentiæ cum Patre: Contrarium tamen insinuat lib. contra Valentinum Gentilem, ubi tria asserit: 1. Nomen Dei per excellentiam ad solum Patrem pertinere: 2. Solum Patrem propriè dici Creatorem Cœli, & Terræ, impropriè Filium: 3. Impropriam, ac duram esse locationem Symboli Nicæni. *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, in quibus facit Patrem Filio majorem, & excellentiorem, & proinde verum Deum negat Filium, & Patri consubstantialem; Unde illud Joan. 10. *Ego*, *& Pater unum sumus*, interpretatur eodem modo, quo Ariam; dicens in Commentar. *Abusi sunt hac loco veteri*, *ut probarent Christum esse Patri consubstantialem*, *neque enim Christus de unitate substantiæ disputat*, *sed de consensu*, *quem cum Patre habet*. Tertiò, sibi contradicit Calvinus supra limbum Patrum, in quo Patriarchæ, tanquam in carcere detinebantur ante adventum Christi, illum enim, cum Catholicis admittit contra Anabaptistas in Physicopanichia, cùm ait, *Nec verò miretur quisquam includi carcere Sanctos Patres*, *qui Redemptionem Christi expectabant*. Eundem tamen negat lib. 2. Institut. Caput 16. paragr. dum dicit. *Nescio*, *quid factum sit ut posteritas locum putaret esse subterraneum*; *cui affingit nomen Limbi*, *sed hac fabula tametsi magnos authores habet*, *nisi tamen quàm fabula est*. Unde Calviniste per Christum descendentem ad Inferos, intelligunt descensum corporis ejus in sepulchrum. Quartò, fatetur Calvinus extare præceptum Christo de Baptismo aquæ lib. 4. Instit. cap. 15. parag. 19. hoc tamen negat in Commentario

illius

ilius loci; ubi dicit Joannes 4. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. dum ait : *Nullo modo adducor, ut Christum de Baptismo verba facere credam*. Et ibidem, Spiritum, & aquam pro eodem posuit . Sunt, & aliæ multæ contraditiones in doctrina Calvini, sed hæ sufficiunt, ut ostendatur veritatem non reperiri in Calvini doctrina, quando quidem veritas semper sibi eadem veritas nullisque contradictionibus subiicitur.

Dico tertiò, falsam esse Reformatorum Ecclesiam, quia non conspirat cum Ecclesia antiqua, quæ primis quingentis annis Apostolicam Doctrinam retinuit ex ipsa voce Hæreticorum, Hoc modo compescuit hæreticos Theodosius Imperator ex Sozomeno lib. 7. c. 12. jubens sectarum principes convenire, à quibus postulavit, an existimarent antiquos Patres, qui Ecclesiam rexerant ante dissidium illud, quod tunc de Religione ortu fuerat, recte conscripsisse, & vere Apostolicos fuisse, quod cum illi affirmassent, subjunsit: Examinemus ergo Doctrinam vestram ad illorum scripta: & si cum illis consenserit : retineatur : si minus, abiiciatur Ex hoc patet, doctrinam veram in fidem non esse, nisi conformis sit antiquæ, qualis non est Doctrina Hæreticorum, maxime Calvini, qui toti antiquitati omninò repugnat . Hoc habetur primò, ex lib 2. Instit. cap. 2. paragr. 4. ubi ait : *Semper apud Latinos nomen liberi arbitrii extitit, & apud Græcos, ego verò* (paulo infra) *hujusmodi vocem, neque usurpare velim, & alios si me consulant, abstinere optarim*. Secundò; Institut. lib. 2. c 14. fatetur se toti antiquitati repugnare dicens §. 3. *Non potest excusari veterum error; qui dum ad Mediatoris*

toris personam non attendunt, totius doctrina, quæ in Evangelio Joannis legitur, jejunium observat sensum, seseque implicant multiloquiis. Tertiò, loquendo de Satisfactione, Instit. lib. 3. c. 5. §. 38. *Omnes fere veteres*, inquit, *quorum libri extant, aut in hac parte lapsi sunt, aut nimis asperè locuti* Quartò, agens de oratione pro defunctis, Instit. lib. 3. c. 5. §. 10. ait: *Ante mille, & trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis, sed veteres omnes, fateor, in errorem a repti sunt.* Quintò, lib. 4 Instit. c. 15. § 20. habet; *Multis adhinc saculis, adeòque ab ipso fere Ecclesia exordio, usu receptum video, ut in periculo mortis laici baptizarent, non video qua possit ratione defendi.* Similia videri possunt apud Calvinum multis in locis. Lutheranı etiam, seu Centuriatores Magdeburgenses docentes eadem dogmata ab antiquis Patribus tradita fuisse: quæ a nos hoc tempore tuemur, quibus tamen ipsi sese opponunt: ex quo apparet doctrinam tum Calvinistarum, tùm Lutheranorum omninò derogare doctrinæ, Patrum, qui in primitiva Ecclesia floruere.

Confirmatur hæc veritas ex praxi Calvinistarum, qui, ne adesset aliqua conformitas inter Ecclesiam primitivam, & suam, voluerunt reformare Ecclesiam, sacram Scripturam, doctrinam sanctorum Patrum, Sacramenta, Catholicorum Templa, Festa, & Jejunia; de quibus omnibus parùm dicere convenit. Primò, reformarunt, vel potiùs deformarunt; Ecclesiam, decernentes ipsius regimen ad Consistorium, & ad Reges, & ad Princeps sæculares pertinere, Secundò, sacram Scripturam reformarunt, illam spolientes traditione, quæ illi germana soror est, illam

privantes aliquot partibus, seu membris, & ipsam tot versionibus transmutantes, ut non sit amplius sibi ipsi similis. Tertiò, Reformarunt Symbolum Fidei, negando Christum ad Limbum descendisse: Unde per *Descendit ad Inferos*, intelligunt, Corpus ipsius in sepulcro fuisse depositum. Quartò, reformarunt Doctrinam sanctorum Patrum, ipsi repugnando, ut in præcedenti assertione visum est. Reformarunt quintò, Sacramenta, duo tantùm esse contendentes, nimirùm Baptismum, & Eucharistiam, quod asserit Augustinum tenuisse Plesæus lib. 3. de Eucharistia cap. 1. quod falsissimum est: Augustinus enim l. 2. contra litteras Petiliani c. 104. agnoscit Confirmationem, quam vocat Sacramentum: agnoscit etiam Ordinem lib. 2. contra Epistolas Parmeniani cap. 3. agnoscit Pœnitentiam lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 16 & 28. agnoscit Matrimonium lib. 2. de Nuptiis, & Concupiscentia, c. 10. agnoscit denique Extremam-Unctionem Sermon. 215. de Tempore. Ex quibus facile apparet injuria, quam irrogat Plesæus Augustino. Reformarunt sextò Ministros Ecclesiæ tollendo Ordinem, & Hierarchiam Ecclesiasticam, liberando eos à Cœlibatu, & novas leges Ecclesiasticas præscribendo illis. Reformarunt septimò Templa, & Monasteria, aliqua destruendo, alia profanando; ab aliis imagines eliminando, & incestas nuptias Monachorum, & Monialium faciendo. Reformarunt octavò Catholicorum Festa, ipsa reducendo ad diem Dominicam, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam Psalm. 37. *Quiescere faciamus omnes dies Festos Dei à Terra*. Reformarunt nonò Jejunia, hoc fundamento moti, quòd debeant

esse

esse libera, non coacta; unde sustulerunt Jejunium Quadragesimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum, & astinentiam à carnibus Feria Sexta, & Sabbato.

CAPUT ULTIMUM.

De Oppugnatoribus, & Propugnatoribus Ecclesiæ.

EOdem ferè momento, quo Ecclesia nata est ex Christo in Cruce pendente, Infernus livore ululans ipsam prævidendo tanquam Arcam Noè, ab æternitate destinatam, ut hominum universalitas à diluvio æterno liberaretur, in ipsam insurrexit, ut eam ad interitum reduceret; unde ferocitatem Imperatorum suscitavit, qui in gratiam Paganismi, quem profitebantur tormentis pluribus, sed inauditis, incessanter conabantur membra hujus Ecclesiastici corporis exterminare. Unde ex supputatione aliquorum, plusquam undecim milliones Christianorum Tyrannorum gladio occubuerunt, qui numerus sufficeret, ut qualibet die anni celebrare posset Ecclesia plusquam triginta millia Martyrum festum diem. Pagani tamen, & Idololatræ non fuerunt crudeliores Ecclesiæ adversarii, immò quolibet sæculo plus sæviit in illam hæresis, quàm Imperatorum barbaries, & plures animas damnaverunt Hæresiarchæ, quàm persecutio occiderit corpora; quòd Deus prospiciens, ut ipsam conservaret, quolibet etiam sæculo Apostolos, Apostolicosque Doctores protulit, qui doctrina, & virtute ipsius defensionem ad conservationem suscepere. In hoc capite non intendimus omnes omninò hæreses enumerare; sicut

nec omnes Patres, qui se se erroribus oppoſuerunt, ſed eas ſolùm hæreſes, quę majoris nominis fuerunt, & Patres cujuslibet ſęculi illuſtriores, ſumus, Deo dante, allaturi.

De Hæreſibus, & Doctoribus.

PRIMI SÆCULI.

PRimi ſæculi hæreticorum primus fuit *Simon Magus*, qui exiſtimavit donum Dei pecunia obtineri poſſe, mundum non eſſe creatum à Deo, non eſſe liberum arbitrium, bona opera non eſſe neceſſaria, animas de corpore migrare, eſſe Deum, qui apparuit in Samaria ut Pater, in Judæa ut Filius, in Gentibus ut Spiritus ſanctus, & ſimilia, in quibus multos habuit diſcipulos. Fuit deinde *Menander* eaſdem tenens opiniones addens ſe eſſe Salvatorem mundi, Baptiſmum in ſuo nomine conferri debere, & nullam fore Reſurrectionem carnis. *Nicolaita* dicti à Nicolao, uno ex ſeptem primis Diaconis, docuerunt licere fornicari, veſci Idolothytis, & luminaria ſuffocabant in conviviis ſuis, ut libentius ſua committerent adulteria. *Cerinthus*, & *Ebion* Jeſum eſſe purum hominem ex Joſepho natum docuerunt. Fuerunt & plures alii; quos omitti vult noſtra brevitas.

Sicut in primo ſæculo fuerunt plures Hæreſiarchæ contra Eccleſiam, ſic pro illa tuenda multi fuerunt Apoſtoli, Sancti & Doctores, quorum aliquos referemus. Inter alios fuerunt *D. Paulus*, qui per cœleſtem revelationem in Evangelio pleniſſimè doctus quatuordecim ſcripſit Epiſtolas. *S. Joannes Apoſtolus*, qui ſcripſit Evangelium Apocalypſim,

& Epi.

& Epistolas tres *S. Matthæus*, qui scripsit Hebraicè Evangelium, *S. Jacobus*, qui Epistolam unam edidit; *S. Judas*, frater Jacobi, qui unam brevem scripsit, *S. Marcus*, qui breve conscripsit Evangelium. *D. Lucas*, qui protulit Actus Apostolorum. *D. Clemens*, qui multa scripsisse fertur. *D. Dionysius Areopagita*, Pauli discipulus, qui plura edidit de cœlesti Hierarchia, de Ecclesiastica Hierarchia, de DD. Nominibus, de Mystica Theologia, & quasdam Epistolas, *S. Ignatius*, Episcopus Antiochenus, qui plures Epistolas conscripsit, quarum septem enumerat Eusebius lib. 3. Hist. c. 30.

De Hæresibus, & Doctoribus.

SECUNDI SÆCULI.

HÆresiarchæ majoris nominis, qui apparuerunt in hoc sæculo, fuerunt *Saturninus*, à quo Saturniani. Hi erant discipuli Simonis, & Menandri, quorum hæreses sustinebant *Chiliasta*, *seu Millenarii*, qui dicebant sanctos regnaturos mille annis post Resurrectionem, cum Christo in terris: *Carpocratiani* à Carpocrate Alexandrino, docente Jesum Christum esse ex Joseph natum, Mundum fuisse creatum ab Angelis, legemque & opera non esse necessaria Fidelibus, semper sequebatur cum Marcellina sua meretrix. *Valentiniani* à Valentino, qui factus est hæreticus, quia Episcopatum obtinere non potuit: Hic dicebat, Christum transisse per uterum virginis, tanquam per canalem, non verò sumpsisse ab ea carnem. Hi propter suam insignem doctrinam se dicebant Gnosticos, seu sapientes, & cognoscentes. *Cajani*,

indidicti sunt, quòd Cainum, Sodomitas, Chore, Dathan & Abiron salvatos esse dicerent; Negabant carnis Resurrectionem, Judamque, ut aliquid divinum agnoscebant, quia tradendo Christum, agnoscebat quantùm ipsius mors esset profutura. *Ophitæ*, sic dicti, quod crederent, serpentem, qui Adam decepit, fuisse Christum: Serpentem verum conservabant, quem adorabant, & faciebant incantationibus ascendere super altare, ubi oblationes lambebat, & regrediebatur postea in cavernam. *Cerdonistæ* duos agnoscebant Deos sibi contrarios, unum misericordiæ, Patrem Christi, & authorem Evangelii; alium justitiæ, creatorem mundi, & authorem veteris legis. *Marcionistæ*, in eodem errore fuerunt: erat enim Marcion Cerdonis discipulus, cujus opiniones Romæ sustinuit, negabatque cum illo Incarnationem Christi, dicens ejus corpus fuisse de cœlo, non de Virgine: carnes, & usum Matrimonii damnabat, volebatque Christum in descensu ad inferos liberasse animas Reproborum. *Montanistæ*, à Montano Phryge, unde Cathaphrygæ dicti sunt discipuli ejus propter pervertam vitam ipsius Montani, cujus nomen, quod ab initio acceperant, reprobarunt postea: Ipse Montanus se Paracletum dicebat, plures seduxit, & inter alios Tertullianum. *Quartadecimani*, vel *Paschaitæ* semper volebant Pascha celebrari quartadecima Luna Martii, quod Catholici celebrant Dominica sequente. *Adamitæ* sequebantur nuditatem Adami; credebant non esse licitum hominibus, nec fœminis vestitos adesse in suis comitiis, quæ erant verus Paradisus, matrimonium repudiantes tanquam diabolicum; simul se conjungebat in tenebris, volebantque preces ad Deum,

Deum, omnia cognoscentem esse inutiles; Multis aliis hæresibus refertum est hoc sæculum.

Inter sanctos Patres secundi sæculi fuere *Justinus Martyr*, an. 150. cujus scripta ad nos pervenerunt, quæ recenset Eusebius lib. 4. hist. c. 17. *Athenagoras* an. 255. qui insignem pro Christianis Apologiam scripsit. *Egesippus* an. 177 qui scripsit Historiam Ecclesiasticam usque ad sua tempora. *S. Irenæus* Episcopus, & Martyr an. 180. multa scripsit, sed ad nos pervenerunt tantùm quinque libri adversùs Valentinum; probabilius est ipsum Græcè scripsisse; quàm Latinè.

De Hæresibus, & Doctoribus.

TERTII SÆCULI.

SUrrexerunt in hoc tertio sæculo *Origenistæ* ex Origene, qui *Adamantius* vocabatur ob constantiam, quam habuit tempore persecutionis; credebat solos Eunuchos possessuros esse Regnum cœlorum; unde se castravit non ferro, sed pharmaco, & quia litteraliter interpretabatur hunc textum. *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum cœlorum*, Personarum Divinarum æqualitatem negabat, Filiumque ita à Patre distantem dicebat, ac Apostolos à Christo: Filium Dei, licèt ex essentia Patres, creaturam tamen reputabat; sicut Spiritum sanctum. Asserebat, homines non posse videre Angelos, nec Angelos Spiritum, nec Spiritum sanctum Filium, nec Filium Patrem. Animas longè ante corpora creatas fuisse volebat, & ad corpora missas propter peccata. Perpetuitatem status mortuorum negabat, credens animas ad cor-

pora reversuras de cœlo, & de inferno, & in mundo conversaturas; vel, ut alii dicunt, dæmones, & damnatos, fore beatos post annos mille: Omnes hæreses, quæ præcesserant, refutabat, & in deteriores incidit: Continentiam maximè affectabat: unde alii hæretici, Originiani dicti, & inhonesti vocati, seu impudici, non ab Origene Adamantio, sed ab alio ejusdem nominis traxerunt originem. Non desunt tamen magni momenti authores, ut inter alios Picus Mirandulanus, qui originem justificari conati sunt, ut diximus, agendo de Conciliis. *Tertullianistæ* dicti à Tertulliano, qui cùm non posset fieri Episcopus Carthaginensis in odium Victoris Papæ, Compatriotæ sui, in Ecclesiam Romanam, & Prælatos ipsius invexit: Traditiones impugnabat. Animas licèt immortales, faciebat corporeas, & animam Filii ab anima Patris dicebat progenitam, Deum licèt nullius figuræ, corporeum tamen asserebat: Animas damnatorum sustinebat converti in diabolos postmortem: nullum esse dicebat Baptismum ab hæreticis collatum, occasionemque dedit Agrippino Episcopo Carthaginensi, uni ex prædecessoribus sancti Cypriani idem sentiendi: Se reddidit Montani fautorem, quem Paracletum æstimabat: sed posteà ambitione motus ipsum derelinquit, ut se in principalem Hæresiarcham erigeret. *Elseitæ* à falso Propheta Elsi in omnibus judaizabant; docebantque licitum esse, fidem ore negare: modò in corde retineatur. *Novatiani* à Novatiano Presbytero Romano Antipapa, & à Novato Presbytero Carthaginensi dicti, docuerunt non esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata post Baptismum com-

missa

missa : Secundas nuptias illicitas asserebant. Nolebant baptizatos sacro Chrismate esse confirmandos : unde ipse Novitianus, qui usque ad mortem Baptismum distulerat, noluit confirmari. Rebaptizabant eos, qui in nostra Ecclesia receperant Baptismum. Voluerunt vocari *Cathari*, id est puri, & mundi : unde alba veste induebantur. Novatianus à suis exigebat, ut in sua communione protestarentur semper se tales remansuros esse, & numquam communicaturos cum Papa Cornelio. Porrò Novatianismus nostrum Regnum turbavit ministerio Marciani Arelatensis Episcopi, qui Novatiano amicitia conjunctus erat. *Sabelliani* dicebant, unam tantùm esse in Divinitate personam, quæ tanquam Pater in veteri testamento legem dederat : in Novo incarnata fuit ut Filius, passa, & mortua, & ut Spiritus sanctus descendit super Apostolos. Ideò dicti sunt *Patripassiani*, quòd Pater scilicet mortuus fuerit, quia erat eadem persona, cum Filio : inter alia improbabant Catholicos, quòd se Monachos facerent. *Angelici* mundum ab Angelis factum credebant. *Apostolici* seu Encratitæ, hoc nomen usurpabant, quia nihil possidebant, nec matrimonio conjungebantur. *Paulonistæ*, seu *Samosateni* à Paulo Samosateno, dicebant, Christum esse purum hominem, justum tamen, nec baptizabant in nomine Trinitatis ; unde ex Augustino Concilium Nicænum jussit, ut rebaptizarentur, qui hunc impostorum deseruerant. *Manichæus* à Mane, qui duo docuit principia esse æterna, unum bonum, alterum malum. Omnia esse corporalia, & nihil spirituale. Hominum non esse liberi arbitrii. Se esse Spiritum sanctum,

quem Christus promisit : Carnem, & vinum esse res ex se immundas, & ideò ab iis esse abstinendum ; Animas de corpore in corpus migrare, & quamplurima ridicula.

In hoc sæculo vixerunt Tertullianus An. 103. initio Catholicus, deinde in Montani hæresim prolapsus. *Clemens Alexandrinus*, presbyter An 204. *Minutius Felix*, An. 206. *Origines Adamanticus* Clementis Alexandrini discipulus. An. 226. Hujus opera ascendunt ad sena millia : teste Ephiphanio, quorum perierunt plurima. *Gregorius* Episcopus Neocæsarienſis, ob magnitudinem miraculorum dictus Thaumaturgus Anno 233. *Cyprianus*, Anno 250. *S. Zeno* Episcopus Veronensis, An. 260. *S. Methodius* Episcopus Tyri, an. 285. *Arnobius*, an. 285. qui ex Pagano Christianus, scripsit contra gentes. *Lactantius Firmianus*, anno 290. &c.

De Hæresibus, & Doctoribus.

QUARTI SÆCULI.

DOnatus primò apparuit ex Numidia oriundus : Schisma initio fecit, quia condemnatus fuit ab Ecclesia, eò quòd injustè accusasset Cæcilianum Carthaginensem Episcopum de traditione Bibliæ Idololatris : postea factus est hæreticus, rebaptizans eos, qui à Christianis veniebant ad Donatistas. In Ecclesia solos justos contineri dicebat, volebatque Ecclesiam in suis solis discipulis contineri. Ipsum acriter oppugnavit Optatus Milevitanus. *Meletiani* nolebant convenire in orationibus cum conversis, qui durante persecutione ceciderant : & quod pejus est, cum Arianis se conjunxerunt. *Arius*

Ale-

Alexandrinus Presbyter docuit Filium Dei esse creaturam, non esse coæternum Patri, nec coessentialem: Verbum tenere locum animæ in Christo, ipsum crevisse in cognitionibus, ut cæteros homines. *Ariani* Catholicos ad se convenientes rebaptizabant, more hæreticorum nostrorum nunquam utebatur nomine Jesu Christi, sed tantùm Christi, Concilique generalia etiam approbata esse fallibilia, & actu Concilium Nicænum erasse asserebant. *Semi-Ariani* filium Dei, dicebant non ejusdem substantiæ, cum Patre, sed similis: non ὁμοούσιον, sed ὁμοιούσιον, quod veri Ariani negabant: conveniebant tamen inter se, ut bellum Ecclesiæ inferrent. *Anthropomorphitæ* Deum faciebant corporeum, ad formam hominis, quia dixerat Deus, Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. Pascha celebrabant more Judæorum, quartadecima Lunæ Martii. Improperabant Episcopis Catholicis, quod temporalia haberent, &c. *Circumcelliones*, sic dicti, quia pauperculas incolebant cellulas, Martyres prædicabant eos, qui sibi mortem inferebant, de facilique trucidabant illos, quia in sua opinione non stabant. *Photinus* Sirmiensis Episcopus, Christum purum hominem faciebat, Deumque negabat trinum. *Macedonius* Episcopus Constantinopolitanus, Spiritum Sanctum Deum non esse, sed puram Creaturam, asserebat. *Ætius*, & *Eunomius* in eodem errore fuerint, nisi in quantùm Filium Patri omnino dissimilem faciebant, & Macedonius similem, ipse Ætius, cùm Episcopus fieri non posset Presbytero docebat esse æquales Episcopis, Sacrificia non esse offerenda pro defunctis, nec Ecclesiæ jejunia observanda. *Julius*

nus Apostata Monachus, ab Ecclesia, & Monachatu separatus, se Summum Pontificem declaravit, ut cultum Idolorum restauraret: Destruxit Christi imaginem, quam hemorrissa Evangelii apud Cæsaream collocaverat, ejus pedibus, nascebatur quædam herba omnibus incognita, quæ omnes morbos curabat, modò attingerent fimbriam vestimenti imaginis. Licèt illis maximè odio esset sancta Crux, & ejus imago; aliqua tamen die, cùm in templo esset ad consulendum oraculum, visionibus extraordinariis turbatus, se signo Crucis munivit. *Priscillianistæ*. Priscilliano Gnostico sic dicti, cum omnibus præcedentibus hæreticis participarunt; nimirùm Manichæis, Sabellianis, Arianis, Marcionistis, & Quartodecimanis. Corpus per se malum à malo principio nimirum diabolo, esse dicebant; & sic negabant corpora resurrectura; Matrimonium detestabantur, credentes pueros semine carnali procreatos ad Deum pertinere non posse, sed tantùm illos, qui concipiebantur de Spiritu sancto: Animas asserebant esse de substantia Dei, licitumque dicebant jurare, & pejerare, potiusquam prodere secretum. *Elvidius* B. Mariam sentiebat alios filios genuisse post Christum. Sic *Jovinianus*, qui insuper matrimonium æquale virginitati dicebat, & omnia crimina æqualia sicut beatorum præmia. *Apollinaris* in Christo corpus coessentiale, cum verbo Prædicabat, fundatus, in hæc verba, Joan. 1. *Verbum caro factum est*. Sunt & quamplurimæ aliæ hæreses, quibus hoc sæculum abundat.

In hoc quarto sæculo ab an. scilicet 300. ad 400. floruerunt *Eusebius Cæsariensis*, & *Sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus*, cujus

cujus opera quatuor tomis continentur, An. 340. *S. Hilarius* Pictavorum Episcopus, an. 355. qui jam provectæ ætatis Christianus factus, tamen brevi in Ecclesiastica doctrina ita profecit, ut Ecclesiæ Catholicæ columna sit meritò nominandus. S. *Optatus*, Episcopatus Milevitanus an. 365. septem libros adversus Donatistas edidit. *S. Cyrillus* Hierosolymæ Episcopus, an. 465. sæpe de sede ejectus fuit, & sedi restitutus postea. *S. Ephrem* Diaconus Edessenus an. 365. scripsit plurima opera, quæ teste Hieronymo lib. de Scrip. Eccl. post lectionem Scripturæ in Ecclesis legi solebant. *S. Basilius Magnus*, Archiepiscopus Cæsarienses in Cappadocia, an. 370. Hujus præclara opera quatuor continentur tomis. *S. Gregorius Nazianzenus Episcopus*, an. 370. *S. Epiphanius*, an. 370. Salaminæ in Cypro Episcopus fuit. *S. Ambrosius Mediolanensis*, an. 374. quinque tomos conscripsit impressionis Parisiensis. *S. Gregorius Nissenus*, S. Basilii frater. *S. Hieronymus* an. 390. Presbyter, & Ecclesiæ Doctor fuit. Hujus opera in editione Lugdunensi novem tomi continentur. *Ruffinus* Presbyter Aquilejensis S. Hieronymi quondam amicissimus, deinde æmulus factus, libro duos ad historiam Eusebii Cæsarienses addidit, an. 390. *S. Joannes Chrysostomus*. primum in foro versatus. Monasticam postea vitam exercuit, ab illa ad clerum vocatus, Presbyter Antiochenus factus est: deinde Episcopus Constantinopolitanus. In quinque tomo illius opera dividuntur, an. 398.

De Hæresibus, & Doctoribus.

QUINTI SÆCULI.

ECclesiæ bellam intulerunt sequentes hæretici, *Pelagios* Brito Monachus, ann. 415. cœpit docere peccatum Adami illi soli nocuisse, nullum in posteritate sua fuisse peccatum originale: Mandata Dei, solis naturæ viribus posse observari; Orationes ad Deum inutiles dicebat ad bene agendum, quòd poterat ex se liberum arbitrium: admittebat tamen Baptismum, ut infantes de bono in melius progrederentur: Mortem dicebat non esse pœnam peccati, sed conditionem naturæ, ita ut mortuus fuisset Adamus, etiam non peccans: Sacerdotalia, & Episcopalia vestimenta denique improbabat. Ipsum secutus est Cælestius hæreticus. *Semipelagiani* dicebant; liberum arbitrium se posse determinare ad bonum; ut tamen bonum operaretur, indigere gratia, sicque initium salutis, & prædestinationis in nobis reponebant. *Secundinus*. Discipulus Manichæi, Deum mutabilem credebat, Christum Filium Dei naturalem negabat, malamque faciebat substantiam. Ad Augustinum scripsit, ut ad Manichæismum rediret, cui respondit Augustinus eloquenti libro, qui habetur 6. tomo *Vigilantius* docuit inanem esse invocationem Sanctorum; cultum qui reliquiis fertur, esse idololatriam; Ecclesiastica jejunia, sicut Cœlibatum Sacerdotum, reiiciebat. *Nestorius* Episcopus Constantinopolitanus in Christo duas personas asserebat esse, Virginem, ut Matrem Dei, nolebat appelci; & in pane fermentato, cum dulcibus

spe-

speciebus, consecrabat, & communicabat. *Euthyches* Abbas Constantinopolitanus, ut Nestorio contradiceret, unam tantùm personam, sicut unicam naturam, in Christo admittebat, irridebatque Concilia, Maxime Ephesinum, & Calcedonense. *Dioscorus* pecunia suscepit perfectionem, & justificationem Eutychetis. *Pacificantes* dicti sunt illi, qui authore Zenone Imperatore, unionem quandam faciebant, inter Catholicos, & Euthychianos; ita ut ex una parte Anathema dicerent Eutycheti, & ex alia Concilium Chalcedonense, ubi damnatus fuerat, contemnerent. *Petrus Cnapheus* Episcopus Antiocheus sentiebat, totam Trinitatem fuisse crucifixam: unde in Trisagio, sic loquebatur: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, qui crucifixus es pro nobis*, *Prædestinati*, seu *Prædestinatiani* bona opera non prodesse, nec mala obesse asseverabant, omnia in prædestinationem, & reprobationem referentes, quæ prorsus sunt infallibiles.

In quintò sæculo apparuerunt *D. Augustinus*, anno 420. qui initio doctrinam Manichæi amplexus est, posteà vero Catholicus factus multa excellentissima dedit Ecclesiæ opera, quæ novem tomis continentur *S. Maximus* anno 420. qui plura scripsit. *Synesius* sanctissimus, & doctissimus Episcopus Ptolemaidis, anno 420. *S. Paulinus* Episcopus Nolanus. *Severus Sulpitius* S. Paulini amicissimus an. 420. *Paulus Orosius* Præsbyter Hispanus, Discipulus Augustini, anno 415. *Sedulius* præsbyter Scotus, anno 430. qui composuit hymnos duos de Christo, quorum unus sit incipit; *A solis ortu cardine*, &c. *S. Cyrillus*

Ale-

Alexandrinus Episcopus, qui præfuit Concilio Ephesino I. nomine S. Cœlestini, in Nestorium Hæresiarcham scripsit, & authoritate damnavit, anno 430. *Theodoretus* Episcopus Cyri. Anno 433. Nestorio favit initio Controversiæ, postea tamen resipiscens fuit admissus inter Catholicos in Concilio Chalcedonensi. *Sidonius Appollinaris* Anno 420. *Joannes Cassianus*. Anno 440. *Vincentius Lirinensis* anno 440. *Socrates*, & *Sozomenus*, qui Historiam Ecclesiasticam scripserunt, anno 440. *S. Petrus Chrisologus*, anno 440. Episcopus Ravennas Scripsit insignem Epistolam ad Eutychetem, ut in materia fidei S. Leoni præstaret obedientiam. *S. Leo* Papa merito appellatus Magnus, anno. 440. *S. Simeon* vocatus *Stilita*, quia stetit, anno 81. in columna, anno 445. *Hilarius Arelatensis* Episcopus anno 445. *Sanctus Prosper Aquitanus*, anno 445. *Basilius Seleuciensis* anno 450 *Salvianus* Episcopus Massilienſis anno 463. *Geniadus Massiliensis*, anno 490. *S. Gelasius* Papa, anno 462 *S. Cæsarius* Episcopus Arelatensis, anno 499. & alii.

De Hæresibus, & Doctoribus

SEXTI SÆCULI.

IN hac Centuria Thalmudistæ apparuerunt, cum suo Talmud, quod dicebant esse veluti explicationem legis Mosaicæ. Jure damnati sunt à Gregorio IX. Innocentio IV. Julio III. & Paulo IV. qui igni illorum libros dederunt. Absurdum errorem continet Talmud, sive loquamur

de

de Jerosolymitano, sive de Babylonico. Deum dicebant ante creationem hujus mundi se exercuisse in ædificandis, & destruendis pluribus mundis, donec didicisset productionem istius: asserunt, Deum tres primas horas diei insumere ad lectionem legis Mosaicæ, Moysemque in cœlum ascendentem reperisse Deum accentus sacræ Scripturæ apponentem; asseverabant Deum in fine diei ad relaxationem suæ mentis ludere, cum maximo pisce, nominato *Leviathan*. Quòd prima die novilunii Septembris Deus universum mundum judicet, & decem diebus sequentibus adscribat justos libro vitæ, & malos libro mortis. Quòd Deus præscripserit populo Judaico, ut offerret Sacrificium expiationis quolibet noviluvio, ut expiaretur crimen ab ipso Deo commissum, dum lumen abstulit Lunæ, quod dedit Soli. Infinita pene similia continet Talmud; sed quia ridicula sunt, ea omittere justum est. *Petrus Appameus* Pseudo Propheta, qui se intrusit in Episcopatum Appameæ, omnino Ecclesiam Catholicam, & sacros Canones impugnavit, Sanctos mortuos delendo è codice Ecclesiæ anathematizavit, imaginibus eorum abolitis, substituit imagines Dioscori, & aliorum Hæreticorum, qui damnati fuerant ab Ecclesia; Monasteriisque expellendo Monachos, viarmata, introduxit in ea meretrices. In hoc sæculo maximum incrementum suscepit Eutichianismus, quem palam professi sunt *Anthimus Trebizontinus* Episcopns, & *Menophyzitæ*, sic dicti, quia licèt faterentur fuisse duas naturas ante unionem, post unionem tamen dixerunt remansisse tantùm unam. *Tritei*[illegible] nomen naturæ ignorantes ex una parte

parte tres Deos admittebant, & ex alia confundebant naturas in Christo. *Jacobitæ* à Jacobo Syro dicti, dogmata sua componebant ex erroribus Dioscori, Eutychetis, & aliorum; uno digito faciebant signum Crucis, ut ostenderent esse tantum unam in Trinitate personam, pueros denique baptizabant, cum pirotino fronti, vel genis applicato.

In hoc sexto sæculo vixi sunt *S. Fulgentius Carthaginensis*, Ruspensis Episcopus anno 500. *Andreas* Episcopus Cesareæ, anno 500. *Ennodius* primò Diaconus, posteà Episcopus Ticinensis, anno 503. *Boetius Severinus*, anno 528. Senator clarissimus; qui multa de re Philosophica, & Theologica scripsit. *Dionysius exiguus* nomine, sed doctrina, & sanctitate maximus, anno 525. *Anastasius Sinaita*, anno 544. *Procopius in Gazæus*. anno 560. *Evagrius*, qui scripsit historiam Ecclesiasticam libris sex ab eo tempore, in quo desit Sozomenus, anno 596. *D. Gregorius Turonensis* Episcopus anno 596.

De Hæresibus, & Doctoribus.

SEPTIMI SÆCULI.

MOnotelitæ, authore *Cyro*, Patriarcha Alexandrino, unam tantum in Christo voluntatem asserebant. Ipse Cyrus Sergium Patriarcham Constantinopolitanum ad suum errorem adduxit. Anno circiter 725. *Mahumetus* ex vili gente Arabica oriundus, sectam novam ex omnibus Religionibus coagmentatam suscepit ministerio Sergii cujusdam, non præcedentis, sed alterius Monachi Ariani, & Nestoriani, Mahume-

tus

tus Epilepsi gravatus populo suadebat, quod sui lapsus erant tot extases, in quibus Deo communicabat, ministerio Gabrieles Archangeli, qui illi credenda proponebat, ex quibus Alcotanum refertum est. Sibi ingentem prædonum copiam adjunges, potentissimum se fecit; ita ut Arabes *Saraceni* dicti, cum in Regem habuerint, cum proposito totum destruendi Christianismum. Tot ab eo sunt producta somnia, ut ea non liceat enumerare. *Armenii* ex Jacobitis, & Eutychianis oriundi, Deum mendaci, blasphemiæ, ac sacrilegii accusabant: Spiritum sanctum à solo Patre asserebant: Pascha suum in manducatione, non Corporis Christi, sed boum, & agnorum collocabant: Peccatum nolebant esse à libero arbitrio, sed à Sathana: Peccatum originale negabant; Omnes homines ante passionem Christi damnatos esse dicebant per peccatum Adami nullo modo in illis existens; Vim gratiam conferendi tollebant à Sacramentis; Rebaptizabant eos, quos baptizaverant Romani: Cum solo fermentato pane consecrabant: Christum ad inferos descendentem dicebant liberasse omnes damnatos; Fæminas in sexu virili resurrecturas prædicabant, bellumque continuo inferebant Summo Pontifici. *Pyrrheus* Patriarcha Constantinopolitanus errorem Monothelitarum profitebatur; sicut & *Maronita*, & *Macharius Patriarcha* Anthiochenus cum *Theodoro Patriarcha* Constantinopolitano, qui fuerunt duo Principes Monothelitarum; solum Honorium Papam æstimabant, quod crederent falsò in Monothelismum incidisse.

In hoc sæculo apparuerunt *D. Gregorius*, Pa-

pa

pa sanctissimus, & Doctor Ecclesiæ, qui meritò appellatus est Magnus, an. 600. *Hesychius*, *seu Hisychius* Episcopus Jerosolymitanus, an 601. *S. Sophronius* Episcopus Jerosolymitanus, an. 630. *Leontius*, an. 730 *Jonas* an. 630. non Aurelianensis, sed *Hibernus* qui Angliam, Galliam, & Italiam multum illustravit. *Isidorus* Hispalensis Episcopus, an. 630. *S. Eligius* Episcopos Noviodunensis, an. 640. *S. Maximus* Monachus Constantinopolitanus. & Martyr *eximius*. an. 650. *S. Idelphonsus* qui factus est Episcopus Toletanus, an. 658. Plura de B. Virgine scripsit. *S. Julianus* Episcopus Toletanus, an. 680 *Anastasius*, Nicænus Episcopus, qui vixit post Concilium Trullanum nuncupatum Quinisextum, quia Canones addidit Conciliis generalibus quintò, & sextò.

De Hæresibus, & Doctoribus

OCTAVI SÆCULI.

IConomachi, ideſt, oppugnatores sacrarum Imaginum, contra Ecclesiam maxime grassati sunt, in hoc sæculo, Idololatriam imputantes illis, qui eas in templis adorarent; unde *Leo Esauricus* Imperator, dictus propterea *Iconomachus*, seu Iconoclasta, edictum proposuit, ut ubique sacræ Imagines tollerentur de templis. *Agonyclitæ* superstitiosos reputabant illos., qui flectebant genua inter orandum, undè erecti semper orabant *Aldebertini* ab Aldeberto Gallo, credebant sanctissimas, sed incertas reliquias, authori suo allatas fuisse ab extremis terris, ministerio Angeli, ipsum credebant similem Apostolis,

stolis, ejus capillos, & ungues æqualiter colendos esse dicebant ac reliquias D. Petri; Credebant ipsum cognoscere omnia peccata, quæ committebant, & posse ille remittere sine confessione aliqua. *Albanenses* duo principia, unum bonum, aliud malum tenebant; Aliquem ante adventum Christi justum fuisse negabant; Deum credebant, malum non providere, nisi ministerio diaboli, Mundum faciebant æternum, & in æternum duraturum: Deum non creare animas de novo; sed animam mortui in alterum corpus transmigrare: Nullo modo juramentum esse licitum; Nullum extare originale peccatum; Sacramenta nullam vim habere, dum à malis conferuntur ministris: Necessitatem in confessione esse nullam: Nullum perversum posse episcopari; Matrimonium esse illicitum; ab Ecclesia nihil possidendum esse, nisi in communi: Tandem Resurrectionem corporum negabant. *Elipandus* Christum solum filium Dei esse adoptivum tenebat. *Paulianitæ* à Paulo, & Joanne sic dicti, præter Manicheismum, quem profitebantur, tenebant formam Baptismi in his verbis consistere. *Ego sum aqua viva*; & Eucharistiam in isti, *Accipite, & manducate, & bibite*, cultum S. Cruci negabant; Sacerdotes nostros reiiciebant; seque Christianos vocabant, nos verò Romanos.

In hoc sæculo Ecclesiam multùm illustraverunt, *S. Gregorius* junior Papa 2 anno 714. *S. Marcellinus* Presbyter, & vir Apostolicus, anno 717. *S. Germanus*, Constantinopolitanus Episcopus, anno 720. *V. Bedæ*, Presbyter Anglus anno 731 qui plura scripsit octo tomis contenta. *S. Joanne Damascenus*, anno 731. vir magnæ doctrinæ, & sanctitatis, qui Orientem illustravit eo tempore, quo V. Beda

da Occidentem. *S. Bonifacius* Moguntinus Episcopus, & Martyr, natione Anglus, an. 749. Paulus Diaconus Aquilejensis 774. qui erat à secretis Desiderii, Regis Longobardorum, quando à Carolo Rege Francorum captus est, & Regum ipsius eversum. Deinde ipse Paulus Monachus factus est Casinensis; ubi piam, & religiosam vitam duxit. Inter alia scripsit hymnum, qui decantatur in natali sancti Joannis Baptistæ, *Ut queant laxis*, &c.

De Hæresibus, & Doctoribus.

NONI SÆCULI.

GOdescalcus, quem alii ex Gallia, alii ex Belgio oriundum putant, condemnatus fuit in Concilio Moguntino, quia renovabat Hæresim Prædestinatianorum: dicendo Deum sine prævisione boni, & mali aliquos absolutè prædestinasse, alios absolutè reprobasse, consequenter tenebat; Christum non esse pro omnibus mortuum, nec Deum velle omnium salutem. *Claudius Taurinensis Episcopus*, contra quem Jonas Aurelianensis Episcopus tres libros scripsit, hæreses Nestorianorum, Iconoclastarum, & Arianorum profitebatur, Inimicus Sanctorum verè fuit: Peregrinationes ad sacra loca condemnabat, reputabatque Baptismum nullum esse sine signo Crucis. *Photius* fuit vexillifer Græcorum Schismaticorum, quorum Schisma, quatuordecies renovatum, sic incepit; In Concilio quodam Constantinopolitano, anno 854. per Ignatium Patriarcham fuit condemnatus Gregorius Syracusanus Episcopus, sub hac conditione, quod

ratam haberet talem depositionem Leo IV. Papa, sed mortuo Leone, talis ratificatio fuit solùm facta per Benedictum III. anno 856. de quibus Gregorius indignatus depo-ni fecit Patriarcham Ignatium, cui substi-tuit Photium Eunuchum, qui anteà erat laicus: hic verò Photius Schismati Græco-rum ab Ecclesia Latina initium dedit. Gre-ci ergo in his erroribus versabantur: Spi-ritum sanctum à solo Patre procedentem agnoscebant; Animas ante judicium fore beatus negabant; Purgatorium, & suffra-gia pro mortuis infirmabant; Licita dice-bant esse damna inimicis suis illata, Viduas à secundis nuptiis, quas reputabant illicitas, arcebant: Matrimonium indifferenter pos-se dissolvi tenebant; Usuram dicebant illi-citam, sicut sacrorum venditionem: Bapti-zatos à Latinis rebaptizabant, nec dabant Baptismum pueris ante octavum diem qua-cumque instante necessitate: Eucharistiam in pane azymo posse fieri negabant: ipsam volebant debere fieri cum solo vino sine aqua; Necessariam asserebant communionem sub utraque specie: Credebant pravos reci-pientes panem consecratum non recipere Corpus Christi; Affirmabant sacramentum Eucharistiæ efficacius esse die Jovis sancta quàm aliis unde in illa tantùm celebrabant, & per totum annum asservabant panem con-secratum, ut ægrotis porrigeretur; Neces-sarium asserebant dari infantibus Euchari-stiam; Primatum Ecclesiæ Romanæ tolle-bant, ut illum attribuerent Constantinopo-litanæ. More tandem Judæorum se absti-nebant à suffocatis, & à carnibus prohibi-tis in veteri lege. *Joannes Scotus*, non doctor Subtilis, qui sanctissimus fuit, sed Mona-

chus

chus S. Benedicti, qui fuit discipulus . V. Bedæ, scripsit librum, in quo dicere videbatur, solam figuram corporis Christi esse in Eucharistia; unde hic liber damnatus est in Concilio Vercellensi, ut tellatur Lanfrancus Episcopus Cantuariensis: propter hoc Alanus, & alii Joannem Scotum Sacramentorum authorem putant, quod non verisimile tenet Bellarminus lib. de Euch. c. 7.

In hoc sæculo fuerunt *Alcuinus Anglus*, V. Bedæ æqualis, anno 800. quem in Galliam evocavit Carolus Rex Francorum, hic multa scripsit. *S. Nicephorus* Episcopus Constantinopolitanus, qui Chronologiam fecit, & quatuor Opuscula scripsit contra Iconomachos. anno 811. *Usuardus* Monachus natione Gallus Alcuini discipulus, qui Martyrologium satis accuratum, quo multæ Ecclesiæ usæ sunt, conscripsit, anno 812. *S. Lutgerus*, ann. 812. primus Episcopus Monasterienſis : qui cum à Carolo Magno Imperatore vocatus esset pluries, ire recusavit; quia occupatus erat in laudibus Dei recitandis; unde postea Imperatori dixit, quòd majori Domino obsequium tunc præstaret. Factum hoc multùm laudavit pius, ac religiosus Imperator. *Jonas Aurelianensis*, anno 820. qui scripsit tres libros contra Claudium Taurinensem Episcopum pro defensione sacrarum Imaginum, signi S. Crucis, & peregrinationum ad loca sancta. *S. Theodorus Studites*, qui fortiter dimicavit pro imaginum cultu, an. 820. *Rabanus Maurus*, natione Germanus, an. 835. Episcopus fuit Moguntinus. *S. Eulogius*, Martyr, & Episcopus Toletanus, an. 850. *Simeon Metaphrastes*, an. 858. qui scripsit vitas Sanctorum per singulos menses, in quibus tamen multa addidit ex proprio ingenio,

genio, non ut gesta fuerunt, sed ut geri potuerunt *Anastasius bibliothecarius*, & Abbas Romanus, anno 855. scripsit vitas Pontificum à D. Petro usque ad Nicolaum I. *Hincmarus Rhemensius*, an. 850. alios omitto.

De Hæresibus, & Scriptoribus

DECIMI SÆCULI.

IN hoc sæculo pauci reperti sunt Hæresiarchæ, nisi illi, qui incæperunt in præcedenti, sed in illo maxima fuit continuatio Schismatis Græcorum.

Scriptores, qui apparuerunt, fuerunt *Leo VI.* Imperator, qui dictus est *sapiens*, quod scripserit Insignem Epistolam ad Regem Sarracenorum de veritate fidei Christianorum, & Sarracenorum impietate, ubi diserte affirmat, Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere, an. circiter 911. Hoc sæculum illustravit, alioqui valde obscurum, hic Imperator: *Marcus Heremita*, an. 906. præcedenti Imperatori decennium vitæ prædixit, illumque curavit saucium. *Berno* Abbas Augiensi, an. 1014. quo tempore cœpit Symbolum Fidei in Missa decantari. *Hermanus*, Monachus Augiensis, valde pius, *Contractus* dictus à membrorum ferè omnium debilitate. De eo dicitur, quòd scripserit antiphonas *Salve Regina*, & *Alma redemptoris Mater*, sicut prosam, *Veni sancte Spiritus*, an. 1050. *Sanctus Leo*, Papa IX. ex Episcopo Tullensis Sed Apostolicam occupavit. Scripsit insignem Epistolam ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum contra Græcorum errores, ann. 1050. *Moses Barcepha*, Episcopus Syrus, scripsit librum de Para-

dilo in duas parte divisum, qui cautè legendus est.

De Hæresibus, & Scriptoribus

UNDECIMI SÆCULI.

BErengarius Archidiadonus Andegavensis docuit in Eucharistia Corpus Christi non existere nisi figurativè. Cum posteà hunc errorem revocasset, docuit substantiam panis esse cum corpore Christi, additque parvulos non esse baptizando. *Zuingliani* in primo errore, Lutherani in secundo, & Anabaptistæ in tertio eum secuti sunt. Resipuit tamen, & in Fide Catholica mortuus est. Simoniaci venditionem, & emptionem reddituum Ecclesiasticorum licitam proclamabant. *Reordinantes* e contra Sacerdotes Simoniacos admittere nolebant, nisi priùs reordinarentur. *Incestuosi* licitum asserebant Matrimonium in quarto gradu consanguinitatis celebratum contra Canones Ecclesiæ.

Scriptores hujus sæculi fuerunt *S. Fulbertus Carnotensis*. *S. Odilo*, Abbas Cluniacensis. *S. Burcardus*, Episcopus Vormacensis. *S Odo* Abbas Cluniacensis, suisque ordinis in Gallia reparator. *Luit prandus Tibonienſis* Diaconus, & posteà Cremonensis Episcopus. *Humbertus* Cardinalis, Episcopus, Sylvæ Candidæ, à Leone X. Legatus Constantinopolim missus est, tanquam Græce, & Latine doctissimus. *Petrus Damianus* ex Monacho S. Benedicti, S.R.E. factus Cardinali Episcopus Ostiensis. Cùm esset austeræ vitæ amator ardentissimus, non semel petiit à Nicolao II. Pontifice facultatem redeundi ad eremum; sed non impetravit. *S. Anselmus Mantuanus*,

Epi-

Episcopus Lucensis creatus ab Alexandro II. cum in Monasterium se abdidisset, à Gregorio VII. ad Episcopatum revocatus est. Multa post mortem edidit miracula. *S. Anselmus*, Cantuariensis Archiepiscopus, natione Italus, professione Monachus, sanctitate admirandus, discipulusque & successor Lanfranci. *Georgius Cedrenus*, Historiographus Græcus. *Ado Trevirensis*, de quo dubitatur quidem, an Martyrologium Adonis sit ejus, an adonis Viennensis. *Joannes Curopalates*, qui scripsit historiam ab an. Dom. 811. usque ad 1081. *Theophilatus*, Archiepiscopus Bulgarorum, qui scripsit in Prophetas Minores, in quatuor Evangelia, & Epistolas Pauli, in quibus ita secutus est Chrysostomum, ut ipsius Abbreviator dici possit. *Lanfrancus* Archiepiscopus Cantuariensis, qui Conc. Romano disputavit cum Berengario, quem ita convicit, ut Berengarius librum suum projecerit in ignem; sed cùm ad suum vomitum rediret Berengarius, scripsit Lanfrancus in illum insignem librum de realitate Corporis Christi in Eucharistia. In eodem sæculo vixerunt, *Guidmundus* Episcopus Adversanus. *Adelmanus* Episcopus Brixiensis. *Anselmus Lugdunensi*, *Bertholdus Constantiensis Micrologus*, *Cecumenius*, *Marianus Scotus*, *D. Bruno*, *Ivo Carnotensis*, & *Samuel Mazzochianus*, qui ex Judæo Christianus factus multa contra Judæos scripsit.

De Hæresibus, & Scriptoribus

DUODECIMI SÆCULI.

IN duodecimo sæculo *Marsilius de Padua* volebat Papam non esse successorem

Christi, Ecclesiasticos arcendos esse à possessione temporalium, nullamque esse differentiam inter Episcopos, & Presbyteros. *Bon. gemiliis* ab authores Basilico Medico, quem cremare fecit Alexius Comnenus Imper. Trinitatem in Divinitate negabant, Deum forma humana præditum asserebant, mundumque à dæmonibus creatum; Obsequium redditum imaginibus improbabant; Credebant nostrum Baptismum esse Baptismum Joannis, & suum esse Baptismum Christi; Fictionem in materia religionis affirmabant licitam Michaelemque Archangelum incarnatum proclamabant. *Tandennius*, vel *Tanquellinus* laicus Antuerpiensis sola fide homines justificabat; Cœnam proclamabat non esse necessariam, sed copulationem carnalem indifferenter licere. *Petrobussiani* à quodam *Petro de Bruys* Antuerpiensi tenebant, Baptismum non esse parvulis necessarium; Christum non esse realiter in Eucharistia, nec preces esse utiles mortuis. *Petrus Abailardus* tempore D. Bernardi fidem sine ratione non admittebat: Deum volebat esse compositum; Illum non esse authorem omnis boni, nec solum æternum; Adjutum fuisse ab Angelis in mundo creando; Potestatem esse proprietatem Patris, Sapientiam Filii, & Bonitatem Spiritus sanctificuebatur. Negabat, Christum incarnatum fuisse pro salute peccatorum; Spiritum sanctum animam mundi dicebat: Nullam esse libertatem in Deo, Angelis, & homine: Sanctos Deum non contemplari, & in omnibus fidei articulis nos debere sequi dictamen intellectus. Discipulus ejus fuit *Arnoldus Brixiensi*. *Gibertus Porretanus* esse Dei nolebat esse Deum, distinguebat proprietates à Personis DD. reiiciebat merita, &

vim

vim diminuebat Baptiſmi. *Henriciani* ab *Henrico* quodam Toloſano eandem tenebant doctrinam, ac Petrus de *Bruys*, addebantque eos Deum irridere, qui canebant in Eccleſia. *Apoſtolici* ſe Apoſtolos nuncupabant, miſſoſque immediatè à Deo; Matrimonium, uſus ciborum conditorum lacte, parvulorum Baptiſma, Purgatorium, preces pro defunctis, & omnia juramenta condemnabant. *Valdenſes à Valdo* Lugdunenſi, quia ſua bona pauperibus erogavit, *pauperes de Lugduno* dicti ſunt; obedientiam Summo Pontifici, cultum Imaginum. Orationes ad Sanctos, Feſta, Eccleſias, Baptiſmi Oleum, Confirmationem, Ave Maria, Confeſſionem auricularem, Remiſſionem peccatorum, Purgatorium, Merita, Ordines Religioſos, Extremam unctionem. Miracula, Juramenta, Cantus Eccleſiæ, Horas Canonicas, & penè omnia quæ in Eccleſia Romana vigent, reiiciebant: Aſſerebant Prælatos, & Principes authoritatem amittere propter peccatum, Eccleſiam erraſſe tempore Sylveſtri Papæ: Symbolum eſſe reiiciendum, & omnem copulationem licitam. *Petrus Joannis* docuit hoc tempore, latus perforatum fuiſſe Chriſto viventi: Animam rationalem non eſſe formam corporis; Eccleſiam Romanam eſſe Babylonem de Apocalyp. & Papam eſſe myſticum Antichriſtum. *Almaricus*, Doctor Pariſienſis, docuit legem Patris duraſſe uſque ad Chriſtum, Legem Filii uſque ad Almaricum, & legem Spiritus ſancti uſque ad mundi finem. *Albigenſes*, non ſolum concionibus; ſed etiam armis diù vexaverunt Eccleſiam in Aquitania. Negabant Purgatorium, realitatem corporis Chriſti, Confeſſionem auricularem, Imagines, Eccleſiarum Campanas, Uſum

carnis, lactis, & ovorum Duo principia, unum bonum, aliud malum admittebant, nostraque corpora esse à Dæmone: Deum singebant habere duas uxores, ex quibus filios, & filias procreat: duosque Christos fuisse, unum bonum in regione incognita natum, alium malum in Bethleem Juda. *Coreriii* erroribus Petrobusianorum addebant V. Mariam fuisse Angelum; Corpus Christi fuisse corruptum; & animas non esse glorificandas ante Resurrectionem. *Joachimus* Abbas docebat, in Trinitate ens generare ens, ob quod damnatus fuit in Concil. Oecumenico Lateranensi sub Innocentio III.

In hoc sæculo multi Scriptores apparuerunt: præsertim *Sigebertus* Historiographus an. 1100. *S. Bernardus* Abbas Claræ-vallensis, an. 1130. scripsit multa opera, quorum aliqua illi tribuuntur, quæ non sunt ejus. *Petrus Cluniacensis* an. 1130. *Hugo de S. Victore* Monachus an. 1130. *Ricardus de S. Victore* Monachus ann. 1130. *Gratianus* Monachus S. Benedicti ann. 1145. Scripsit decretum, sive concordantiam discordantium Canonum, in quo Canones plurimos collegit ex Scripturis, Responsis Pontificum, Conciliis, Patribus. *Petrus Lobardus* Episcopus Parisiensis an. 1145. collegit Theologorum sententias in quatuor libros; unde dictus est Magister sententiarum. *Arnoldus Carnotensis* an. 1171. *Petrus Blesensis* an. 1177. *Guerricus* Abbas Ignacensis an. 1180. *Theodorus Balsamon* an. 1191. Patriarcha Antiochenus, qui fuit Schismaticus, & Romanæ Ecclesiæ insensissimus.

De Hæresibus, & Doctoribus.

TERTIIDECIMI SÆCULI.

GUillelmus *à Sancto Amore* Doctor Parisiensis ab Alexandro IV. condemnatus, odio Religiosorum mendicantium docuit paupertatem actualem esse illicitam, & sufficere habitualem, nempe eam, qua quis in corde paratus est omnia relinquere propter Christum. Omnes Religiosos indifferenter vocabat vivere de operibus manuum suarum: nec licitum esse Ordinem ingredi, qui saltem in communi non haberet possessiones. Scripserunt contra eum D. Thomas & D. Bonaventura. In eodem errore fuit Desiderius Longobardus. *Flagellantes* dicebant Baptismo aquæ successisse Baptismum sanguinis, unde se usque ad sanguinem flagellabant, dicentes, hoc esse majoris meriti, quam martyrium, quia talis flagellatio erat libera. *Fraticelli*, authore Hermanno, tenebant authoritatem R. E. propter malitiam Prælatorum cessasse; se solos esse in vera Ecclesia volebant; nulli obedientiam deberi asserebant, exercebant copulationem indifferenter, pueroſque ex illa procreatos occidebant. *Beguardi*, & *Beguinæ*, authore Bogonato, erant Monachi, & Moniales sine votis, docebant, hominem posse esse in hac vita impeccabilem, & ampliùs non teneri ad jejunia, immò in gratia crescere posse. Viros perfectos, & Ecclesiasticos ab omni obedientia liberos asserebant. Sustinebant illum peccare, qui mulierem deosculabatur, non vero qui eam carnaliter cognosceret, quia ad hoc inclinat natura, non ad illud. *Lotardus Galterus*

docuit luciferum injustè à Deo damnatum. In fine hujus sæculi Vvicleffus Vvicleffistarum caput, natione Anglus, professione Sacerdos, artium Magister, multos errores edidit, qui enumerantur in Sess. 8. & 45. Conc. Constant. sub Martino V. qui ejus ossa exhumare fecit, & extra Ecclesiam ejici. In particulari docebat, substantiam panis manere in Eucharistia; Christum non esse realiter præsentem in illa. Episcopum, aut Sacerdotem in peccato mortali non conferre ordines, nec consecrare, nec baptizare. Confessionem exteriorem esse superflam contrito. Nullum excommunicari debere, nisi anteà à Deo excommunicatus credatur; Nullum esse dominum temporalem, nec Prælatum, si sit in peccato. Decimas esse puras eleemosynas, quibus frustrari possunt propter peccata. Quòd largientes eleemosynam mendicantibus Religiosis, sunt excommunicati ipso facto. Quòd Religiosi viventes in Religione privata non sint de Religione Catholica. Quòd Sancti peccaverint instituendo Religiones particulares. Quòd omnia fato eveniant, *Sagarellus*, Pseudo-Apostolorum c. an. 1296. se, & suos dicebat Apostolos, quia paupertatem profitebantur. Dicebat, bona opera sine voto esse majoris meriti, quàm alia. Nihil debere asservari de uno die pro alio, Ecclesias consecratas non esse aptiores ad orandum, quàm alia loca. Dissolubilia tenebant Matrimonia iis, qui suam sectam amplecti volebant.

Scriptores hujus sæculi fuerunt *Innocentius* III. vir multæ pietatis, & doctrinæ. *S. Antonius de Padua* appellatus, quia in hac civitate multa sanctitatis edidit signa, ibidem obiit, & sepultus mirificè honoratur ann. 1240. *Guillelmus Altisiodorensis* Episcopus an. 1244.

1224. *Guillelmus Parisiensis* anno 1240. vir admodum pius, & doctus, *Alexander Alensis* anno 1245. natione Gallus, Ordinis S. Francisci, vir doctus, qui jussu Innocentii Papæ IV Summam Theologiæ egregiè scripsit. *Vincentius Bellovacensis* anno 1250 Ordinis Prædicatorum, Naturale, & Morale. *Robertus Sorbon.* vir multæ doctrinæ, & pietatis, qui Collegium Sorbonæ toto orbe celeberrimum Parisiis instituisse dicitur anno 1265. *Albertus Magnus*, an. 1265. *Thom. Cantipratensis* ann. 1265. *D. Thom. Aquinas* ann 1265. hujus omnes norunt sapientiam & sanctitatem. *D. Bonaventura*, *Doctor Seraphicus*, an. 1265. Ordinis S. Francisci, Minister Generalis, postea Albanensis Episcopus, & deinde Cardinalis creatus à Gregorio X. *Petrus Tarentanensis*, anno 1265 cum D. Bonaventura Cardinalis creatus, & Gregorii successor sub nomine Innocentii V. *Ægidius Romanus*, anno 1290. *Remundus Lullus* anno 1290. qui multa scripsit. Accusatum fuisse scribunt, quòd plusquam trecentos errores continerent ejus opera, immò aliqui ipsum hæreticum dicunt; plurimi tamen eundem colantur ut S. Martyrem, & scripta ejus orthodoxa prædicant. *Richardus de Mediavilla*, natione Anglus, Ordinis S. Francisci, anno 1190. *Henricus Candavensis*, anno 1290. vir doctissimus.

De Hæresibus, & Scriptoribus.

QUARTIDECIMI SÆCULI.

JOannes *de Poliaco* sustinebat, Confessionem factam Regularibus reiterandam esse

Pastori, posito Canone, Omnis utriusque sexus. Dicebat, nec Papam, nec Deum ipsum posse dispensare à Confessione suorum peccatorum Parocho, Asserebat etiam, nec Papam, nec Deum posse dare licentiam generalem alicui Sacerdoti, ut omnes indifferenter audiat. *Michaelem ad Cesena* à Papa Joanne XXII. vel XX. condemnatus, prædicabat, nec Christum, nec Apostolos, nec ipsorum sectatores habuisse aliquid in particulari. *Jacobus Justi.* & *Bononatus* Begardorum authores pro Martyribus colebant eos, qui condemnati fuerant propter talem hæresim. *Richardus Armacanus*, Ordinis S. Francisci infensus, mendicitatem voluntariam repudiabat, Sacerdotesque simplices in absentia Episcoporum omnia eorum munera exercere posse sustinebat, ut consecrare altaria, conferre Ordines &c. *Bertoldus de Borbaco*, Begardinus, inter alia affirmabat, Christum in sua Passione ita fuisse derelictum, ut de sua salute dubitavit. *Turlupini* sub Gregorio XII. igne exterminati, dicebant nullum verecundari debere, omnes corporis suis partes etiam secretas ostendere, innumerasque patrabant impudicitias.

Hoc sæculum illustre fecerunt. *Joannes Duns Scotus*, Ordinis nostri. Plura scripsit subtiliter, unde *Subtilis* dictus est. Inter alia. Scriptum Oxoniense in quatuor libros Sententiarum, Scriptum Parisiense in totidem libros, Librum Quolibetorum, & alia, tùm in Theologia, tùm Philosophia. *Augustinus Anconitanus* 1301. *Nicephorus Calistus*, qui scripsit historiam à Nativitate Christi ad annum 625. *Idiota*, qui proprio nomine suppresso, plura edidit. *Petrus*, *Aureolus*, *Antonius*, *Andreas*, uterque ex Ordine Mi-

Minorum. *Durandus*, *Franciscus Mayronic*; *Guillelmus Ocham*, *Nicolaus Liranus*, qui ex Judæo Christianus factus, Ordinem Minorem assumpsit, in quo scripsit commentarium sive postillam in Bibliam universam. *Pelagius Alvarus* Ordinis Minorum. *Petrus Paludanus*, *Ludolphus Carthusianus*, *Joannes de Barone*, *Robertus Hilcot*, *Gregorius Ariminensi Franciscus Patriarcha*, & alii, plurimi.

De Hæresibus, & Doctoribus.

QUNTICIMI SÆCULI:

IN hoc sæculo Boemiam infecerunt Hussitæ, sic dicti à Joanne Hus Boemo ann. circiter 1407. qui Joannes in Concilio Constantiensi damnatus, & igne combustus fuit cum suo complice, & compatriota Hieronymo Pragensi, Hussitæ substinebant Ecclesiam continere tantùm prædestinatos. D. Petrum nunquam fuisse Ecclesiæ caput, nec Paulum membrum Sathanæ, dum persequebatur Christianos, licèt actiones perpetraverit similes actionibus malignorum. Papam Imperatori subiici, nec esse caput Ecclesiæ, aut Christi Vicarium; Episcopos carnifices esse, dum tradunt brachio sæculari sibi inobedientes. Multa insuper talia sustinebant, ut videre est in Concil. Constant. Illis se junxit Hieronymus Pragensis. In varias sectas divisi sunt Hussitæ, quorum alii *Orobitæ* dicti sunt, alii *Thaboritæ*, alii *Orphani*, alii *Adamitæ*, sive *Picardi*, authore quodam Picardo, Gallo, qui suis sectatoribus præcipiebat, ut nudi incederent. *Ruthonii*, aut *Russiani* schisma fecerunt ab Ecclesia Romana, ut Græcos sequerentur. Unde cum velle eos

ad Ecclesiam revocare Polonorum Rex, cujus ditionis erant se Imperatori Moscovitarum sui schismatis protectori subjecerunt. Petrum negabant verum fuisse Pontificem; Ecclesiam Romanam aliarum caput non esse dicebant; scripta Patrum Latinorum rejiciebant, sicut determinationem Conciliorum. Excommunicationem, Purgatorium, & Sacramenta Confirmationis, & Unctionis extremæ. *Petrus de Osma* Salmaticensis professor Theologus negabant confessionem institutam esse à Deo, sed tantum esse ex institutione hominum. *Hermanus Rissuick Batavus*, affirmabat, Angelos non esse à Deo creatos; Animam perire cum corpore. Non esse infernum. Christum fuisse seductorem: fabulam esse Scripturam, & Evangelium falsissimum propter tales blasphemias ignis addictus est.

Vixerunt in eodem sæculo *Vincentius Ferrerius*, *Joannes Capreolus*, *Franciscus Zarabella* Cardinalis ab Alliaco, *Joannes Gerson*, *Thomas Valdensis*, *Augustinus de Roma*, *Henricus Kalteissen*, qui in Concilio Basileensi, disputavit contra Hussitas. *S. Bernardinus Senensis*, doctrina, & miraculis clarus, qui multa conscripsit. *B. Capistranus*, qui Ecclesiam acriter defendit contra Turcas, fuit ex Ordines Minorum. *Alphonsus Tostatus*, Episcopus Abulensis. *Nicolaus Panormitanus* Archiepiscopus, & tandem Cardinalis. *S. Antoninus Florentinus* Archiepiscopus. *Æneas Silvius*, Secretarius Imperatoris, Episcopus Senensis, Cardinalis, & denique Summus Pontifex sub nomine Pii II. obiit dum expeditionem maximam adversùs Turcas moliretur. Quæ scripsit juvenis pro Concilio Basileensi, retractavit Senex, & Pontifex Maximus. *Laonicus Chalcondila*, qui historiam

Tur-

Turcarum scripsit. *Joannes de Bassolis*, Ordinis Minorum. *B. Laurentius Justinianus* Venetiarum Episcopus. Cardin Turrecramata. *Nicolaus de Cusa* Card *Dionysius Carthusianus*; *Thom. à Kempis*, *Gabriel Biel*, *Joannes Picus Mirandulanus*, Comes, ingenio & doctrina maximus. *Marsilius Ficinus*.

De Hæresibus, & Scriptoribus

SEXTI DECIMI SÆCULI.

TOta in pace composita erat Ecclesia, cùm Lutherus in Saxonia nascitur Anno 1482. qui eam perturbavit totaliter. Vocatus fuit primò *Ludder*, ideſt, prædo, & irrisor, unde assumpsit nomen Lutheri, ideſt, puri. Quodam die deambulans cum socio, qui ictu fulminis percussus fuit, timore, & non devotione commotus in Monasterium Augustinianorum Erfordiensium se contulit anno 1504. Leo X. videns Selimum Turcarum Imperatorem, qui undequaque Ecclesiam persequebatur, misit in totum orbem Christianum Indulgentias Cruciatæ: ut ad defensionem Ecclesiæ excitarentur Principes Christiani. *Albertus Brandurgebens.* Archiepiscopus, cui devolutæ fuerant illæ Indulgentiæ, deputat Dominicanum quemdam ad illas prædicandas, cum exclusione Augustinianorum; quibus hic honor deferri solitus erat. Hoc audiens Vicarius Generalis Augustinianorum, *Stambis* nomine, excitavit Lutherum, ut Cathedras ascenderet contra

Indul-

Indulgentias declamaturus; quod fecit revera iſte anno 1517. à quo tempore bellum ſemper Eccleſiæ intulit, totam Germaniam infeſtavit, pluresque, & diverſas ſuſcitavit Hæreſes. Moritur ipſe Lutherus An. 1545. Vvitembergiſque ſepultus eſt, cujus tumulo appoſuerunt illius diſcipuli hunc verſum, quem anteà fecerat: *Peſtis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa!* In multis Lutheranorum templis conſtructa videtur effigies ipſius cum his verbis, Divus, & ſanctus Doctor Martinus Lutherus Propheta Germaniæ. Immò eò impudentiæ devenerunt ſectatores Lutheri, ut dicere auſi fuerint, D. Ambroſium, & D. Auguſtin annuntiaſſe tempus, quo Eccleſiam impugnaturus eſſet, dum dixerunt in ſuo Hymno, *tibi Cherubin, & Seraphin In Ceſſabili Voce proclamant*; quaſi illæ litteræ numerales deſignarent Annum 1517.

Miſerè in ſuo errore mortuos eſt Lutherus, poſtquam hæreſes plurimas adinvenit: utpote, hominem ſola fide juſtificari; Liberum arbitrium peccato Adami periiſſe; Papam eſſe Antichriſtum, in Euchariſtia remanere ſubſtantiam panis cum corpore Chriſti; Indulgentias eſſe invalidas: Purgatorium eſſe puram diaboli inventionem: Sacramenta gratiam non conferre: peccata non remitti, aut deleri per pœnitentiam, ſed tantùm non imputari, & Sectatores Lutheri in duas diviſi ſunt: ex quibus infinitus prope Hæreſiarcharum numerus pullulavit: Alii enim ſunt Lutherani molles, qui duce *Melanctone* Confeſſionem Auguſtanam profitentur: & hi dicuntur *molles*, quia aliquas opiniones Lutheri, maximè illam de libero arbitrio, temperare conati ſunt. Alii dicun-

tur

tur *Severi*, quia tali non utuntur moderatione, ut Centuriatores Magdeburgenſes.

Andreas Carloſtadius natus Franconiæ, Archidiaconus Vvitembergenſis, ſectus eo tempore, quo ſe in hanc Eccleſiam Lutherus intruſit, fuit primus Lutheri diſcipulus, & primus Sacerdos, qui ſe uxori connubio junxit, Anno 1524. ſe in novæ hæreſis authorem erexit, quæ *Sacramentoriorum* dicitur: poſt Berengarium enim primus publicavit in Euchariſtia nihil aliud eſſe præter figuram Corporis, & Sanguinis Chriſti Abſente Luthero ab Urbe Vvitembergenſi, cum ingenti ſociorum copia Eccleſiam Vvitembergenſem ingrediens, demolivit imagines prophanis manibus dedit Euchariſtiam, ſolum in ea panem eſſe prædicans, altaria confregit, carnis indifferentem permiſit uſum, & ubique libertatem proclamabat Chriſtianam. Quod audiens Lutherus, ejus audaciam verbis aſperrimis reprimere conatur: quæ correctio, cùm eſſet inutilis, adverſus Carloſtadium, omnes commovet Lutherus: quod tamen nihil proficit, quia novi hujus Hæreſiarchæ doctrina omnibus pergrata videbatur. Carloſtadius amore omninò accenſuſſe matrimonio opulavit publico, quo die celebratum fuiſſe Miſſam teſtatur Florimundus novo ritu compoſitam, in cujus introitu hæc verba decantata fuerunt, *Dixit Dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus adiutorium ſimile ſibi* Hujus Miſſæ oratio compoſita erat ad excitandos alios Sacerdotes, ad matrimonium, quæ ſic habet: *Deus, qui poſt tam longam, & impiam Sacerdotum totum caecitatem, Beatum Andream Carloſtadium ea gratia donare dignatus es, ut primus, nulla habi-*

habita Papistici juris ratione, uxorem ducere ausus fuerit: da, quæsumus, ut omnes Sacerdotes recepta sana mente, ejus vestigia sequentes, ejectis concubinis, aut eisdem ductis, ad legitimi consortium thori convertantur. Per Dominum nostrum, &c. Tali matrimonio summè Lutherus gavisus est, qui jam à longo tempore Monialem quandam Catharina *de Bora* nomine, in uxorem ducere prætendebat, quod tamen nondum fuerat ausus, nè Saxoniæ Dux ipsius protector in illum irasceretur, ipso tamen mortuo, ad tales convolavit nuptias. Porrò, sicut Lutherus Vvitemburgum elegit in sedem suæ Ecclesiæ, sic Carlostadius primò ad urbem Orlamondam se contulit, ex qua expulsus authoritate Ducis Saxoniæ suscitati à Luthero, apud Zurichenses confugit.

Zuinglius Constantiensis Canonicus in regione Helvetiorum An. 1525. hæresim suam attulit, in omnibus quasi similem erroribus Carlostadii: Dicebat enim Eucharistia nihil aliud reperiri præter signum Corporis, & Sanguinis Christi; sed sui signi rationem diversam faciebat à Carlostadio Cùm non posset carnis petulantiam continere, sua vendidit beneficia, ut uxorem duceret, & familiam valeret sustentare. Quodam die nimirum 13. Apr. anxius hærens in explicatione horum verborum, *Hoc est Corpus meum*; apparuit illi phantasma aliquod, inquit ipsemet, de quo se non meminisse dicit an nigrum esset, vel album, quod illi dixit, hæc verba sic intelligi debere, *Hoc significat Corpus meum*, sicut Exod. 12. habetur est enim Phase Domini id est, hoc significat transitum Domini.

Joannes Oecolampadius monachus apostata, qui

qui fuit Præceptor filiorum Comitis Palatini. Zuinglio maximè auxiliatus est, an. 1525 in Eucharistia solum signum Corpus Christi esse dicebat. Sic apud Zurichenses Pontificatum suum constituit Zuinglius, sic apud Basileenses Oecolampadius sedem suam fundavit, novam erexit Ecclesiam, veterem que, & veram totaliter destruxit, quod in causa fuit, cur Erasmus Basileam deseruerit cùm non posset approbare novitates, licèt non semper fuerit in hac mente.

Philippus Melancton Lutheri discipulus, & ipsi fidelis Achates, Confessionis Augustanę author, Luthero viventi nunquam illi contradixit, licèt illis opinio esset eadem ac Carlostadii, Zuinglii, & Oecolompadii. Ipsum semper in honore habuit Lutherus: unde vulgò dicebat contemptibilem animam esse, quæ contemnit Philippum: e contra verò Philippus, quamore tenus suum ministrum vocabat Lutherum, clam tamen eum probabat maximè: Mortuo Luthero, *Melanction* opinionem Sacramentariorum propagavit, licèt servaverit semper integrum sui magistri honorem. In confessione Augustana opinionem Lutheri temperavit recipiendo liberum arbitrium, non reiiciendo Sacrificium Missæ, nec Confessionem, docendo Corpus Christi fieri verbis sacramentalibus: unde illi, qui talem sequuntur Confessionem Lutherani *mol'es* vocantur.

Anabaptistarum secta à Luthero orta est an. 1527. authoribus *Baltazaro*, *Pacimontano*, & *Bernardo Rotmano* Præsbytero apostata. Baltazarus ille primò suum errorem abjuravit in urbe Zurichensi, in qua carceri mancipatus fuit: sed ad suum vomitum revertens, & in Moravia prædicans Anapaptismum,

mum, igne combustus est. Illi successit *Muncerus* Apostata Sacerdos, qui iisdem erroribus totam Germania perturbabit, & hic erat discipulus *Carlostadii*: Suam sedem habuit Anabaptismus sicut Lutheranismus, in Saxonia videlicet. Ubique proclamabat Muncerus, se vulgò communicationem habere cum Gabriele Archangelo, & specialiter inspiratum esse, ut severam Papę Religionem, & libertinam Lutheri sectam destrueret. Anabaptistarum præcipuus error erat, quòd parvuli non essent baptizandi, & quòd deberent rebaptizari, si anteà Baptismum recepissent. Talis sectæ prniciem conspiciens Georgius Saxoniæ Princeps, Muncerum apprehendi jussit, ipsumque damnàri ad mortem, in qua maximam constantiam testatus est. Mortuo Muncero, illius errores in diversas Provincias spargi sunt, & pullulant quotidie maximè in Frisia Orientali, & Occidentali, Prussia, Silesia, Moravia, Boemia, & Polonia, non verò in Gallia, neque in Germania aut Hispania, ubi Catholici, & Lutherani dominantur. Neminem pro fide violentandum putant: Christianos nulla de causa morti damnandos, sed tantùm excommunicandos asserunt: Cùm Zuinglianis realitatem corporis Christi negant, Cænamque tantummodò faciendam volunt in testimonium mutuæ Charitatis inter Christianos, & ad renovandam memoriam Passioni Christi.

Ex hæresi Lutherana multi alii Hæresiarchæ exorti sunt, nimirum *Ubiquitarii*, qui authore *Brentio*, humanitatem Christi, ubique præsentem esse dicebant, *Majoristæ*, à *Georgio Majore*, docente nec etiam parvulos salvari posse sine bonis operibus, *Osiandristæ* ab *Andrea Osiandro*, voleute in Eucharistia

corpus

corpus Christi pati. *Augustiniani* in Boemia docentes nullum Paradisum ingredi ante finale judicium. *Adamitæ* à quodam Adamo, cujus sectatores nudi incedunt. *Sabbat arisani*, qui reiiciebant diem Domini, tanquam non repertum in Scriptura, & Sabbatum sanctificabant. *Clanculârit*, qui solo corde Religionem profitebantur, & credebant preces majoris esse efficacitatis in domo, quàm in Templo. *Davidistæ*, a *David Joris* Batavo, qui se Messiam à S. Spiritu missum vocabat. *Mennonistæ* à *Menno* quodam ex Frisia, Christum, attulisse carnem à Cœlo, non ex Maria volebant. *Deistæ*, seu *Triteitæ* tres Deos gradu differentes fingebant sibi. *Antitrinitarii*. Trinitatem personarum & duas naturas in Christo negabant, ab authore *Michaele Serveto* orti sunt, quem comburi fecit Calvinus apud Genevenses, ut per hoc justificaretur, quod nullo modo faveret Arrianis, de quo accusabatur, eo quòd hanc Orationem improbabat. *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis*. *Antimariani* virginitatem Mariæ negabant, cui plures dabant filio, quoniam Scriptura muntionem facit de fratribus Christi; non attendentes, quod illi, qui sunt ex eadem familia, fratres in Scriptura nominentur, ut Loth, qui dictus est frater Abrahæ. *Antinomiani* legem reiicientes, requirebant tantùm fidem *Infernales*. Christum asserebant descendisse tantummodò in sepulchrum, omnemque negabant infernum præter malam conscientiam. *Quintinistæ*, à *Quintino Picardo*, omnes reiiciebant Religiones, in hoc similes illi *Lucianistæ*, qui librum conscripsit adversus tres Impostores, quorum nomina incipiunt per Mo-

hoc

hoc est, contra Moisen, Messiam, & Mahumetum. *Infrontes* sibi sanguinem e fronte extrahi faciebant, per hoc baptizari credentes. *Petrus Martyr* Canonicus Regularis negabat potentiam divinam posse constituere idem corpus in pluribus locis. *Bucerus Argentina* natus Judæi cujusdam filius, mortuo patre, Prædicatorum Ordinem ingressus est, à quo apostatans ad sectam Lutheri confugit; Lutheri, Melanchonis, & Zuinglii unionem tentat in dieta Augustana, an. scilicet 1530. sed perperam: Se primò Sacramentarium cum Zuinglio prædicat, quam opinionem revocat posteà asserens se in hoc errasse: & denique ad Sacramentarios redit. Ter uxorem duxisse referunt. Sunt & multi alli Hæresiarchæ, qui è Lutheri scola prodierunt, quos retexere longius esset.

Joannes Calvinus Novioduni in Picardia natus 10. Julii ann. 1509. vocabatur primò Chauvinus, deinde Calvinus; Beneficium ab Episcopo Noviodunensi obtinuit in Cathedrali Ecclesia: cum alio rurali Parisios transiit, unde exire cogitur, propter erroneas opiniones, quas à Melchiore Volmar Luthorano hauserat. Adit Germaniam, ubi prælo dedit suam Institutionem, nimirùm Basileæ. Italiam visitat, unde rediens Genevam ingreditur, in qua urbe invenit Guillelmum Farellum cum Petro Vireto prædicantem: Dum ibi suam erroneam Theologiam explicaret, formam Confessionis, & disciplinæ composuit; sed illicò exire jussus est, unde Basileam, & deinde Argentinam se contulit. Idelletam *de Bura* sibi copulavit Matrimonio, quia decessa, viduus remansit usque ad mortem. Tandem

gra-

gravissimis pluribus morbis moritur Genevæ, ubi restitutus fuerat an. 1564. Multos publicavit errores, utpotè, Fidem non esse unam, ipsam esse conjunctam cum incredulitate, dubio, incertitudine, immò & erroribus. Fidem implicitam esse phantasticam, & nihil aliud præter ignorantiam; Bonitatem divinam, & suæ salutis certitudinem esse solum Fidei objectum, unde fidem cum spe confundebant: Traditiones esse reiiciendas, quia Scriptura omnia necessaria ad salutem continebat; Expungendos esse è Canone libros Tobiæ, Judith., unam partem lib. Esther, Sapientiam, & Ecclesiasticum Salomonis, Prophetiam Baruch, unam partem Danielis, & Machabæorum: Solum textum Hebraicum veteris Testamenti esse authenticum, sicut textum Grecum novi, nullamque versionem esse admittendam; Scripturam sacram ex se omninò facilem esse, & ad quemlibet Fidem spectare Scripturarum interpretationem, non recurrendo ad determinationem, Ecclesiæ; Fidem amitti non posse, & solis Prædestinatis infundi: Deum prædestinasse homines ad damnationem, nullis præcedentibus demeriti, neque etiam Adami; unde aliquos creavit, ut peccent, & damnentur: Deum esse auctorem omnis peccati, nec absolutè esse omnipotentem, cùm non possit constituere idem corpus in pluribus locis: Essentiam divinam distingui realiter in Personis: Christum non esse propriè Creatorem mundi, nec Filium Dei recipere suam essentiam à Patre, Christum hominem fuisse ignorantem, & ita assumpsisse nostram naturam, ut esset peccator, & maledictionis reus, Perpetuam Virginitatem Mariæ non esse credendam, sed eam

pepe-

peperisse, more aliarum, Christum dissuisse quantùm potuit, executionem officii Redemptoris; Ipsum morientem inconsideratè dixisse, *Pater, si possibile est, &c*, quasi oblitus fuisset se esse missum, ut per mortem Redemptoris officio fungeretur; ipsum timuisse pro sua salute, immò & vocem misisse desperationis clamando, *Deus, Deus meus! ut quid dereliquisti me?* denique tormenta sustinisse damnatorum: Christum mortuum non migrasse ad Inferos, sed tantùm ad sepulchrum descendisse: Purgatorium non existere, neque Lymbum Patrum, nec proindè preces requiri pro mortuis: Christum non resurrexisse de sepulchro clauso, nec ad discipulos intrasse sine apertura: Ecclesiam quę invisibilis est, solos sanctificatos continere, ipsamque posse errare & revera errasse, totaliterque esse corruptam: Papam non esse Petri successorem, sed verum Antichristum: Ecclesiam non posse condere leges obligatorias in conscientia, Monachatum, & Religiosos Ordines Christianismo repugnare mendicitatem Religiosorum inventam fuisse à diabolo; Omnem superioritatem esse reiiciendam: Hominem libero carere arbitrio, quo bonum possit operari, & malum vitare queat: Primos motus concupiscentiæ etiam consensum prævenientes esse peccata. Facilem esse distinctionem peccatorum mortalium à venialibus, sed omnia esse mortalia reprobis, & venialia Prædestinatis; Peccata non deleri ab anima, sed tantùm non imputari: Hominem justificari sola fide sine operibus; Fidem in beatis remanere: Nullum sperandum esse præmium pro bonis operibus Precum reiterationem esse prohibitam: Orationes publicas fieri debere idiomate populari:

Nul-

Nullum esse meritum in observatione mandatorum : Nullo modo Sanctos invocari debere, nec Imagines, aut reliquias Sanctorum coli. Jejunia, & abstinentias carnium certis diebus observari non debere ; Duo tantùm esse Sacramenta, Eucharistiam, & Baptismum, quæ adhuc non habent justificandi virtutem : Corpus Christi contineri tantùm in figura in Sacramento altaris : Benedictiones Ecclesiasticas, ut aquæ, panis, & aliarum rerum esse ridiculas : Cæteras Calvini opiniones omittam brevitas causa, sicut & alios hæreticos, qui in hoc sæculo Ecclesiam persecuti sunt, quippè qui sunt tantùmve. luti rami harum pessimarum arborum Lutheri, & Calvini.

Inter Scriptores, qui hoc sæculum exornarunt, floruerunt primò RR. PP. Societatis Jesu, quorum Ordo initium duxit à tempore, quo Lutherus, & Calvinus insurrexerunt in Ecclesiam. Deindè apparuerunt etiam *Joannes Trithemius*, *Thomas Cajetanus*, *Baptista Mantuanus*, *Joannes Franciscus Picus*, *nepos Joannis Pici*, *Joannes Almaynus* Doctor Parisiensis. *Joannes Major*, *Franciscus Lychetus* Ordinis nostri, *Joannes Echius*, qui fortiter se opposuit Luthero disputationibus, & scriptis, *Franciscus Titelmanus*, Minorita, *Joannes Faber*, *Joannes Driedo*, *Joannes Cochlaus*, acerrimus fidei propugnator, qui multa scripsit contra Lutheranos. *Dominicus Soto* : *Ambrosius Catharinus*, *Martinus Navarrus*, & quamplurimi alii.

De Hæresibus, & Scriptoribus hujus sæculi.

CAlvinismus admixtus Sectæ Reginç Angliæ, cui nomen erat Elisabeth, ortum dedit in Anglia Puritanis, qui se Calvini-

sta,

ſtas Reformatos dicebant : taliterque nominabantur , vel quia ſequebantur purè Scripturam, vel quia puriſſimos, & ſanctiſſimos ſe proclamabant. Illi, ſicut Calviniſtæ à fine Pſalmorum ſuſtulerunt Verſum, *Gloria Patri, & Filio, &c.* quem in illis appoſuerat Eccleſia contra hæreticos, qui Filium cum Patre adorare nolebant. *Antipuritani* adhuc in Anglia opinionibus Puritanorum omnino opponuntur. *Pacificatores*, authore Joanne Sturmio, Religionem Calviniſticam à Catholica eſſentialiter non differre dicunt; unde Miniſter Anonymus quidam ſub nomine Chriſtiani Conſtantis ſcripſit plura de conformitate utriuſque Eccleſiæ. *Arminiani*, ſeu *Remonſtrantes*, aut *Molles Calviniſtæ*, ortum duxerunt à Jacobo Arminio Miniſtro Amſterodami, qui factus fuit poſteà Profeſſor Theologiæ Calvini in Academia Leydena apud Batavos, cujus Cathedram anteà tenuerat Franciſcus Gommarus Hìc Arminius, Calviniſta ſemper reputari volebat, licèt multas opiniones multùm diſtantes à Calvino, & Calviniſtis Rigidis ſuſtineret. *Contra Remonſtrantes*, ſeu *Rigidi Calviniſtæ* Authorem habent *Gommarum*, qui diſputationem aggreſſus eſt contra Jacobum Arminium. Hi ſequebantur rigorem opinionum Calvini de libero Arbitrio de Gratia, de Reprobatione, & aliis. *Conradius Vortius* Miniſter batavus perfectiones divinas conteſtabatur, utpotè, Simplicitatem Dei, Infinitatem ejus, Immenſitatem, & æternitatem; Quòd maximam diviſionem Reformatis Bataviæ affert, etiam his temporibus *Metaphoriſtæ* omnia ad Metaphoras reducentes Filium Dei dicebant, non eſſe propriè nec Verbum Patris, nec imaginem, ſed per Metaphoram. *Marcus Antonius*

nius de Dominis, qui se fraude intrusit in Archiepiscopatum Spalatensem in Dalmatia, authoritatem Papæ deprimere semper conatus est : De ipso loquuti fuimus disputationibus de Conciliis, & Summo Pontifice : In Batavia, Boemia, Germania, & Anglia novæ Sectæ oriuntur continuò, quarum numeratio est impossibilis.

Nostro sæculo non defuerunt Illustrissimi viri, ut potè, *Cæsar Baronius* Cardinalis. *Robertus Bellarminus* Cardinalis. *Petronius*, Cardinalis. *Franciscus à Rupefalcata*, *Franciscus Fervadentius* Minorita, *Florimundus Raymundus*, *Franciscus Salesius*, & innumeri alii, quorum sufficientiæ recens est memoria.

Antequam finem faciamus Capiti de Hæresibus, non omittendum est, majores Hæresiarchas infelicem semper habuisse exitum : *Simon Magus*, cùm volare vellet, orationibus B. Petri dejectum, sibi tibia fregit : & paulò post, cum summa ignominia mortuus est. Sic Egesip. lib. 3. c. 2. de Excidio Jerosol. & Arnobius lib. 1. contra gentes. *Manichæus* unius excoriatus est à Rege persarum, quia filium Regis curaturus occidit, ex Epiph. Hæresi 66. *Montanus*, *Theodotus*, *& eorum Prophetissa* seipsos laqueis necaverunt. Eusebius lib. 5. Hist. cap. 16. *Donatistæ* ab iisdem canibus lacerati sunt, quibus Eucharistiam proiiciebant. Optatus lib. 2. contra Parmenianum. *Arius* in Ecclesiam intrare volens, subito alvi motu ad latrinas publicas accessit, & simul cum excrementis intestina omnia effudit, & animam. Ex Athanas. Orat. 1. contra Arianos : & ex Rufino lib 10. Hist. c. 13. *Valens* Arianus vivus à Gothis crematus est, ex Ruf. lib. 11. Hist. cap. 13. *Nestorius* lingua impia à vermibus consumpta,

miserri mè interiit, ex Evagrio lib. 1. Hist. cap. 6 *Anastasius* Imperator Eutichianorum fautor, fulminis ictu interiit ex Cedreno, & Zonara *Lutherus*, cùm vespere opiparam sumpsisset cœnam, lætus & sanus, & omnesque facetiis suis ad risum provocans, eadem nocte mortuus est, ex Cochlæo in vita Lutheri, *Zuinglius* in bello contra Catholicos trucidatus est. *Oecolampadius*, cùm vesperi sanus cubitum iviſſet, manè inventus est ab uxore mortuus in lecto, ex Cochl. in actis Lutheri An. 1532. *Carlostadius* à dæmone est interfectus. Sic Ministri Basileenses in Epist. quam ediderunt de morte Carlostadii. *Joannes Calvinus* denique horrendis, & sensibilibus morbis gravatus, vermibus consumptus, expiravit, ut testatur Jeronym. Bolsecus in ejus vita, addens, eum blasphemantem obiisse, dæmonibus invocatis. Hæc est finis miseranda eorum, qui Ecclesiam Christi persecuti sunt; nobis concedat misericors, & omnipotens, Deus, ut firmi, & constantes vivamus, & moriamur in ejus gremio.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Summo Pontifice.

TRiplex hominum status est ab orbe condito ad nos usque distinguendus, vixit enim homo, vel in lege naturæ, nempe ab Adamo ad Moisen; vel in lege scripta, à Moyse ad Christum; vel in lege Gratiæ; à Christo scilicet usque ad finem mundi. In primo statu omnes Primogeniti erant Sacerdotes, & cultui D. specialiter dedicati: In lege Mosaica voluit quidem Deus primogenitos sanctificari, sed in illorum locum ex

duo.

duodecim Tribus Israel elegit sibi Tribum Levi, quam divino servitio applicavit præ cæteris, juxta id, quod habetur Num. 3. *Tuli Levitas pro cunctis Primogenitis filiorum Israel, ut serviant mihi in tabernaculo, & orent pro eis.*

Licèt in hac Tribu omnes dicerentur Levitæ, attamen ex usu scripturæ Levitæ distinguebantur in tres ordines; quorum primus erat Levitarum simpliciter, qui Sacerdotibus ministrabant: alter erat Sacerdotum, qui offerebant Sacrificia super Altare Holocausti; nutriebant perpetuum ignem, subiiciendo illi quotidiè ligna, vesperè, & manè; adolebant incensum super Altare Thymiamatis, effuso oleo olivarum hi in die concinnabant lucernas, quæ erant prope idem altare in candelabro aureo: singulis Sabbatis panes calidos ponebant supra mensam Propositionis, veteresque removebant ad suum usum: adjurabant mulieres in casu Zelotypiæ, immolabant Vacam Rufam extra castra: discernebant inter Lepram, & Lepram: mundabant Leprosos, Seminifluos, Puerperas & Menstruatas; denique legem Dei tenebantur scire, & docere.

Præter hunc duplicem ordinem Levitarum, & Sacerdotum, in tertio constituebatur Pontifex, qui & Summus Sacerdos dicebatur. Præcedentes functiones illi erant communes cum aliis Sacerdotibus, sed insuper quatuor alia officia illi erant propria. Semel in Anno intrabat in Sanctuarium ad publicam expiationem populi, ut habetur Levitici 16. 2. consecrabat Levitas, & Sacerdotes. 3. in Controversiis Legalibus ultimam ferebat sententiam: 4. in rebus dubiis magni momenti Deum consulebat; à quo accipiebat responsum,

sive per Angelum, ut volunt aliqui; sive per revelationem, ut dicunt alii: sive, ut vult Josephus, per splendorem gemmarum in Rationali supra pectus Pontificis insertarum: quæ si plùs solito splendescebant, signum erat felicis eventus: sin minùs, res significabatur male successura: sic nec plùs, nec minùs denotabatur per hoc, Deum nolle respondere. Porrò, probabile est, hunc modum consutendi Deum per Summum Pontificem cessasse ab initio Captivitatis Babylonicæ, quo tempore propter sua peccata spoliati sunt Judæi libertate, Sacrificio, & Oraculo.

Sicut ergo in veteri Lege, quæ vocari potuit Ecclesia Mosaica, erant Levitæ, Sacerdotes, & Summus Pontifex: sic in Ecclesia Christi reperiuntur Levitæ, nimirum Diaconi, & Subdiaconi ad ministrandum Sacerdotibus instituti; reperiuntur Sacerdotes supra Corpus Christi naturale, & mysticum potentiam habentes; Sacerdotes, inquam, simplices, & majores, quales sunt Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, super quos omnes denique præeminet Summus Pontifex, de quo hanc disputationem instituimus, plures quæstiones continentem, quarum resolvemus plurimas, alias majoris momenti judicio doctorum reservantes, cùm hactenus controversæ fuerint, præsertim in Gallia; unde mentis nostræ tenuitas illarum solutionem afferre non præsumet, sibi sat esse persuadens, si utriusque partis rationes afferat, relicta cuilibet libertate eligendi alterutram.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ nam regiminis forma alteri præferenda est?

NObis loquuturis de Summo Pontifice, Ecclesiam Universalem regente, de regimine ipso in se considerato priùs dicendum est. Unde sciri debet in primis: quòd triplex sit regendi forma, nimirum Monastica, Oeconomica, & politica. Monastica est, qua homo privatus seligit, & componit suos mores: Oeconomica est ea, quæ caput familiæ suos subditos ducit; politica est ea, qua populus, seu Respublica gubernatur.

Politica forma regendi Rempublicam triplex est, scilicet Monarchica, Aristocratica, & Democratica: Monarchica est quando tota regendi potestas residet apud unum: Aristocratica est, quando pauci, & ipsi optimates regunt: Democratica est, dum totus populus regimen habet, vel saltem aliqui, tum ex plebeis, tum ex nobilibus, ex populi electione. De his ultimis tribus regendi formis quærimus nobiliorem, & utiliorem. Calvinus ex Bellarmino Monarchicum regimen expellere nititur ab Ecclesia, dum ipsum deterius censet Aristocratico, & Democratico, præsertim si in toto mundo, vel in tota Ecclesia constitui attentetur: Unde Ecclesiasticam potestatem cœtui seniorum tribuit, regimen civitatum approbat, quæ excusso principum jugo, à populo, & senatu gubernantur; ut fit apud Genevenses.

CONCLUSIO.

NObilior, & perfectior gubernandi forma est Monarchica. Sic inter Gentiles Philosophos. Plato in Politica post medium; Aristoteles lib. 8. Ethic. c. 10. Homerus lib. 2. Iliados, Herodotus lib. 3. Hist. Plutarchus Opusculo toto de Monarchia. Inter Judæos idem sentit Philo lib. de confusione linguarum. Ex Christianis Patribus denique hoc pariter habent Justinus Oratione Exhortatoria ad Gentes, Cyprianus tract: de Vanitate Idolorum. Hieronymus Epist. ad Rusticum, Augustinus denique inter cæteros, Serm. 25. de Verbis Domini, ad confirmandam hanc sententiam rectè ait: *Da unum, & populus est: tolle unum, & turba est; quid enim est turba, nisi multitudo turbata?*

Probatur hæc veritas primò ratione; quia natura, quæ tendit semper in perfectum, principatum unius expetit, ut patet ex Cypriano, qui tract. de Idolorum Vanit. dicit, quod *Rex unus in Apibus, Dux unus in Gruibus, & in Armentis Rector unus*, Hoc idem innuit Hieronymus Epist. ad Rusticum, *Grues unum sequuntur ordine litterato*. Nec hoc debet irridere Calvinus, dum lib. 4. Instit. c. 6. §. 9. dicit, non ex toto orbe confluere Apes, ut regem eligant, immò suis alveariibus contenti sunt singuli reges apum; & in Gruibus quælibet caterva proprium regem habet: sic, inquit, singulæ Ecclesiæ debent sibi attribuere singulos Episcopos. Quàm fragilis sit illa responsio, patet ex hoc, quòd unum alveare non sit unum cum alio, & sic quodlibet exigit suum regem; quælibet autem Ecclesia est una cum alia, & ideò debet

bet habere unum rectorem cum illa.

Probatur secunda ratione; quia scilicet gubernatio Monarchica perfectiùs regimen Dei imitatur; sicut enim omnia soliùs Dei imperio subjacent, sic in Monarchia omnes subditi Principis legibus obsequuntur. Adde quòd Monarchicam instituit gubernationem Deus in populo Judaico, apud quem fuerunt primò Patriarchæ, ut Abraham, Jacob, & cæteri, qui erant veluti Principes: Deinde fuerunt Duces, ut Moyses, Josue, &c. tum Judices, ut Jamnes, Samson, & alii: posteà Reges, ut Saul, David, Salomon; postremò adhuc Duces, ut Zorobabel, & Machabæi; & hæc omnia durarunt usque ad Christum natum, qui regnans super omnes terminos orbis terrarum, unico visibili Monarchæ voluit suos populos esse obsequentes, nimirum D. Petro, ejusque successoribus.

Probatur tertia ratione; vel potiùs pluribus coadunatis, brevitatis causa; Primò, quia Monarchia respicit bonum Reipublicæ tanquam proprium, & sic omnem curam adhibet ad illud comparandum. Secundò, quia fortior est Respublica, ubi major est civium conjunctio; vires enim unitæ fortiores sunt dispersis; atqui magis inter se conjunguntur cives, qui dependent ab uno imperante, quàm si à multis dependerent, quia pro tunc partialitates oriuntur; Ergo melior est Monarchia. Tertiò, quia, quando multi regunt, nascitur ambitiosa contentio inter illos, ita ut alii alios impediant; vel saltem unus alium respiciens, in collegam suum onus reiiciat; & sic nemo bono communi intendit, immò privato tantùm invigilat.

Obiicies: Illud regimen est deterius, quod facilius vergit in tyrannidem; Monarcha autem

tem, qui nullius ſubditus emendationi, facilius deviabit, & cùm deviaverit, difficiliùs emendabitur: Ergo, &c. in aliis autem regiminibus, timor aliorum quemlibet ab inſolentia impediet; & ſi deviaverit, ab aliis corripietur: Ergo gubernatione deterior eſt Monarchia. Reſp. quòd revera ratione ſummæ poteſtatis, faciliùs Monarcha poſſit in tyrannum mutari: difficilius tamen hoc fiat, quia reſpicit bonum commune ut ſuum, & ſic illud conſervare nititur; Optimates verò, cùm ultra publicum bonum, privatum etiam habeant, vergent faciliùs in Tyrannidem, ut ex aliorum devaſtatione bonum proprium augeant. Dices: Cùm populus Iſrael Regem petiit, reſpondit illi Samuel, *Neſcitis, quid petatis*. Ad hoc dico, Deum non damnare moderamen Regis, cùm ipſe ſe regem regum nominet; ſed populum condemnat, qui abjecto regimine Dei, hominem pro Rege habere peroptat.

QUÆSTIO II.

Utrùm regimen Monarchicum vigeat in Eccleſia.

NEmo dubitat, quin ſit in Eccleſia aliquod regimen, cùm ipſa Cant. 4. ſit ut *caſtrorum acies ordinata*, & Act. 20. *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Neminem enim latet, quin regimen Eccleſiaſticum ſit ſpirituale, & non politicum; quoniam non ſe extendit ad necem, & vitam, nec regulariter ad bona temporalia. An ſit autem Monarchicum præter Calvinum, & alios hæreticos, *Edmundus Richerius* Doctor Theologus, & Collegii Cardinalitii Archidi-

daſca-

daſcalus, & *Simon Vigorius* Regius Conſiliarius in majori Conſilio, adversùs ſacratiſſima Summi Pontificis jura exardeſcentes, inſinuare niſi ſunt circa annum milleſimum ſexcenteſimum undecimum, Regimen Eccleſiaſticum non eſſe monarchicum, ne ſuprema authoritas in manus Pontificis devolveretur: Hoc videns Cardinalis *Perronius*, Archiepiſcopus Senonenſis, ſuæ provinciæ Epiſcopos congregavit, decretumque tulit contra hanc doctrinam, quæ in populo magnum ſcandalum generabat, quod quidem decretum Paulus V. confirmavit.

Quantum ad Richerium, uno aut altero ante obitum anno laudabiliter reſipuit, propoſit ones à ſe adductas vehementer condemnans, cujus rei Declarationem propria manu conſcripſit, quam voluit apud Eminentiſſimum Cardinalem Richelium obſignari in teſtimonium ſuæ obedientiæ erga ſedem Apoſtolicam. Hoc inſtrumentum conſcriptum fuit anno Domini 1629. die Veneris 7. Decemb. præſentibus magiſtro Carolo Talon. Parœcho S. Gervaſii Pariſienſis, & patre Joſeph Pariſienſis Ordinis Capucinorum utroque ſubſignato cum Richerio. Inſuper inſtante morte, ſumpto à Parocho viatico, coram illo, & multis aſſantibus publicè profeſſus eſt ſe ſponte, & ſine metu (ut ſuſurrabant aliqui) prædictam declarationem ſcripſiſſe, & eam adhuc ratam habere quod verum eſſe declararunt anno Do 1631. coram Petro *le Gay* S. Sedis Apoſtolicæ Notario, Leonardus *Fourment* Presbyter, Collegii Cardinalitii rector, Joannes *du Tour*, Doctor Theologus, & Carolus *Ternois* Baccalaureus, tanquam præſentes declarationi prædicti Richerii. Utraque certificatio habetur apud D. *Duval*

in Tractatu, quem edidit de suprema Summi Pontificis potestate.

CONCLUSIO.

REgimen Ecclesiæ est Monarchicum. Probabilissimum enim est, quòd Christus suæ sponsæ, pro qua mortuus est, nobiliorem, & utiliorem inter tres gubernandi rationes reliquerit; nempe Monarchicam; unde in Scriptura Ecclesia insignitur multis titulis, qui Monarchiam redolent; modò enim, Daniel 2. vocatur *Regnum*, modò *exercitus ordinatus*. Cant. 4. ad Timoth. 3. comparatur *domui*, 1. Petri 3. *Navi*, & Joan. 20. vocatur *Ovile*, quæ omnia gubernantur ab uno moderatore. Nec respondendum est, quòd habeat unum Regem nempe Christum, quod sufficit, ut Ecclesiæ status dicatur Monarchicus; hoc enim non sufficit, quia licèt Christus sit Rex invisibilis Ecclesiæ, in quam invisibiliter influit per gratiam, assistentiam, & directionem internam, cùm tamen Ecclesia sit visibilis; debet habere Pastorem visibilem ad quem confugiat in necessariis.

Probatur 2. quia omnes Ecclesiæ per totum orbem dispersæ unam debent constituere Rempublicam, aliàs Ecclesia non esset una. Ut autem ex omnibus Ecclesiis resultet una, & non sufficit unitas Fidei, & Sacramentorum, sed opus est aliquo tribunali & rectore, qui controversias oboriri solitas inter Ecclesias particulares dirimere possit; quia ad hoc non possunt institui omnes Episcopi collectivè sumpti, qui omnibus difficultatibus simul præsto esse non possent, nec etiam possunt institui Principes sæculares, cùm

cùm sint oves non pastores, & sic requiritur unus supremus Pastor, qui discordantes pastores particulares, & dissidentes Ecclesias conciliet. Deinde, multæ controversiæ circa Fidem oriuntur, vixque diversi homines à se sejuncti eadem sentire possunt, nisi unius authoritati acquiescere teneantur; unde Jeremias c. 12. multitudinem Pastorum nemini obedire volentium vituperat, dicens *Pastores muti demoliti sunt vineam meam*, &c. Tandem correctio Episcoporum, & supplementum eorum negligentiæ arguit necessitatem supremi Monarchæ in Ecclesia, qui contineat Episcopos in suo officio, & subditos aliquando Episcopis rebelles ad obedientiam revocet: unde Gregor. Indict. one 13. Epist. 52. *Unumquodque tunc salubriter completur officium, cùm fuerit unus ad quem possit recurri: unus inquam, qui cæteris invigilet, cæteroſque hortetur, & corripiat.*

Probatur 3. ex doctoribus Parisiensibus, quorum aliqui reverà ponunt supremam Ecclesiæ authoritatem in Concilio; alii tamen ipsam constituunt in Summo Pontifice. Primò Alliacensis in Collegio Navaræ Archidiascalus Cardinalis, & Cameracensis Archiepiscopus Tract. de origine Eccles. potest. concluſ. 2. sic habet. *Ideò Dominus providens schisma, & dissentionem, contulit Petro, & successoribus suis authoritatem disponendi Ministros Ecclesiæ, & determinandi eorum jurisdictionem dicens. Pasce oves meas: sis Pastor, & Prælatus generalis, ad quem pertinet regimen regale ovium, & ovile.* Secundò Joannes Gersonius Cancell. parisiens. lib. de Auferibil. Papæ Considerat. 8. sic habet, *Nullam aliam Politiam in Ecclesia instituit Christus præter Monarchicam, & quodammodo regalem: &*

oppositum sentientes, quod videlicet fas est dicere; plures Papas, aut quod quilibet Episcopus in sua Diœcesi est Papa, vel pastor supremus, aqualis Papæ Romano, errat in fide, & unitate Ecclesiæ, contra articulum hunc; Et unam sanctam Ecclesiam: & si pertinaces maneant, judicandi sunt Hæretici, sicut Marsilius de Padua, & quidam alii. Tertiò Almainus de Suprema potest. Ecclesiastica c. 1. ita loquitur: *Christus fuit sapientissimus, quia plenus sapientia, & quod instituerit optimam politiam, sed optima politia debet regi regimine regali, ut dicit Arist. in polic. ita ut unus sit, qui in quemque habeat potestatem, et nemo in eum;* ergo verisimile est, quod in spiritualibus Christus instituerit superiorem, qui habeat quemlibet coercere, & nullus eum. Sufficiant hi tres illustris notæ, & magnæ authoritatis pro omnibus aliis Doctoribus, qui adduci possent in hujus propositionis confirmationem.

Obijcies 1. *Christus est caput Ecclesiæ*, ad Ephes. 4. & sic faceret injuriam Christo, qui admitteret aliud caput in Ecclesia. Negatur consequentia, quia non admittitur aliud caput, cum Christo, sed sub Christo ut ejus Minister, & Vicarius; sicut Regi non fit iniuria, si admittatur Prorex sub Rege. Quod si Ecclesia nusquam dicta fuerit corpus Petri, sed Christi, hoc est, quia solus Christus est caput principale, & perpetuum ejus: sic regnum non dicitur esse proregis, sed regis. Dices: Solus Deus per potentiam suam posset Ecclesiam regere, si esset Monarchica. Resp. revera quòd unus simplex homo hoc non possit per se: bene autem per alios, & maximè si sit adiutus speciali assistentia Spiritus sancti. Quòd si æqualiter mittat Apostolos Joann. vigesimo,

Ecce

Ecce ego mitto vos, per hunc textum Petrus reverà non præponitur aliis, bene autem per aliòs, ut cùm dicitur, *Pasce oves meas*, & *Super hanc petram ædificabo*, &c. & in hoc est Monarcha.

Obiicies 2. Paulus describens Hierarchiam Ecclesiasticam, quam Christus reliquit, multis tradit regimen Ecclesiæ: & mentionem non facit uniùs capiti, ad Ephesios 4. *Dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alils Evangelistas, alios autem Doctores, & Pastores*. Resp. summam authoritatem datam fuisse omnibus Apostolis, ut celeriùs in toto orbe terrarum Fides disseminaretur: in solo autem Petro remansit illa, mortuis omnibus Apostolis. Dices, Luc. 22. facta contentione inter Apostolos, quisnam esset major, respondit Christus, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*: Arcet ergo Christus ab Ecclesia regimen Regale, & Monarchicum: Resp. Christum per hoc tantùm velle regimen Ecclesiæ non esse tale, quale est inter Reges, ita quòd velit quidem unum aliis præesse, sed cùm humilitate, & absq; libidine dominandi, ut faciunt Reges, qui sæpius sunt tyranni imperant subjectis ut servis, & omnia referunt in bonum privatum: ubi vult Christus suum Vicarium præesse Ecclesiæ, non proprium honorem, sed ovium commodum quærendo, ad exemplum ipsius Christi, qui modò dicit, *Non veni ministrari, sed ministrare*, & modo vult vocari *magister*, & *dominus*.

QUÆSTIO III.

Utrùm gubernatio Ecclesiastica sit Aristocratia temperata.

NEgant absolutè Hæretici statum Monarchicum in Ecclesia, ut diximus; Vigorius autem, qui illum admittere cogitur, negat ipsum esse absolutè Monarchicum, vultque esse Aristocratia temperatum: ità quòd Princeps Ecclesiæ nihil agere possit, nisi de consilio, & consensu Episcoporum, qui sunt Ecclesiæ principes: quasi verò tribus primis sæculi, ubi nullum habitum fuit concilium, Supremus Pontifex multos Hæresiarchas non comdemnaverit, quales fuerunt Cerdon damnatus ab Higinio, Marcion ab Eleutherio, Theodorus Coriarius à Victore: Pelagiani, Valentiniani, Novatiani, Appelliani, & multi alii Pontif. & illicò Ecclesia universalis horum omnium hæreses tanquam sufficienter damnatas tenuit. Hoc confirmat August. contra Pelagium, & Sectarios, Concilium Generale prætendentes ad examinandam suam doctrinam jam in duobus Conciliis Africanis damnatam confirmatis ab Innocentio, & Zozimo: Sic loquitur Aug. l. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum, in fine libri. *Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando, nisi congregatione Synodi damnata sit, cùm potiùs rarissimè inveniantur, propter quas damnandas talis necessitas extiterit.* Cùm ergo tribus primis trecentis annis Ecclesiæ, Summus Pontifex sine convocatione Conciliis, & congregatione Optimatum Ecclesiasticorum determinavurit de rebus Fidei, assignandà est jure nostra.

CON-

CONCLUSIO.

MOnarchia Ecclesiæ non est Aristocratia permixta, quasi in actibus suis dependeat absolutè ab aliis, licèt sæpè sæpius admittat optimates Ecclesiæ ad suum regimen in suis Conciliis. Hoc patet, quia Pontifex potest ex se solo præcipere, prohibere, punire, compensare, & de rebus Fidei determinare, ut mox dicebamus; unde Sorbona recepit libenter Bullas Apostolicas Innocentii X. & Alexandri VII. quibus hi Pontifices declarabant opiniones novas, hæreticas, & hoc sine Concilio, & convocatione generali Optimatum Ecclesiæ. Hoc clare habetur in Concil. Florentino, ubi in disputatione contra Rhodanensem Archiepiscopum, qui non poterat ferre, quod Papa cum Latinis Episcopis aliquid mutasset in Concilio: Archiepiscopus Florentinus authoritate Concilii sic terminavit Sessionem septimam: *Quoties de fide oritur aliqua dubitatio, Romanus Pontifex debet, ac tenetur illam explicare, atque illo docente omnes Synodi, atque Ecclesia universalis debet hujusmodi veritatem sequi*; & hoc dicit Epistola recitata, scilicet Agathonis, approbata in sexta Synodo.

Confirmatur hoc ab Ecclesiâ canente, *Simon Petre, antequam de navi vocarem te, novi te; & super plebem meam principem te constitui*: quod autem canit Ecclesia, id credendum est, ex Chrysost. *quia legem credendi facit lex prædicandi*. De Apostolis omnibus etiam dicitur Ps. 44. *Constitues eos principes super omnem terram*, & de Petro canitur, *Tu es Pastor ovium, princeps Apostolorum*: Si autem

est

est Princeps Apostolorum, illis imperat; & sic Episcopi, qui dicuntur texere locum Apostolorum, non habent summam potestatem in Ecclesia Universali, licèt jurisdictionem habeant in solidum in suis Diœcesibus. Dicendum ergo est, Regimen Ecclesiæ esse simile, non quidem illis regnis, quæ absque consensu procerum non possunt leges condere, nec tributa exigere, ut est regnum Angliæ, quod est Monarchicum. Aristocratia, & Democratica temperatum, quia Rex nil agit nisi dependenter à classe Nobilium, & ea, quæ est Plebejorum; sed est simile illis regnis, quæ hæc, & cætera faciunt independenter à Comitiis Generalibus, & à consensu Optimatuum, ut in Regno Galliæ, in quo si aliquando Comitia Generalia convocantur, hoc est ad melius esse, & non necessariò. Adde, quòd quidquid determinaverint illa Comitia, semper liberum est Principi, aut illud confirmare, aut reiicere unde si Edicta Regis soleant à supremo Senatu verificari, hoc non est ex necessitate, sed est conditio; ut voluntas Regis constet populo,

Obiicies. Si Monarchia Ecclesiæ non sit temperata, & aliquo modo limitata, poterit Pontifex dispensare super jus naturale, & divinum, quod falsum est, Resp. dici non temperatam, & limitatam, quia ab alio non dependet; est tamen limitata, quia omnia absolute non potest facere; nil enim potest contra jus Naturale, cùm non possit ullo modo ea immutare, quæ ex natura sua bona sunt, aut mala, nec contra Jus Divinum, nec contra Scripturam, aut Traditionem; licet possit explicare Jus Divinum, & Naturale, declarando ipsa jure obligare, vel non; sed non potest super ipsa dispensare. Quòd si Apostoli

statue-

ſtatuerint multa, ſuper ipſa diſpenſat Eccleſia, ordinando Bigamos, Homicidas, &c. contra D. Paulum 1. ad Timoth. 3. & uſum permittat ſanguinis, & ſuffocatorum, contra Act. 15. Reſp hæc omnia eſſet tantum Juris Eccleſiaſtici, quia ea non ſtatuerunt Apoſtoli, tanquam Evangelii promulgatores, ſed tanquam Paſtores, & Epiſcopi. Quantum ad Jus Eccleſiaſticum, poteſt quidem in illo diſpenſare, etiam in toto, ut volunt plurimi, modò hoc non cedat ſcandalo, nec Status Eccleſiaſticus videatur everti; quod fieret, ſi v. g. Pontifex puerum promoveret ad Ordines ſacros, ſi conferret alicui viginti beneficia, ſi ritus generales in Eccleſia inveteratos aboleret, &c.

Obiicies 2. Quando Rex eſt verè Monarcha ſine limitatione, poteſt diſponere de omnibus Officiariis regni, & ipſos deponere: prout voluerit; quod non poteſt facere Papa circa Epiſcopos, qui non ſunt Vicarii Papæ, ſed in ſolidum partem Eccleſiæ regunt Reſp. hoc non requiri: in Gallia enim, cujus Princeps eſt abſolutè Monarcha, Cancellarius. Comesſtabuli, & alii ſimiles non poſſunt deponi, bene autem privari exercitio officii. Deinde, licèt ad libitum non poſſint deponi, quia gradus Epiſcopalis eſt ex Jure Divino; attamen, ſuppoſitio crimine, deponi poſſunt. Et revera S. Stephanus Papa Helenum Epiſcopum Tracenſem, & Firmilianum Archiepiſcopum Cæſarienſem in Cappadocia excommunicavit cum aliis, qui docebant rebaptizandos eſſe hæreticos, dum ad fidem redirent; & hoc in 3. ſæculo. In 4. D. Athanaſius à S. Damaſo deprecatur, ut Auxentium excommunicet, & eiiciat è ſede Mediolanenſi, in Epiſt. ad Epiſcopos Africæ,

quæ

quæ incipit, *sufficiunt quidem scripta*. & revera hoc fecit Damasus. In quinto sæculo, expulso Chrysostomo ab Ecclesia Constantinopolitana, adversarii ejus loco instaurarunt Ursacium, cui Innocentius I. communionem suam negavit, expunxitque ex numero Episcoporum ex Epist. Damas. ad Imperatorem Arcadium. In 6. Agapetus deposuit Anthimum à sede Patriarchali Constantinopolitana. Hoc idem verificari posset per multa exempla, quæ longius esset retexere.

Obiicies 3. ex S. Anacleto, *Cæteri Apostolorum Petro pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, & ipsis decedentibus in locum eorum successerunt Episcopi*, Cap. *in novo Testamento*. Dist 21. Resp. ad primum cum Cardinali Petronio, Dominis Duval. de Raconis, & Mauclero, Apostolos esse æquales Petro, quantum ad Apostolatus dignitatem, & functiones illi annexas; quia à Christo immediatè missi erant ad annuntiandum Evangelium in toto mundo: Non verò erant æquales in jurisdictione ut Episcopi, & Pastores juxta dictum Maucleri p. 2. de Monarch. Eccles. lib. 1. *Sanctus Petrus æqualis fuit Apostolis ratione Apostolatus, superior tamen ratione Episcopatus, & Pastoralis dignitatis*. Quando ergo Christus mittit Apostolos ad prædicandum Evangelium dicit omnibus. *Sicut misit me vivens Pater, & Ego mitto vos*: dum verò agitur de constituendo Pastore super universam Ecclesiam, soli Petro dixit; *Pasce oves meas*. Ad secundum ubi habetur in objectione, quòd Apostolis succedant Episcopi; Resp. quòd succedant illis in Episcopali ordine, ratione cujus Sacerdotes consecrant, Chrisma conficiunt, super Fideles manus

nus imponunt in Confirmatione, &c. non verò propriè succedunt Apostolis in Authoritate, aliàs omnes Episcopi per totum mundum Evangelium prædicare possent; Unde Sorbona damnavit hanc propositionem Antonii de Dominis Spalatensis Archiepiscopi, *Episcopi dicuntur Apostolorum successores, &c.* Ratio autem quare D. Petrus successores habuit: est, quia D. Petrus erat Pastor ordinarius, cui uti morienti debuit alius succedere, Apostoli verò erant extraordinarii Ministri; & hoc est, quod dicit cum Duvalio Tract. de Romani Pontificis potest. part. 1. q. 3. Bellarminus to. 1. de Rom. Pont. lib. 4. c. 5. *Apostoli enim erant quasi delegati Pastores.*

QUÆSTIO IV.

In quo resideat potestas Ecclesiæ.

CHristus apud homines visibiliter degens, suam Sponsam Ecclesiam, tanquam supremus Monarcha regebat, admittens secum Apostolos, non quidem in partem potestatis suæ, aliàs non diceret ipse Matt. 28. *Data mihi est omnis potestas in cœlo, & in terra:* sed ut Ministros suos, qui ubique prædicarent Evangelium: Postquam autem opus nostræ Redemptionis complevit, antequam ad Patrem reverteretur, providere voluit de Pastore Ecclesiæ, qui eam regeret, quo loco Petrum instituit tanquam sui Vicarium, ut post ascensionem idem Regimen Monarchicum remaneret in Ecclesia, quod ante illam instituere voluerat tanquam nobilius Aristocratico, & Democratico ut inquit Aristot. l. 5. Politicorum c. 11. *Quantò pauciorum est potestas omnis, tantò majoris tempore necesse est eam dura-*

durare : Sic Geonadius Patriarcha Constantinop. in exposit. Concil. Florent. Titulo 5. Capitis Sec. 2. *Christus in terris erat Dominus, Pater, & Pastor Discipulorum, sic cùm decrevisset ad Paternum thronum, ascendere; Petrum præfectum ipsis constituit, & Magistrum, & ut uno verbo dicam, suum Vicarium, ac successorem.* Ex quo clarè patet, quòd sicut in Christo vigebat suprema authoritas, sic eam Petro transmisit. Quia tamen quædam controversia inter Catholicos, & Hæreticos remansit, præsertim inter Antonium de Dominis, & nuper Authorem libri de duobus capitibus Ecclesiæ; ideo hæc quæstio longius protrahenda est.

CONCLUSIO.

SUprema Ecclesiæ potestas in Petro residet, tanquam in capite Ecclesiæ Christi Vicario. Licet hęc veritas sit manifesta cunctis Evangelium scientibus, ex S. Gregorio Papa, attamen illam probare conabimur ex Scriptura, Conciliis, & Patribus.

Probatur ergo primò ex Scriptura, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Habetur etiam Joan. ult. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, Ubi D. Heronymus ait; *Soli Petro pœnitenti potestatem Pastoris Dominus communicavit*. Super hos textus hæc reflexio fieri potest; Vel Christus non potuit dare Petro illam potestatem, quam ut Monarcha possidebat, vel non voluit: Primum est falsum, quia cùm potestas Christi fuerit ordinaria, illi com-

competens ratione Unionis Hypoſtaticæ, eam alteri potuit communicare. Secundum eſt contrarium verbis Chriſti allegatis, quomodo enim clariùs potuiſſet ſuam mentem de Petro eligendo in Vicarium ſuum aperire, quàm dicendo, *Tues Petrus*, &c. *tibi dabo claves regni cœlorum*, &, *paſce oves meas?* Hæc verba in pravum ſenſum detorquere prętendentes hæretici, dicunt per Petram non intelligi Petrum, ſed Chriſtum? Sic Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 6. §. 6. Lutherus vult intelligi Fidem, ſeu Fidei Confeſſionem lib. de poteſtate Papæ, Eraſmus Petram explicat de quolibet Fideli; ſed longè melius Catholici communiter per Petram intelligunt perſonam Petri, quam alloquebatur Chriſtus. Hoc patet clarè per pronomen *hanc* cùm dicitur, *& ſuper hanc Petram*; illud enim pronomen deſignat aliquam Petram, de qua Dominus ante locutus fuerat; loquutus verò fuerat de Petro, quem vocaverat Petram: Hoc confirmat Concilium Calcedonenſe Act. 3. appellans Petrum, *Petram, & crepidinem Eccleſiæ Catholicæ*; & Omnes Patres, tum Græci, tum Latini, ut videre eſt apud Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontif. c. 10.

Verba etiam Matth. 16. allata, *Tibi dabo claves regni cœlorum*; prætendunt hæretici, Calvinus, Lutherus, & Magdeburgenſes, pertinere ad totam Eccleſiam, cujus Petrus perſonam gerebant, & nihil ſpectare ad perſonam privatam Petri: ſed circumſtantiæ comitantes verba Chriſti ſatis indicant perſonam particularem Petri. Primò, per vocem, *tibi*, quæ eſt pronomen ſingulare; Secundo explicat nomen inditum in Nativitate, *Beatus es Simon*: Tertio, addit nomen patris, *Bar-Iona*, id eſt filius Jonæ: Deinde illi dictum

eſt,

est, *tibi dabo claves*, qui dixerat, *tu es Christus Filius Dei*, illicò enim subjunxit; *& ego dico tibi:* sed Petrus illa verba protulit; Ergo ista ad personam Petri pertinent, sicque *confessio mercedem accepit*, ait Hieronymus. Tandem illi dictum est: *tibi dabo claves, &c.* cui paulò post dixit Christus; *Vade post me, Sathana! scandalum enim mihi es*; sed iste fuit Petrus, non in persona Ecclesiæ, sed privata, ut patet ex Evangel. & ex Hilario l. 6. & 10. de Trin. Theophilacto, Hieron. Chrysostomo c. 16. Matt. & ex August. l. 2. contra duas Epistolas Gaudentii c. 23. ergo etiam Petrus fuit ille, cui dixit Christus, *tibi dabo claves*. Quod si dicatur, Petrum respondisse: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; nomine omnium Apostolorum, ut habetur ex Chrysostomo, *Petrus fuit os Apostolorum*: ex Hieronym. *Petrus pro omnibus est loquutus*, & ex August. *Unus pro omnibus respondit*. Serm. 13. de Verbis Domini Ad hoc dico Petrum non respondisse, tanquam ab aliis commissionem habentem, sed dicitur respondisse nomine omnium, *quia erat omnium caput, & Princeps*, ut habet Cyrill. l. 12. in Jo. c. 64. Hoc non impedit tamen, quin confessio sit propria Petro, licèt dicatur communis: quia omnes illam silentio suo approbarunt. Hoc confirmat Hilarius in hunc locum. *Petrus primus judicatus est dignus, qui quòd in Christo esset, primus cognosceret* si primus cognovit, ergo illi primo revelatio facta est: & sic singulariter fecit hanc confessionem. Sic August. Serm. 124. de Temp. *Hic est Petrus, qui divina revelatione primus omnium veritatem meruit confiteri*, dicens, *Tu es Christus, &c.* Sic etiam D. Leo Sermone 11. Passione Domini: *Petrus omnium ora celerrimè*

praveniens, inquit, Tu es Christus Filius Dei.

Probatur secundò ex Conciliis tum Orientis, tum Occidentis. Primò ex Concilio Niceno, l. 3. Can. 39. versu, *Consideret Patriarca Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos, ut qui sit Vicarius Domini nostri Jesu Christi.* Ex Conc. Ephesin. *Beatissimus Petrus Apostolorum Princeps, & caput, fideiq; columna. Ecclesia Catholica fundamentum, à Domino nostro Jesu Christo claves regni accepit* P. 2. Art. 3. non ergo jurisdictio Petri est humana, ut voluerunt aliqui Concil. Constantinop. principatum Petri his verbis fatetur: *Beatus Petrus Apostolorum Princeps nos commonet*; Epist. quæ incipit; *Consideranti mihi*; ad Imperatorem, Concil. Basileense oratione facta coram omnibus Patribus, quæ incipit, *Humanissimam, & sanctissimam*, sic habet: *Præsulatus potestas, & authoritas Petro tributa fuit non ab hominibus, sed à Christo Salvatore.* Idem patet secundò, ex Concil. Occidentalibus, præsertim ex Florent. *B. Petrus Apostolorum Princeps, verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Pater, & Doctor.* Et ex Trident. sess. 6 c. 11. ubi Petrus Apostolorum Princeps vocatur; Lugdunense, Viennense, Lateranense, & alia idem penitus asserunt.

Probatur tertiò ex Patribus Orientalibus, & Occidentalibus, qui unamini consensu asserunt, Petrum fuisse præpositum aliis Discipulis. Inter Orientales Basilius sic habet: *Aliis omnibus Discipulis antepositus fuit* Serm. de Judic. Dei D. Athanasius Respons. 72. ad Antiochum, *Petrus Apostolorum primarius*. Gregor. Nazianz. *Petrus Ecclesiæ colu-*

columen. Chryſoſtomus. Homil. 55. in c. 16 Matth. *Petrus Paſtor, & caput Eccleſiæ*. Epiphanius ſcribens contra hæreſim. 51. nu. 17. *Petrus Apoſtolorum Princeps à Chriſto electus*: ergo non ab hominibus. Damaſcenus *Petrum cæleſtis regni clavicularium inſtituit*, Orat. de Transfigur. Theophylactus ſuper Evang. Joann. cap. ult. *Paſces agnos meos; paſce oves meas, qualis Paſtor fuit, talis & tu ſis*. Sic cæteri, quos omitto, ut ad Patres Occidentales tranſeamus. S. Clemens Epiſt. 2. *Quoniam*, ad D. Jacobum Apoſtolum; *Petrus omnium Apoſtolorum pater*. Si autem Jacobus unus ex Apoſtolis nullam reprehenſionem fecerit Papæ, ſignum eſt, quòd hanc ipſe veritatem agnoſceret. Chryſoſtomus Homil. 87. in Joan. *Si quis à me percontaretur, quomodo Jacobus Fidem Hieroſolymitanam accepit; reſponderem ego, Petrum totius orbis Magiſtrum illum præpoſuiſſe*: Unde Mauclerus de Monarch. Eccleſ. P. 2. l. 1. c. 9. *Petrus Spiritui ſancto inſpiranti, unicuique Apoſtolorum ſuas terras, veluti Diœceſes aſſignavit*: Hoc autem non feciſſet, ſi ſupremam in Apoſtolos non habuiſſet authoritatem. Cyprianus Epiſt. 40. *Fratres chariſſimi! Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & Eccleſia una, & cathedra una, ſupra Petrum, Domini voce fundata*. Per Cathedram intelligitur authoritas. Hieronymus l. 1. c. 14. contra Jovinianum, *inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*. Optatus Milevitanus l. 7. contra Parmenianum, *Stant Apoſtoli innocentes, & peccator accipit claves*. Ambroſ. in c. 12. 2. ad Corinth. *Prior ſequutus eſt Andreas Salvatorem, attamen primatum non accepit, ſed Petrus*. Hieronymus Epiſt. 53. ad Euſtochium, *Sapiſſimè rogatus*,

ait,

ait, *soli Pastoris potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti Dominus commisit, & quam solus habuit, Petro tribuit.* Sic Arnobius in Ps. 136. Augustinus deniq; vocat Petrum *Saxum immobile, operis Christiani molem continens*, in Matth c. 16. Unde clemens Alexandrinus ait apud Sophronium, in Prato c. 73. quòd Christus solum Petrum baptizaverit, Petrus autem Andream, Jacobum, & Joannem, & hi alios. Videat ergo Antonius de dominis, si meritò dixerit, quòd disparitas potestatis inter Apostolos sit humanum inventum: videant alii, si jure reponant duo Capita in Ecclesia; videant denique reliqui, quam ineptè asserant, Papam successorem Petri esse tantumodò primum inter æquales, sicut Cicero est primus inter Oratores, & Aristoteles primus inter Philosophos.

Obiicies primo, Jacobum majorem fuisse Petro, qui fuit Episcopus Hierosolymæ, ubi Christus instituit Ecclesiam, & proinde fuit ejus Vicarius. Resp. Jacobum fuisse Episcopum unius Ecclesiæ particularis, & Petrum omnium Ecclesiarum; immò fuit ipsemet Petrus, qui Jacobum Episcopum Hierosolymitanum instituit ex Chrysost. præcitato in 3. probat. Unde Bernardus in l. 2. de Consider. *Jacobus una Hierosolyma contentus, universalitatem Petro cedit.* Si dicatur quòd Hierosolyma sit mater omnium Ecclesiarum, hoc verum est de jure antiquitatis, non potestatis Si Petrus non sederit Hierosolymis hoc est, quia congruum erat, ut locus Summi Sacerdotis mutaretur, quoniam mutata est lex, & Sacerdotium per adventum Christi. Dices, Paulum, qui vocatur Apostolus per Antonomasiam, debere potiùs esse caput Apostolorum. Resp. dici talem quia fuit

doctior, & sapientior cæteris, qui plus scripsit, & plantavit fidem in pluribus locis; quod est munus Apostoli 1. Corinth. 15. de se ait: *Plus omnibus laboravi*. Quia cæteri missi sunt ad certas provincias, Paulus ad omnes Gentes: Petrus autem excelluit quantum ad authoritatem, & sic ab Ecclesia canitur *Princeps Apostolorum*. Hæc solutio est Augustl. lib. 3. ad Bonifac. cap. 3. Quod si in antiquis sigillis, quibus diplomata obsignabantur, imago Pauli erat à dextris, & Petri à sinistris, non satis constat, an eo tempore dextera esset nobilior sinistra: deinde, sicut in diplomatibus, Paulus obtinet dexteram, sic Petrus illam tenet in numismatibus, & forte id fecit Ecclesia, ut significaretur, hos Apostolos aliquid habere, in quo unus alteri præcellat, nimirum Petrus in authoritate, & Paulus in sapientia: unde dicit S. Maximus Sermon. ult. de sanctis Petro, & Paulo, *Clavem potestatis Petro, & Clavem scientiæ Paulo datam esse*. Adhuc, quòd si nominandi sunt Apostoli, primus nominatur Petrus Matt. 10. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc, primus Simon, qui dicitur Petrus*. Sic Marci 3. Luc. 6. Act. 1. Si invocentur in Litaniis, præcedit Petrus, si festa de illis agantur, primò celebratur memoria Petri.

Obiicies secundò, Ecclesia omnibus æquè commendata est, *Euntes docete omnes Gentes: sicut misit me Pater vivens, &c.* Resp. ab omnibus commendatam fuisse, non æqualiter; soli enim Petro dixit, *Pasce oves meas*, Dices ex Cypriano, *hoc erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.*

tur. Resp. ante electionem capitis fuisse æquales, sed ex æqualibus in potestates post Resurrectionem, Petrum elegit Christus in caput aliorum, & supremam authoritatem illi tribuit, dum dixit, *Pasce oves meas*, ut status Monarchicus, quem ipse in Ecclesia constituit, conservaretur; sic intelligendi sunt alii Patres. Sicut Aug. lib. de Agone Christiano c. 36. *datas fuisse claves omnibus, cùm data sunt Petro, qui Ecclesiæ personam sustinebant, & omnibus dictum fuisse, Pasce oves meas, cùm hoc Petro dictum est*, Resp. hoc dictum fuisse omnibus mediatè, quia mediante authoritate concessa Petro, ipsemet Petrus illam communicavit Apostolis post Ascensionem, ipsos mittendo in diversas Provincias. Si dicatur, quòd Petrus non exercuerit Primatum, quia etiam alii Apostoli instituerunt primos Diaconos Act. 6. quia Apostoli miserunt Petrum, & Joannem in Samariam Act. 8. quia denique Paulus, & Barnabas quæstionem de Circumcisione tulerant ad omnes Apostolos? Resp. Licèt in institutione Diaconorum non exercuerit Principatum, in aliis tamen exercuit. 2. Apostoli miserunt Petrum non ex authoritate, & imperio, sed de consensu ejus, & de consilio. 3. Illam controversiam delatam fuisse ad omnes Apostolos, quibus præsidebat Petrus, ut decisio fieret cum majori partium satisfactione. Hoc tamen non impedit Primatum Petri, sicut nec quando affertur causa civilis Senatui coram Rege. Dices Gal. 2. Paulus restitit Petro: ergo non agnoscebant Principatum Petri, vel erat arrogans, corrigendo Superiorem. Resp. aliam esse correctionem ex Justitia, quæ fit per inflictionem pœnæ, & hæc competit tantùm Superiori, aliam ex Charitate, per fraternam correctio-

nem. Hanc adh buit Paulus, videns Petrum erraſſe, non in fide, ſed in facto; quia incautè ſimulabat Judaiſmum: Unde Auguſt. Epiſt. 19. ad Hieron. *Ipſe Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, ſancta, & benigna humilitatis pietate accepit.*

Obiic. 3. Antonius de Dominis falſus Archiepiſcopus Spalatenſis in Dalmatia, Primatum Petri repetit ex ejus primaria vocatione, non ex authoritate particulari. Reſp. quòd licèt Petrus eſſet primò vocatus, hoc non eſſet contra nos, quia potuiſſet Chriſtus eum primò vocare, ut ipſum caput Eccleſiæ faceret: non tamen fuit primò vocatus. Primò enim admiſſi ſunt ad Chriſtum Andreas, Petrus, Philippus, & Nathanael, non ut cum illo manerent, ſed ut audirent illum & tunc Andreas præceſſit Petrum, Jo. 1. Secundò, vocati ſunt propriè à Chriſto ut cum illo manerent, Petrus, & Andreas, ſed ſimul & eodem tempore, Matt. 4. Tertiò, omnes vocati ſunt ex Diſcipulatu ad Apoſtolatum, ſed ſimul, & eodem tempore, ut patet ex Luc. 6. non ergo Petrus fuit primus vocatione. Dices ex eodem Antonio, Primatum Petri procedere ex antiquitate ætatis, ob quam multa dixit, & fecit ac ſi eſſet primus. Reſp. quòd non ſatis conſtet, an fuerit ſenior Andreas; contrarium enim docent Epiphanius Hæreſi 51. Baron. Tom. 1° Annal. an. 31. § 23. Lorinus, Serarius, & plurimi; Licet alii dicant contrarium, ut Caſſianus, Criſoſt. &c. ſed eſto hoc verum eſſet, nonne potuit Chriſtus antiquiori dare principatum ſuper Apoſtolos: Porrò ipſe Spalatenſis reponit Primatum Petri in fervore: ſed quis judicare poterit, an Petrus plus dilexerit Chriſtum, quàm Joannes diſcipulus dilectus, aut Paulus, qui dixit ſe non poſ-

ſe

se separari à Charitate Christi. Dices denique. Non est verisimile, quòd ille, qui atrocius peccaverat principatum super alios obtineret : sed hoc factum est, ut majorem compassionem haberet de peccatoribus, qui ad ipsum recurrerent.

QUÆSTIO V.

Utrùm suprema Petri potestas transmissa sit ad Pontifices Romanos.

CUm jus successionis Romanorum Pontificum fundetur in hoc, quòd Petrus, jubente Christo, sedem suam ibi collocaverit, quatuor nobis essent examinanda, antequam præponeretur ista quæstio, an scilicet Petrus Romæ fuerit, an Romæ mortuus sit, an Romæ Episcopus extiterit, an denique usque ad mortem fuerit Romæ Episcopus; sed quia hoc soli Hæretici negant, ideò de his omnibus pauciſſima referam.

Dico primò, Petrum fuisse Romæ, ubi Romanam Ecclesiam fundavit : ipsemet enim in fine prioris Epistolæ dicit. *Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Per Babylonem autem intelligitur Roma, dum Imperatores Romani in ea regnabant ex Eusebio l. 1. Hist. c. 15. & ex Hieron. l. de Viris Illustribus, *Petrus, in Epist. 1. nomine Babylonis Romam intelligit.* Quod autem Eccl. Romanam fundaverit Petrus, testatur Leo Papa Serm. 3. de Natali Apostolorum Petri, & Pauli *Cùm Apostoli imbuendum Evangelio mundum suscepissent, Petrus Princeps Apostoli ordinis ad arcem Romani, destinatur imperii*, Sic etiam cum Teodosio Imp. codice *De Summa Trin. & Fide Catholica*,

Eusebius l. 2. Hist. cap. 14. Arnobius l. 2. contra Gentes, & multi alii cum Gregorio Turonensi l. 1. Historiæ Francorum c. 25. *Beatus Petrus Apostolus sub Imperatore Claudio (an. 2.) Romam aggreditur, ibique prædicans, manifestissime Christum esse Filium Dei comprobavit, ab illis enim diebus Christiani apud civitatem Romanam esse cœperunt.* Si dicat Paulus Act. 9. quòd oporteat se ire Romam; hoc est, non ad Romanorum conversionem, sed ad confirmationem in fide, ut ipse testatur ad Rom. c. 1. fuit ergo Petrus Romæ, ubi sedit viginti quinque annis, & anteà septem annis Antiochiæ.

Dico secundò, Petrum Romæ mortuum fuisse, & Paulum similiter; unde, quia utrique suum sanguinem fudit pro fide Romanæ Ecclesiæ, ambo pariter dicti sunt fundatores ipsius. Quantùm ad Petrum, multos annos in urbe Roma Pontificatum gessit, & post devictum publicè Simonem Magum, jussu Neronis, in cruce, capite deorsum verso, vitam finivit, Usque ad Vvicleffum, hoc est, usque ad quartum decimum sæculum hanc opinionem nemo contestatus fuerat; sed iste Hæresiarcha contrariam sententiam perfundere conatus est, quasi novum lumen habuerit, ut nullus per mille quadringentos annos potuerit inveniri, qui falsitatem opinionis tam antiquæ detegeret. Nostra sententia est omnium Patrum, incipiendo à Dionysio Corinthio, qui centum annis ab obitu Apostolorum floruit, cùm Romæ esset, sic ait apud Eusebium lib. 2. hist. cap. 23: *Ambo in hac urbe simul docentes, etiam martyrio pariter uno, & eodem tempore coronati sunt.* Sic Origenes l. 3. in Genesim, ut refert Eusebius l. 3. Historiæ c. 2. *Petrus ad ultimi-*

ultimum commoratus in urbe Roma, ibi & crucifixus est, deorsum capite verso, quod ipse fieri precatus est, ne exæquari Domino videretur. Sic Athanasius Apologia pro fuga sua. Tertull. de Præscript. Chrysost. Ambros. August. & cæteri.

Dico tertiò, Petrum non solùm Romæ prædicasse Evangelium, sed fuisse Romanæ Ecclesiæ, quam fundavit, Episcopum. Contrarium tenet Antonius de Dominis, dicens, Petrum solo Apostolatus titulo fuisse Episcopum Romanæ Ecclesiæ; 1. per prædicationem Evangelii, & proinde in hoc nihil habere præ Paulo. At Patres longè contrarium sentiunt. Eusebius in Cronico An. 44. *Petrus natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cùm primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficitur, ubi Evangelium prædicans, viginti quinque annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Hieronymus in Catal. Scriptorum Ecclesiæ, *Petrus Romæ viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit.* Sic Severus Sulpitius lib. 1. Hist. August. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 15. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in quæ nunc Anastasius sedet?* Longius esset alios retexere. Quòd si Linus, & Clemens, qui proximè successerunt Petro, fuerint discipuli Pauli; ex hoc inferri non potest quod Paulus fuerit Episcopus Romanus: Deinde non satis constat, an fuerint discipuli Pauli. Porrò omnes, qui Catalogum Pontificum fecerunt, à Petro incipiunt, & nullus à Paulo.

Dico quartò, Petrum fuisse Episcopum Romæ usque ad mortem suam; si enim deseruit Sedem Romanam dicatur quæso, ubi non habitaverit Petrus? cùm autem hoc

reperiri non possit ; credendum est mortuum fuisse, dum regeret illam, & illi succes. sit Lino Linus Anacletus, & isti Clemens ex Irenæo l. 3. c. 3. texente Catalogum Roma. norum Episcoporum. Posito ergo, quòd Pe. trus Romam venerit, quòd ibi Episcopos fuerit usque ad mortem, quòd Pontifices Romanos habuerit pro successoribus ; quæritur, utrum successerint Petro in authoritate Monarchica, & suprema potestate, quæ concessa est Principi Apostolorum.

CONCLUSIO.

SUprema, & Monarchica Ecclesiæ potestas Summo Pontifici competit, & hoc Jure Divino ; quoniam Christus voluit, ut idem regimen in Ecclesia maneret post mortem suam, consequenter voluit, ut quemadmodum Petrus fuit suus successor, ut Petrus successores Ecclesiæ Monarchas suprema authoritatem possidentes haberet. An autem supremus Pontificatus sit ita annexus Episcopos Romano, ut non possit Pontifex Romanum Episcopatum deserere, & in alio sedere, hoc non est ita in confesso apud omnes Catholicos, quin Scotus in 4. dist. 24. q. 2. art. 3 dicat, supremum Pontificatum non esse jure D. annexum Episcopatui Romano, sed tantùm ex facto Petri, qui cùm à Christo primatum accepisset, Antiochenam Ecclesiam reliquit, & fixit suam sedem Romę. His positis.

Probatur primò Conclusio nostra, contra Nilum Episcopum Thessalon. in lib. adversùs primatum Petri dicentem, quòd Papa reverà succedat Petro, ut erat Episcopus Romanus, non verò ut erat caput Ecclesiæ; sed ex Conciliorum decretis statutum esse, ut primus esse Episcoporum, primus sederet, primus sententiam ferret, non verò aliis

imperare, quod est dicere, Petrum esse primum inter Episcopos æquales. Quod autem hoc falsum sit, quia Christus in Ecclesia instituit regimen Monarchicum immutabile; sicut ergo Christus fuit caput Ecclesiæ ex jure D. sic Petrus, qui illi successit, fuit etiam caput Ecclesiæ ex jure D. & illi Pontifices, qui Petro succedunt, eodem jure talem jurisdictionem possident.

Probatur, inquam, Conclusio nostra ex conciliis Orientalibus, & occidentalibus. Inter Orientalia, Concil. Nicæn. apud Alphonsum Pisanum l. 3. Can. 39. §. *Sitq; præest*, sic habet. *Qui tenent sedem Romanam, caput est, & Princeps omnium Patriarcharum quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, ut qui sit Vicarius Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam: qui contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Ubi Nota, quòd si Pontifex sit primus, sicut & Petrus, ejus primatus est ex institutione Christi, qui voluit conservare Monarchiam in Ecclesia, ita quòd ex voluntate Christi eodem instanti, quo creatur Pontifex, in jura Petri ingrediatur. Nota etiam, quòd si est Vicarius Christi super Ecclesiam non sit tantum primus in Ecclesia, sed super omnia membra Ecclesiæ, ut sunt Patriarchæ, Primates, & Episcopi, qui illi parere debent, sicut Christo. Nota denique, quod Papa non sit Vicarius concilii generalis, nec suam ab eo potestatem hauriat, sed à Christo, Matt. 16. & Joan. 20. concil. Sardicense an. 549 sub Julio I. determinavit *Episcopum non posse judicari à suis Coepiscopis, si remitti postulet ad Episcopum Romanum* Can. 5. & hoc insertum est in antiquis legibus Galliæ; quod denotat, in nullo esse jurisdictionem supremam, nisi in Summo Ponti-

fice. Ex Conc. Ephes. p. 2. Act. 3. *In omnibus saeculis notum est, quòd sanctus Petrus Apostolorum Princeps à Christo Claves regni accepit, qui ad hoc usque tempus, & semper in suis successoribus vivit, & judicium exercet*. In Conc. Chalced. p. 5. Ep. ad Leonem Papam, quæ incipit, *repletum est gaudio os nostrum*, omnes Episcopi, numero plusquam quingenti submittunt D. Leoni Papæ omnia Conc. decreta, *Omnem nobis gestorum vim insinuavimus ad comprobationem nostra sinceritatis, & ad eorum, qua à nobis gesta sunt, firmitatem*. In Concil. Constantin. Epist. ad Agatonem in Episcopum Senioris Romæ, quæ incipit, *Sanctum, & universale Concilium*. Patres his verbis Papæ loquuntur, *Tibi, ut prima sedis Antistiti universalis Ecclesia, quid gerendum sit, relinquimus*. Idem docent Concilia Occidentalia, utpote Lateranense 4 sub Innocentio III. cap. 5. Titulo *de dignitate Patriarcharum*. Viennense sub Clemente V. Epist. ad Philippum Regem Franciæ, quæ incipit *Regnans in cœlis*. Constantiense durante schismate condemnat Joannem Hus dicentem art. 9. dignitatem Papæ non esse de jure D. sed Imperatorum authoritate, & art. 10. Episcopum Romanum non esse caput Ecclesiæ Romanæ. Concilium Basileense p. 1. in Appendice. *Constat, Episcopum alma urbis esse Petri successorem*. Trid. Sess. 24. c. 1. in Decreto de Reform. *Beatissimus Romanus Pontifex sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex numeris sui officio habet*. In expositione Concilii Florentini sub Eugenio IV. Gennadius Patriarcha Constantinop. Tit. 5. Capitis Sect. 2. sic habet, *Decrevimus, Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem primatum, obtinere, eumque esse Beati Petri Apostolo-*

lo um Principis ſucceſſorem , Chriſti Vicarium , & omnium Chriſtianorum magiſtrum : & profectò neſcio quomodo quis inficiari poſſit. Attuliſſemus verba omnium Conciliorum Latinorum niſi obſtitiſſet noſtra brevitas.

Probatur 2. ex Summis Pontificibus , qui extiterunt initio naſcentis Eccleſiæ , & ex jure Canonico Anacletus an. 104. *Epiſcoporum judicia , aut ſi difficiliores orta fuerint queſtiones, ad ſedem Apoſtolicam deferantur , queniam Apoſtoli hoc ſtatuerunt juſſione Salvatoris.* Hoc oſtendit poteſtatem eſſe in Pontificibus Jure Divino . Evariſtus Anacleti ſucceſſor jubet Eccleſiis quibuſdam , quæ Epiſcopos depoſuerant ; ut illos in ſede ſua reſtituant Epiſt. 2. *Unum nos fratres ſentire oportet* , quæ pro titulo habet , *De Epiſcopis electis* . Alex. Evariſti ſucceſſor Epiſt. quæ incipit . *Cogitationibus nobis* , dicit . *Relatum eſt ad hujus S. Sedis apicem , cui ſummarum diſpoſitio cauſarum , & omnia Eccleſiarum negotia ab ipſo Domino tradita ſunt , dicente Petro , Tu es Petrus* , &c. *Quòd emuli quidam Chriſti , & ejus Eccleſia , Sacerdotes Dei ad judices accuſare præſumant &c.* & inferius illos excommunicat . Ex quibus verbis patet , poteſtatem Pontificum eſſe à Chriſto , Sixtus , Teleſphorus , Higinus , Pius , Anicetus , Victor , Pontianus , Anterus , S. Se- Fabianus , Marcellus Marcus , & pene omnes alii idem prædicarunt . Quantùm ad Jus Canonicum , hoc confirmantur ſexcentis in locis , duo tantùm afferemus , & primò id quorum habetur , *omnem humanam creaturam ſubeſſe Romano Pontifici , eſt de neceſſitate ſalutis* . Extra *Unam ſanctam de major. & obed.* Hoc habetur etiam titulo de Elect. & Elect. poteſt. in 6. *Plena libertate potitur , nec uli ſubeſt homini , quia ora divino cunctis præfertur* .

Probatur tertiò ex Patribus Græcis, Latinis, & ex illustrioribus Theologis quorum omnium ob brevitatem aliquos tantum afferemus. Quoad primos, D. Basilius statum deplorandum Ecclesiæ Orientalis videns suadet Athanasio, ut postulet à Papa, *Quod viros doctos, ac sapientes sua authoritatem mittat, qui reprimant pacis Ecclesiastica perturbatores, & possint acta conciliabuli Ariminensis declarare nulla*: quod fecit Athanasius, Marco Pontifici scribens; hoc autem non fecisset uterque, si non agnovissent supremam authoritatem in Papa Epistola Basilii est 52. quæ incipit: *Quam de dignitate tua*, & Epistola Athanasii ad Pontif. quæ incipit, *Ad vos perveniisse non dubitamus*. S. Chrysostomus expulsus per Theophilum Patriarch. Alexandr. & per Episcopos factionis Eudoxiæ, ad Romam recurrit, mittens ad Papam quatuor Episcopos cum litteris quadraginta Episcoporum, & totius populi Constantinop. deprecabanturque hi omnes, ut Papa Chrysostomum in suam sedem restitueret; & in hoc potestatem Papæ agnoscebant. Sic legitur in Epistola, *Etiam antequam*, quæ reperitur inter Epist. Innocentii Papæ. Quoad Latinos, D. Augustinus cum cæteris Episcopis in conc. Milevit. existentibus, Innocentium primum exorat, ut pro sua authoritate succurat Ecclesiæ, quæ maximè opprimebatur per Hæresim Pelagianum, Epist. 62. inter Augustinianas, & incipit; *Quia te, Dominus*, Deinde: cum in duobus conciliis provincialibus Africanis damnati essent Pelagiani, & Papa illa confirmasset, nihilominus expeterent concilium generale, ad examinandam denuò illorum doctrinam: Resp. Augustinus, *Jam de hac causa duo concilia missa sunt ad Se-*

dem

dem Apostolica, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, error utinam finiatur. Serm. 2. de verbis Apostoli contra Pelagium hæc duo concilia fuerunt, Carthaginense, & Milevitanum. Optatus Milevitan. Episcopus, hanc solam rationem affert, contra Donatistas, *Judicium Melchiadis Papæ sententia clausum est*, Libr. 2. contra Parmenium. Hieronymus ad Damasum dicit, *se esse conjunctum suæ communioni*. Ep. ad Damasum, quæ est 25. & incipit, *Quoniam vetusto*; non dicit verò, se esse conjunctum communioni Patriarcharum Constantinop. Antiocheni, Alexandrini, & Hierosolymitani. Ambrosius in 1. Timot. c. 3. *Ecclesia domus Dei dicitur, cujus hodie rector est Damasus.*

Quantùm denique ad Theologos, Albertus Magnus Episc. Ratisbon. sic loquitur: *Papa potestatis habet plenitudinem, estque Ordinarius omnium hominum, quia vir Dei est in terris.* Tract. 24. q. 141. membr. 3. D. Thom. contra errores Græc. c. 23. Versu, *Similis autem error*, ait. *Similis autem est error dicentium Christi Vicarium Romanæ Ecclesiæ Pontificem non habere universalis Ecclesiæ primatum erroneè dicentium Spiritum S. à Filio non procedere.* D. Bonaventura, Serm. 22. in Hexameron, Titulo de Statu Ecclesiæ militantis, *Etsi alia quatuor sedes plenam authoritatem habeant super Ecclesiis particularibus solamen Romana universaliter, sicut sol inter Planetas, habet plenitudinem potestatis super omnes.* Joannes Gersonius Tract. de Statibus Ecclesiæ, titulo, *Pro summi Pontifices*, Considerat. 1. *Status Papalis institutus à Christo immediatè, tanquam primatum habens Monarchicum in Ecclesiastica Hierarchia: quem statum, qui impugnare, vel diminuere, aut*

alii ſtatui Eccleſiaſtico particulari coaquare, præſumit, ſi hoc pertinaciter faciat, hæreticus eſt, ſchiſmaticus, impius, & ſacrilegus. Ad hoc attendat ſedis Romanæ adverſarii. Lib. etiam de Origine Juris, & legum Concluſ. 2. apud Mauclerum de Monarc. Eccleſ. 1. p. 2. c. 6. If. 1. idem Gerſonius ſic habet, *Plenitudo legis Eccleſiaſticæ non poteſt eſſe de lege ordinaria, niſi in uno Summo Pontifice, formaliter, & ſubjectivè, alioquin Eccleſia haberet poſſet multiplex caput, quod eſt hæreticum.* Videatur in hac materia D. Andreas Duval, qui Tract. de *Suprema Pontifice Romani authoritate*, docet adversùs Antonium de Dominis Vigonium Juriſconſultum, & Richerium, ex Scrip. conciliis, & Patribus noſtram concluſionem.

Obiicies ex Anacleto Epiſt. 2. *Apoſtoli cum Petro pari conſortio authoritatem habuerunt, & ipſum principem ſuum eſſe voluerunt.* Reſp. primum intelligi de tempore, quo nondum Petrus primatum acceperat; & ſecundum de voluntate conſentiente, & approbante, non inſtituente: contrarium enim docet Epiſt. 3. Dices Ex Can. *ego Ludovicus*, Diſt. 63. Papa dicitur Vicarius Petri; ergo à Petro habet juriſdictionem, non à Chriſto. Reſp. ſexcentis in locis vocari Vicarium Chriſti, deinde Vicarius, i. Succeſſor. Dices, Pontifex fit à Cardinalibus, non à Chriſto. Reſp. Cardinales deſignare quidem, ſeu eligere perſonam, quæ debet Pontificatum gerere; ſed eſt ipſemet Chriſtus, qui facit conjunctionem Pontificatus, & authoritatis ſupremæ cum perſona electa. Porrò Cardinales intelligi poſſunt, vel ut Clerici Eccleſiæ Romanæ, vel ut Procuratores omnium Eccleſiarum, & iſto modo eligunt Pontificem.

Si

Si dicatur, quod Phocas Imperator sanctionem fecerit declarantem, Ecclesiam Romanam esse caput omnium Ecclesiarum. Resp. id sanxisse, non instituendo, sed declarando, ob superbiam Patriarcharum Constantinop. qui se primos esse omnium Episcoporum jactabant. Dices, Paulus non minus fundavit Ecclesiam Romanam, quam Petrus, ergo Papa non est potiùs successor Petri, quàm Pauli: Negatur antecedens, quia Petrus primò Evangelium prædicavit Romæ, & Episcopatum hujus urbis tenuit, non Paulus, ut diximus in annotatione.

QUÆSTIO VI.

Utrùm Papa possit dici Episcopus universalis.

EX dictis in præcedenti quæstione constat, Episcopum Romanum habere authoritatem supremam super omnes Ecclesias, quod multimodè probavimus: hìc superadditas censuras Sorbonæ adversùs contrarium sentientes: Dum enim An. 1120. Marsilius de Padua sustinuit, Petrum non majorem aliis Apostolis habere potestatem, & proinde Pontificem non debere agnosci ut Christi Vicarium super omnem Ecclesiam, illico Universitas Parisiensis hunc errorem tanquam Hæreticum reprobavit, Censura hæc juxta Mauclerum inserta est lib. 1. Conclusionum Facultatis. Dum etiam Episcopus Spalatensis multas erroneas propositiones in lucem edidit contra Papam, quarum una erat, *Monarchia forma non fuit immediatè in Ecclesia à Christo*; hæc propositio declarata fuit *Hæretica*, *Schismaticha*, & *Ordinis Hierarchici subversiva*. Alia erat, *Planum est*

Papa-

Papatum esse totum fictitium, commentum hominum, à Christi institutione remotissimum. Hanc propositionem ut hereticam damnavit Theologia Parisiensis, sicut & alias ejusdem farinæ, ut habetur apud Duvalium tract. de Supr. Pontif. authoritate p. 1. q. 2. Hoc posito, quod nemo post tot argumenta possit dubitare de potestate universali Papæ; quæritur, utrùm possit dici Episcopus universalis.

CONCLUSIO.

POtest meritò Summus Pontifex vocari Universalis Episcopus. Concilium enim Chalcedonense hoc titulo appellabat Leonem Pontif. in Epistol. Theodori Diaconi Alexandrini quæ incipit, *Quæ à Reverendissimo*, & inserta est Act. 3. concilii, ubi habetur, *Universali Archiepiscopo, & Patriarcha Magnæ Romæ Leoni* In Latheran. concilio Episcopus Cesenensis apud Ravennates Papam Martinum universalem Episcopum nominat: *Beatissimo, & toto orbe Apostolico universali Pontifici Martino Papæ.* Tom. 2. conc. par. 2. In conc. Constantinop. 4. Patres Adriano. II. scribentes, sic loquuntur, *Summo Sacerdoti, ac universali Papæ, Sancta, & universalis Synodus Constantinopoli congregata, salutem in Domino.* Act. 10. & habetur to. 3. conc. Sect. 2. Eminentissimus Cardinalis de Aliaco Doctor Navarricus apud Mauclerum part. 4. lib. 8. c. 5. explicat sic hæc verba, *Pasce oves meas*, hoc est, *sis Pastor, & Prælatus generalis ad quem pertinet dispositio, & regimen ovium, & ovilis.* Tract. de origine potestatis Ecclesiast. loco cit.

Hoc cõfirmari potest ex cõciliis & Patribus asse-

asserentibus Papam esse Episcopum universalis Ecclesiæ; si enim Ecclesia, cui præest, est universalis, ipse dici debet Episcopus universalis. Quòd autem illud sit verum, patet ex Pontiano Pontifice, & Martyre, qui an. 232. ad omnes Christianos scribit his terminis. *Pontianus sanctæ, & universalis Ecclesiæ Episcopus*. Atanasius Epist. quæ incipit, *Domino sancto*, scribat, *Beatissimo Marco universalis Ecclesiæ Papæ*. Hanc dignitatem assumebat Epist. 2. *Sixtus Ecclesiæ universalis Ecclesiæ Episcopus*. Victor Pontifex factus ann. 194. se nominabat Archiepiscopum Ecclesiæ Romanæ, & universalis. In Conc. Remensis an. 1049. sub Papa Leone IX. declaratum est, quòd solus Romanæ Sedis Pontifex universalis Ecclesiæ primus esset.

Idem sentiunt Doctores Parisini, teste decreto, quod 1. Dec. an. 1554. emiserunt in Collegio Sorbonæ, ubi examinantes Bullam Pauli III. datam an. 1543. & Julii tertii datam 1550. in favorem Societatis Jesu: sic pronunciant, *Omnes, & singuli Magistri nostri palam apertoque ore professi sunt, nihil se adversùs summorum Pontificum authoritatem aut decernere, aut moliri*. Et infrà: *Ipsum Romanum Pontificem, ut summum, & universalem Jesu Christi Vicarium, & universalem Ecclesiæ Pastorem, cui plenitudo potestatis à Christo data sit*, &c. *fideliter, & libenter agnoscunt, ac confitentur*. Apud Mauclerum de Monarchia Ecclesiastica Par. 3. l. 8. c. 6.

Obiicies, Joannem Patriarcham Constantinopolitanum olim damnatum fuisse, quia utebatur illo vocabulo Episcopi universalis: unde D. Greg. Epist. 2. ad Mauritium Augustum, quæ incipit, *Piissimus*, ait, *Omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibimet*

de-

dementer arrogatur ubi Gregorius insinuare prætendit, quod si unus Episcopus se Episcopum Universalem dicat; omnes alii non sunt Episcopi, sed Episcoporum Vicarii: Resp. ut hæc intelligantur duo esse advertenda: Primum, quòd Ecclesia Constantinopolitana in ortu suo erat tantùm simplex parochia in Diœcesi Heracleæ, 2. notat Scipio Duplex, in vita Clotarii II. loquendo de statu Ecclesiæ an. 590. posteà in Episcopatum erecta, tandem facta est Ecclesia Patriarchalis secunda, ut urbs illa, in qua residebant Imperatores magis honoraretur. In Const. conc. an. 381. absentibus Legatis canonem tertium inseruerunt Græci, qui habebat: *Constantinopolitanæ civitatis Episcopus habet honorem primatus post Romanum Episcopum*, ut faverent huic Patriarchæ in præjudicium Patriarcharum Alexandriæ, & Antiochiæ; Sed hæc nova dignitas semper illi contestata fuit usque post annum quingentesimum, quo tempore Summus Pontifex ei concessit secundi Patriarchatus eminentiam, ad supplicationem Justiniani Imperatoris. Tandem hac parochia Patriarchali facta, Patriarcharum ambitio eo devenit, ut Joannes Joinnator dictus, sub Pontificatu Pelagii secundi præsumpserit, in consulto Papa. Concilium congregare ex omnibus Episcopis Orientalibus, in quo voluit nominari *Episcopus universalis*. In illum ergo agit D. Gregorius, dum lib. 4. Epist. 38. *Eo tempore*, dicit, *quo indignum te esse fatebaris, ut Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus: ut eis, despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari*: Ex quo patet, nomen *Episcopi universalis* interdici tantùm illi Patriarchæ, non verò Summo Pontifici.

Notandum secundò, nomen *Oecumenici* duplicem habere significationem ut notat Eminentissimus Cardinalis Petronius in Replica ad Regem majoris Britanniæ lib. 1 c. 34. In significatione grammaticali, idem est, se *solus*, ita quòd dicere, Papam esse Episcopum Universalem, seu Oecumenicum (hæc enim duo verba idem sonant) asserere sit, Papam esse solùm Episcopum, quòd falsissimum est: Unde D. Gregorius in hoc sensu nolebat vocari Episcopus Universalis, & dicebat Eulogio Patriarchæ Alexandriæ, qui eum Episcopum Universalem vocabat, *Si vestra sanctitas me Episcopum universalem nominet, negat se esse Episcopum* lib. 7. Epist. 30. quæ incipit: *Communis filius*. Rationem addit libro 4. Epist. 36. *Deum prædicatur. Si unus sit Episcopus Universalis, omnes alii sunt Episcopi.* In isto sensu ergo non dicimus, Papa esse Universalem Episcopum; sed nomen œcumenici, & Universalis ex præcitato Petronio habet alium sensum translatum, & metaphoricum, per quem significat Episcopum super alios intendentem, & sic quia Papa authoritatem super alios habet Episcopos, & super omnes Ecclesias, pro quibus potest leges condere, Episcopos illam delinquentes deponere, ipsos restituere, & similes actus authoritatis exercere, consequenter cum Patribus citatis, & conciliis allegatis in probatione nostræ conclusionis, possumus non immeritò vocare Papam, Episcopum universalem: & hoc solum, ni fallor, debet opiniones conciliare. Nec dicatur consequenter Episcopos esse tantùm Vicarios Papæ: hoc enim falsum est, quia Episcopi tales sunt insolidum in sua Diæcesi, ut Papa in tota Ecclesia, sed

tam

tantùm inferri potest, quod Papa sit superioris ordinis.

Quæres primo, utrùm Summus Pontifex possit deponere Episcopos, dum se sui muneris indignos reddunt. Hæc quæstiuncula, sicut & sequentes, confirmabunt authoritatem Papæ super omnes Episcopos, Resp. ergo ad eum affirmativè, si enim status Ecclesiæ sit Monarchicus, ipsius Monarcha debet habere universalem authoritatem super omnia membra ejus, sive sint Patriarchæ, sive Primates, aut Episcopi, & sic potest illos corrigere, si delinquant, & nisi resipiscant, illos deponere. Quod confirmatur ex eo, quòd Nicolaus I. in Epistola ad Michaelem, commemorat octo Patriarchas Constantinopolitanos, quos Romani Pontifices deposuerunt, inter quos fuit Anthinus, quem Agapetus Papa deposuit, non obstantibus minis Imperatricis, & loco ejus Menam instituit; sic Liberatus scribit in Breviario c. 21. & Zonaras in Vita Justiniani. Damasus etiam Papa deposuit Flavianum Patriarcham Antiochenum, contra voluntatem Theodosii Imperat. sic Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 23. Sixtus I. Polychronium Patriarcham Jerosolymit. deposuit, mediante S. Leone Archidiacono, qui fuit postea Summus Pontifex, & quem ob misit Papa Hierosolymam. Hoc habetur in actis Sixti I. quæ habentur Tomo 1. Conciliorum. D. Leo denique Papa creatus, per suos Legatos Pascasium, Lucentium, Bonifacium, & Dioscorum Alexandrino Patriarchatu privavit. Ex quo infertur, quòd si Pontifices detruserint sua sede Patriarchas, à fortiori idem facere possunt respectu aliorum Prælatorum, ut videre est in objectione 2. 3.

Quæres

Quæres 2. Utrùm Summus Pontifex poſſit in ſuas dignitates reſtituere Epiſcopos anteà depoſitos. Affirmativam reſponſionem dictat ratio, & confirmat uſus. Ex ratione ſiquidem colligitur, quòd ſi Papa deponere valeat Epiſcopos, poteſt etiam illos in ſua jura reſtituere, quæ poteſtas non per Eccleſiam data eſt Pontifici, ſed per Chriſtum, ex S. Anacleto, *Epiſcoporum, vel majorum judicia, ad ſedem Apoſtolicam, ſi appellatum fuerit, referantur; quoniam Apoſtoli hoc ſtatuerunt juſſu Salvatoris* Hoc habetur Ep. 1. *Anacletus ſervus Chriſti Jeſu.* Hoc comprobat uſus, nam Julius I. Athanaſium, Alexandrinum, Paulum Conſtantinop. & Marcellum Ancyranum Epiſcopos à Synodo Orientali depoſitos reſtituit, ex Gelaſio in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, & Sozomeno lib. 3 cap. 7. Theodoretus etiam à 2. Synodo Epheſina ejectus per Leonem reſtituitur, ut habetur in Concilio Chalcedonenſi Act. 1. *Ingrediatur & Reverendiſſimus Epiſcopus Theodoretus, ut ſit particeps Synodi, quia reſtituit ei Epiſcopatum ſanctiſſimus Archiepiſcopus Leo.* Cùm D. Joannes Chryſoſtomus damnatus fuiſſet in Concilio 56. Epiſcoporum Chalcedone congregatorum, præſide Theophilo Alexandrino Patriarcha, & Chryſoſtomi adverſario, ad Innocentium I. appellavit, à quo in ſuam ſedem Conſtantinopol. reſtitutus eſt, ſic Sozomenus lib. 8. c. 26. qui ſi dicat Chryſoſtomum appellaſſe ad Concilium generale, antequam appellaſſet ad Pontificem, hoc volebat facere, non ut judicaret de ſua cauſa Concilium definitivè, ſed ut ſuam innocentiam coram tota Eccleſia manifeſtaret, & confunderet Theophilum Alexandrinum ſuum adverſarium. S. Leo Celidonium in ſua

ſede,

sede, à qua ejectus fuerat per Archiepiscopum Arelatensem, restituit; sic etiam permisit Episcopis Africæ, ut in sua jura Donatum, qui hæresim Novatianorum abjurarat, restituerent, modo suam fidei confessionem mitteret. Concilium Trecense in nostra Gallia sub Joanne VIII. celebratum Anno 878. sic Pontificem, qui excommunicaverat Formosum Episcopum Portuensem, & aliquos alios, alloquitur. *Quos excommunicastis, excommunicatos tenemus, quos ab Ecclesia ejecistis, eiicimus, & quos regulariter facientes vestra authoritas receperit, recipimus*, apud Aimonium lib. 5. c. 37. Obiiciunt Adversarii concilium Milevitanum, ubi Can 23. Presbyteris, & Clericis inhibetur, ne Romam appellent, sed ad suos Episcopos, & concilia Africæ recurrant. Resp. hoc concilium ideò tantùm determinasse, ad impediendos abusus appellationum ad Summum Pontificem; pro minimula enim pœna à suis Episcopis inflicta Clerici ad Romam appellabant: Mens verò concilii non fuit, impedire absolutè tales appellationes; aliàs quare concilia Milevitanum, & Carthaginense Romam remisissent Pelagium, & Celestium inferiores Clericos, hæresi notatos? Quare Summum Pontificem rogaverunt, ut sua decreta, confirmaret; Quare etiam mortuo Innocentio, ad Successorem suum Zosimum miserunt sua decreta, ut illa confirmaret, si prohibitum esset causas evocare ad Roman. Pontificem? Dicendum ergo est, in Conciliis Milevitano, & Carthaginensi damnatos fuisse abusus appellationum, non appellationes in se, quæ semper fuerunt in usu. Per omnia supradicta solutio affirmativa traditur illis, qui quærunt an Episcopi

copi gravati possint appellare ad Summum Pontificem.

Quæres 3. an Pontifex habeat authoritatem condendi leges, dispensandi, & puniendi per censuras. Quandoquidem hæc omnia sunt actus jurisdictionis supremæ, quam habet Summus Pontifex super omnia membra Ecclesiæ, ut probavimus, consequenter affirmativa est responsio nostra; unde dico primò, Summum Pontificem revera condere leges q ç totam Ecclesiam obligant; nam postquam S. Leo Epistolam primam scripsit ad Episcopos Campaniæ, Piceni, Tusciæ, & universas Provincias, tandem Epist. ultima ita loquitur: *Hac admonitio nostra denunciat, quod si quis Fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tentaverit, & prohibita ausus fuerit admittere, à suo se noverit officio semovendum.* Hilarium Papam in concilio Romano præsidentem citat Bellarminus, sic loquentem, *Nulli fas sit sine status sui periculo, Apostolica sedis decreta temerare.* Resp. 2 cum eodem Bellarmino, Summum Pontificem posse in jure Canonico dispensare, modò absit scandalum, ut diximus in objectione 1. q. 3. Sic Gelasius Papa in Epist. 1. *Necessaria rerum dispositione, & sancta Sedis moderamine convenimur, sit Canonum paternorum decreta librare, & prædecessorum nostrorum præcepta metiri: ut quæ præsentium temporum necessitas relaxanda deposcit: adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, modere-mur*, & ibi revera in multis dispensat. Gregorius etiam lib. 12. Epistol. 31. dicit Felici Episcopo Siciliæ se dispensare cum Angelis in gradibus matrimonii prohibitis, & ipsemet dispensat cum Episcopis Siciliæ, ut semel tantùm in anno concilium celebrent,

brent, contra Canonem 5. Concilii primi generalis. Resp 3. quòd nedum Papæ sibi aliquos casus reservent, de quibus non possunt ordinariè absolvere Episcopi, & quasdam censuras; sed etiam ipsimet in toto Orbe Catholico quaslibet personas, sive Ecclesiasticas, sive Laicas ligare possint censuris: salvæ tamen, & incolumes maneant immunitates Ecclesiæ Gallicanæ. Leo Imperator Græcus à Greg. 3. excommunicatus est ex Zonara in vita Leonis Isauri, Nicolaus I. excommunicatus Episcopos Colonienſem, & Trevirenſem ex Sigeberto, in Chronico Anno 872 Cùm denique Pius primus decreviſſet, ut Pascha non celebraretur cum Judæis decima quarta Martii, sed Dominica sequente, & Asiani acquiescere nollent, Victor primus Papa illos excommunicavit Anno Domini 390. sic Eusebius lib. 5. hist. c. 34.

Quæres 4. Utrùm Summus Pontifex possit mittere suos legatos ad exercendam jurisdictionem Papalem in totum orbem Christianum. Resp. hoc satis in usu esse, ut constet ad hoc se extendere authoritatem Papæ: Liberius enim ab elapsis mille trecentis annis in Orientem misit pro legatis Episcopos Vercellenſem, & Clarienſem, ut in suam sedem aliquos Orientales Episcopos restituerent, & in sua legatione Concilia celebrarunt, reconciliarunt Episcopos pœnitentes, & alios jurisdictionis exercuerunt actus, ut refert Baronius an. 362. D. Leo legatum misit Lucianum Episcopum Constantinopolim, ut ipse scribit ad Pulcheriam Augustam Epist. 55 *Sanctis, & Deo placitis*. Papa Simplicius audiens Acacium Constantinopolitanum fortiter restitisse Imperatori Basilio in hæresim Eutychianam lapso, illum constituit

suum

suum Legatum, ut ad pæni entiam reciperet Episcopos Asianos, qui litteris Imperatoris consenserant, Epist. 17 *Moramur pariter, & dolemus*, Papa Symmachus potestatem concessit circiter annum 496. sancto Cæsario Arelatensi Archiepiscopo Pallium ferendi, & ipsum suum legatum instituit super omnes Galliæ Ecclesias; Epist. 6. *Dilectissimo fratri Cæsario*. Pelagius etiam primus Epist. 6. *Majorum nostrorum*. Sabaudium Arelatensem Episcopum, suum Vicarium instituit super universam Galliam, his verbis. *Fraternitati tuæ curas injungimus, ut sedis nostræ Vicarius institutus, ad instar nostrorum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas; & quidquid gubernationem, vel dispensationem Ecclesiastici status concernit, servatis Patrum regulis, dispenses*: Quis ergo dicere ausus fuerit Papam non posse per se, aut per alios, actus jurisdictionis exercere in Diœcesibus singulis, maximè, cùm à duobus annis legatum habuerimus in Gallia Eminentissimum Cardinalem Ducem Vindocinensem, & aliquot præcedentibus annis Eminentissimum Cardinalem Chigi, quorum authoritas se extendebat ad visitanda; sive per se sive per viros probatos virtute, & sufficientia Ecclesias Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, Parochiales, & alias, sicut continetur pag. 3. de potestatibus hujusce Legati. Parisiis, apud Alexandrum *Lesse in* 11. Julii, anno 1664. Ratio nostræ conclusionis desumi potest ex Conc. Roman. sub Gregorio VII. *contra simoniacos*, cap. 23. *Liquidò enim demonstratur, quod quilibet Episcopus non habet super gregem sibi commissum tantam potestatem, quantam Præsul Apostolicus*. Sic Almainus Theologus Parisiensis

Tract. de Supr. potest. Eccles. His addi potest, quòd sicut Episcopi jurisdictionem suam exercere valent in Ecclesiis Parochialibus, sive per se, sive per deputatos, instituendo in illis Prædicatores, & Confessores, etiam inconsultis Parochis; quia scilicet subsunt jurisdictioni Prælati; ob hanc rationem Summus Pontifex, supremam habens authoritatem in omnes orbis Christiani Ecclesias, ad quamlibet potest Legatos mittere, quoslibet actus jurisdictionis exercere valentes, juxta tenorem legationis suæ.

QUÆSTIO VII.

Utrùm à Summo Pontifice deriventur immediatè potestas Episcoporum.

DE potestate Ordinis non est controversia, quia consistit in Caractere, & Caracter habetur per Sacramentum Ordinationis; Sacramentum verò est à Christo, & proinde potestas Ordinis est ab illo. Quæstio ergo tantùm est de authoritate jurisdictionis, à quo communicetur immediatè in Episcopos, apud quos actu residet, utrùm scilicet à Papa sit, qui illam communicet immediatè Episcopis; an verò à Christo illis immediatè conferatur; ita quod Christus instituens statum Episcopalem, qui est de Jure divino, jusserit Petro, & successoribus consecrare tot Episcopos, quos necessarii viderentur ad gubernandos Fideles, & eo tunc ipsis consecratis, transiret ad illos Episcopalis jurisdictio ex Christi institutione: Hanc quæstionem positivè resolvere non intendimus, ob maximam controversiam, quæ est inter antiquos Doctores Facultatis Parisienses, & re-

cen-

centiores, qui censura notarunt defensorem authoritatis Apostolicæ, nomine Vernantium, dum dicit pagina 49. Episcopos suam jurisdictionem à Summo Pontifice recipere, ubi antiquiores Theologi, & multi ex recentioribus contrarium sustinent; clavem scilicet Ordinis esse in Episcopis à Deo, clavem verò jurisdictionis esse à Christo mediatè, & immediatè à Summo Pontifice: Opinionem utramque cum suis fundamentis afferre conabimur: sed ut melius unusquisque ad alterutram opinionem se determinet.

Notandum primò, potestatem Ecclesiasticam tùm Ordinis, tùm jurisdictionis in se consideratam, & ut abstrahit à subjecto, esse à Deo immediatè: nam utraque potestas est supernaturalis, & nihil supernaturale ab homine esse potest. Not. 2. Statum Episcopalem à Christo Domino esse institutum, ut patet ex 2. ad Ephes. & 1. ad Cor. 12. ubi dicitur. Deum Pastores, & Doctores Ecclesiæ suæ providisse usque ad consummationem sæculorum; quod intelligitur maximè de Episcopis; unde etiam Act. 20. habetur: *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam*. Not. 3. Christum non solùm Petrum elegisse, & alios Apostolos, quibus potestatem dedit prædicandi, baptizandi ligandique, & solvendi, tum ante Passionem suam, tùm post illam. Not. 4. illius Apostolicæ potestatis limites nullos esse à Christo præscriptos, sed in universum orbem fuisse extensam; Matth. ult. *Docete omnes gentes*: & Marci ultimo, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Unde in qualibet orbis parte Ecclesias erigere poterant, & illis præficere Pastores. Hoc utique necessarium erat, quia ad unum non faciliter recurritur,

& Evangelii prædicatio retardata fuisset, si ex omnibus provinciis ubi erant Ecclesiæ erigendæ, & Pastores instituendi, recurri debuisset ad Petrum. Not. 5. hanc potestatem in Petrō fuisse ordinariam, postquam institutus fuit in caput Ecclesiæ, Domino illi dicente, *Pasce oves meas* paulò ante Ascensionem. Joan. 21. transit consequenter ad successores; in cæteris verò Apostolis fuit extraordinaria, unde successores non habuerunt, aliter isti haberent jurisdictionem in universam Ecclesiam, ut Apostoli, quod falsum est, possent scribere libros Canonicos, haberent donum linguarum, & miraculorum, mittere valerent prædicatores ad missionem infidelium, &c.

Notandum 2. quòd constituta Ecclesiæ forma, Apostoli non passim usi fuerint sua authoritate extraordinaria; immò remansit solum ordinaria in Petro, maximè post Ascensionem Christi, & cæteri Apostoli cæperunt habere authoritatem Episcopalem limitatam ad Ecclesias, sive omnes fuerint ordinati ante Ascensionem Christi, per ipsum scilicet; sive tantùm aliqui, & alii per Petrum, sive omnes denique à Petro, & nullus à Christo, instituti fuerint, ut vult Joannes Antonius Cardinalis Alexandrinus, super caput *in nono* dist 21. *Petrus electus fuit solus Episcopus à Christo ante Ascensionem, & Petrus solus Episcopus fecit Joannem Episcopum; deinde Petrus cum Joanne consecrante Episcopo, Jacobum Zebedei Episcopum fecit.* Hoc idem Cardinalis Turrecremata fusè et tanquam opinionibus lib. 2. suæ Summæ Ecclesiasticæ c. 22 ubi postquam numeravit præfatas Ordinationes, addit. *Tunc Petrus ordinavit, quòd deinceps non ordinaretur Episcopus, nisi à tri-*

à tribus Episcopis. Mauclerus cum suis octo approbatoribus, quorum nomina recensebuntur in qu. 9. sequenti idem sentit p. 4. l. 4. c. 10. Hìc Mauclerus dicit. Patres illos benignè esse explicandos, dum asserunt, omnes Episcopos fuisse à Christo ordinatos; hoc est non immediatè, sed per Petrum cui commisit Christus talem ordinationem ob necessitatem Ecclesiæ, ibidem.

CONCLUSIO PRIMA.

Dico, probabilem esse opinionem eorum, qui dicunt potestatem Episcopalem esse à Christo immediatè, & Papam conferre tantùm designationem personæ, & materiæ, hoc est, talem personam designari tanquam Episcopum ad talem Ecclesiam, & ad istos, & illos populos; & statim atque aliquis sic designatus est à Pontifice, illicò communicatur ipsi authoritas, quam Christus voluit anecti ordini Episcopali per se.

Probatur primò, quia sunt ministri Christi 2. Corinth. 3. non autem Summi Pontificis: Ergo à Christo debent habere potestatem. 2. Quia ordo Monarchicus Ecclesiæ exigit, ut sicut Monarcha Ecclesiæ habet jurisdictionem à Christo, sic etiam Episcopi, qui sunt illi subordinati, & Parochi, illam debent habere. 3. Quia hoc exigere videtur dignitas Episcopalis, quæ cùm sit à Christo, ita & ejus authoritas ab illa esse debet. 4. Quia censuram dixit Vernantia Facultas Parisiensis, eo quòd diceret, jurisdictionem Episcoporum esse immediatè à Summo Pontifice. 5. Quia objectiones contrariæ huic assertioni possunt solvi facilitèr, respondendo ad Doctores, qui dicerent v. g. jurisdictionem Episcoporum esse,

se, immediatè à Papa, hoc esse verum, quantùm ad designationem personæ, quæ eligitur à Papa in Episcopum, & quantùm ad designationem loci, idest Diæcesis v. g. Parisiensis, aut Lugdunensis, quæ etiam designatio est à Papa.

CONCLUSIO SECUNDA.

Dico 2. contrariam opinionem, quæ dicitur omnem jurisdictionem esse quidem mediatè à Christo, & immediatè à Summo Pontifice, esse etiam probabilem, maximè cùm nitatur authoritati Patrum & Doctorum Illustrissimorum, & antiquissimorum. Tertullianus enim in Scorp. contra Gnosticos, *si adhuc Cælum puras clausum, memento claves Dominus Petro, & per Petrum Ecclesiæ reliquisse*. Optatus Milevit. contra Parmenianum, *Beatus Petrus claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit*. Lib. 7. Notetur hoc verbum, *Solus*. Gregorius Nissenus, *Nihil falsi, aut mendacii scriptum est in Evangeliis, per Petrum Episcopis dedit claves cælestium bonorum*. Innocentius primus ad Episcopos Africæ in 3. conc. Carthagin. congregatos an. 404. sic scribit. *A Petro ipse Episcopatus, & tota hujus nominis authoritas emersit*. Epist. 24. *in requirendo*, & Epist. 91. inter Epist Aug. ult. notandum est, quòd Papa Episcopos alloquens, huic Epistolæ non restiterint. D. Leo Serm. 3. de Assumptione sua, *Gaudeo dilectissimi*, ait, *magnum, & mirabile Petro contributum suæ potentiæ tribuit dignationem ... quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid illis non negavit*. Conc. Rom. sub Greg. 7. c. 5. *Licèt præsul*

præsul Apostolicus curam suam in singulos Episcopos diviserit. Hæc omnia confirmant verba, quibus utitur Pontifex in creandis Episcopis, *Providemus Ecclesiæ tali de tali persona, & præficimus eum in patrem, & Pastorem, & Episcopum talis Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus, in nomine Patris, & Filii, & & Spiritus sancti Amen.*

Accedunt testimonia Doctorum D. Thomas l. 4. contra Gentes c. 76 *Dominus soli Petro promisit claves regni cœlorum, ut ostenderet, quòd potestas clavium erat per eum ad alios derivanda*. Gersonius Tract. de potest. Ecclesiast. consider. 10. *potestas Apostolica est formaliter, & subjectivè in solo Summo Pontifice*? Si est ergo formaliter in solo Summo Pontifice, potestas Episcoporum ab illo derivatur. Ipsemet libro de Statibus Ecclesiast. Titulo *de statu Prælatorum*. Consider. 3. *Status Episcopalis Prælationis habuit in Apostolis, & in successoribus usum suę Prælationis sub Papa Petro, & successoribus ejus, tanquam sub habente, vel habentibus plenitudinem formalem authoritatis*. In hoc apparet, quòd sicut Apostoli post Ascensionem Christi immediatè subjecti fuerunt Petro, ut conservaretur Monarchia Ecclesiæ, ita ut sine commissione ejus actus Hierarchicos non potuerint exercere, ut habet excellentissimus Doctor Henricus Kaltei[illegible]n: *Apostoli post gloriosam Christi Ascensionem, in prædicando, baptizando, & absolvendo fuerunt Summo Pontifici Petro immediatè subjecti*; ita etiam nunc Episcopi immediatè subjiciuntur Papæ, in quo est formalis potestas Episcopalis authoritatis, ut habet Gerson. Mauclerus cum approbatione oct[illegible] Doctor Paris. opinionem contrariam

non æstimat turam in fide, p. 2. l. 4. c. 8. lib. etiam 5. c. 1. dicit Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos non differre ordine, *sed jurisdictione à Romano Pontifice immediatè procedente*; Dom. Gamacheus post. quam dixit Tract. de Sacramento Ordinis c. 8. in margine. *Jurisdictio Episcopis non competit ratione characteris, sed beneficii*, quod confertur immediatè à Papa, addit; *Clarissimi Theologi sustinent, Episcopos habere potestatem characteris immediatè à Christo non tamen potestatem jurisdictionis, sed eam habent à Summo Pontifice*. Non est ergo hæc mens solius Gamachæi Professoris regii in Sorbo. na, & multorum Doctorum magistri, sed & plurium clarissimorum Theologorum. Duval. lius Tract. de sup. Roman. Pontif. potest. p. 1. q. 3. *Petrus accepit claves Ecclesiæ*. Et infrà, *quia ab illo in reliquos Ecclesiæ Pastores tanquam è fonte, capite, & radice erant derivanda*, Mirabiliter hoc dicit Illustrissimus Dominus de Raconis, licet Episcopus, Tract. de Summ. authorit. Petri c. 5. Ratiocinat. 2. §. 6. Sic & Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis cap. 66. super Evangelia.

Sectatoribus hujus opinionis non desunt rationes. Prima desumitur ex Num. 11. ubi cùm solus Moyses non posset totum regere populum, Deus jussit adesse septuaginta seniores, *& auferens de spiritu Moysis: dedit illis, ut unà cum Moyse populum regerent*; ubi per istam ablationem spiritus à Moyse non intelligitur ex Augus. q. 12. in librum Numer. diminutio spiritus Moysi, sed derivatio virtutis seniorum. Secunda accipitur ex statu Monarchico Ecclesiæ, ubi omnis authoritas est in uno, à quo in alios derivatur. Tertiam allegant ex Cypriano lib.

lib. de unitate Ecclesiæ, ubi sedem Petri comparat radici, capiti, fonti, soli, à quibus derivantur fructus spiritus, rivuli, & radii. Ad primam rationem contrariæ sententiæ respondent, quòd Prælati non minùs sint ministri Christi, a quo habent clavem Ordinis immediatè, & jurisdictionis mediatè. Ad secundum dicunt meliùs conservari statum Monarchicum in hanc opinionem, ubi omnis potestas est à principe. Tertiam solvunt, dicendo, non derogari dignitati Sacerdotii, cùm Christus sit author illius tùm secundum caracterem immediate: tùm secundùm jurisdictionem mediatè: quod Deus sic voluit, ut sicut ipse tanquam Monarcha authoritatem dedit Apostolis, sic & Petrus tanquam caput Christo succedens daret eam Prælatis. Quantùm deniq; ad censuram doctrinalem Universitatis Parisiensis: respondent illam esse revocatam per Breve Alexandri VII. Summi Pontificis. Quòd si concilium Constantiense dicat Concil. generale habere immediatam à Deo potestatem. Respondet Duvallius: hoc esse verum tempore Schismatis ubi Papa est dubius: deinde, hoc proprie non definit, cùm non faciat de eo canonem.

QUÆSTIO VIII.

Utrùm in rebus fidei definiendis, & morum, Papa sit infallibilis.

IN duplici statu considerari potest Summus Pontifex; vel ut Doctor particularis, vel ut ex cathedra pronuntians. Dicitur autem pronuntiare ex cathedra, quando adjuncto cœtu solito Consiliariorum, precibus præmissis, & implorata Spiritus sancti gratia, ut

ſucceſſor Petri, & Chriſti Vicarius aliquod dogma credendum, vel præceptum aliquod obſervandum præcipit toti Eccleſiæ. Dicitur verò agere, ut Doctor particularis; quando in propria, & privata ſua perſona aliquid proponit, ut quando Bonifacius VIII. ſextum Decretalium edidit. Albertus Pighius contendit, Papam infallibiliter pronunciare, etiam ut eſt Doctor particularis; quia ſuccedit Petro, qui nunquam erravit poſt Chriſti orationem tam pro illo factam, quam pro ſucceſſoribus, Luc. 22. *Oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*: ſed quia non eſt neceſſe, ut Pontifex fruatur omnibus Petri privilegiis, quoniam non habet impeccabilitatem, Chariſmatum plenitudinem, & donum Linguarum: ideò Doctores Catholici ſentiunt communiter, Pontificem perſonaliter conſideratum errare poſſe, ex ignorantia ſcilicet, teſte Joanne XXII. qui ex Gerſonio, & Adriano VI. q. de confirmatione ſub finem, & aliis doctoribus cenſuit animas Beatorum non videre eſſentiam D. ante Reſurrectionem corporum in finali judicio. Non loquimur ergo de Papa, ut eſt primatus Doctor, ſed ut ex Cathedra pronuntiat. At

Notandum eſt primò, Pontificem ut Pontificem, etiam cum concilio generali, poſſe errare in Quæſtionibus Facti particularibus, quæ ad paucos pertinent, & qua dependent à relatione hominum v. g. an talis ſit promovendus ad Epiſcopatum, an talis ſit deponendus, an talis ſit bene Ordinatus. Unde aliquando excommunicatur qui non debent excommunicari, & abſolvitur qui abſolvi non debent, ut ideò Pontifex quidam dicebat: *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſta legis tramitem non*

onservavimus vestro, ac vestrorum judicio a volumus emendari. In quæstionibus m Facti universalibus, quæ totam Ecam respiciunt, ut sunt canonizatio San, m, Religionum approbatio, &c. erran potest, non enim est probabile, Spi, sanctum, qui jugiter assistit Ecclesiæ, e Pontificem in errorem labi, qui in totam Ecclesiam redundaret, si damnatos in inferis canonizaret aliquando, ut vult Vvicleffus Anglus Sacerdos, qui sustinet, Augustinum, Benedictum, & Bernardum propter suos institutos Ordines damnatos esse: Ipsum damnavit Constantiense Concilium sess. 8.

Notandum 2. quòd In confesso sit apud omnes, Pontificem cum Concilio generali errare non posse: quia tunc, tota Ecclesia congregatur, quæ in errorem non potest labi, juxta dictum Christi, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Certum est etiam, Pontificem ex Cathedra loquentem sine Concilio, semper esse reverenter audiendum, eique parendum, sive errare possit, sive non, ut volunt Almainus, & Gersonius: dicentes, quòd licèt aliquando errare possit, non est tamen dogmatizandum contra ipsius definitiones, nisi error illius esset ob. inò manifestus: Sed nostra difficultas est, an Summo Pontifici ex Cathedra loquenti ita sit annexa infallibilitas, ut nunquam errare possit, dum aliquid præcipit credendum, aut faciendum toti Ecclesiæ. Alii dicunt, non posse errare, modò pronunciet consilio aliquorum saltem Prælatorum: alii respondent reverà errare non posse, etiamsi solus definias. Fa-

cilè tamen conciliandi sunt, quia negare nolunt isti, quin teneatur Pontifex maturè procedere, & proinde ex consilio Doctorum, & Episcoporum; sed volunt infallibilitatem non procedere ex Consiliariis, sed ex solo Pontifice. Dum autem quæritur, an Pontifex erraret, si temerè definiret; utique authores respondent, hoc non posse fieri: Deus enim, qui promisit finem, nullo modo potest negare media, & sic perperam proponitur illa quæstio.

CONCLUSIO.

PRobabile est, Summum Pontificem esse in decretis fidei, & morum infallibilem modò ex cathedra loquatur: non quòd ullum Articulum Fidei facere valeat, sed quia infallibiliter determinare potest aliquid esse de Fide, vel non; aliquid esse faciendum, vel vitandum. Dixi, hoc probabile esse, nè post tot rumores inter excellentissimos viros, immò & Facultates integras exortos, temeritatis accusari videret, si assertivè pronuntiare attentaret ingenii mei tenuitas. Dixi etiam, modo pronuntiet ex Cathedra, quam distinctionem negant adversarii: quasi non esset maxima differentia inter præsidem Senatus supremi inter familiares de aliqua re colloquentem, & ipsummet throno judiciali assidentem, cùm sententiam ultimam dicit. Sic dicimus multùm differre Papam, cùm loquitur, ut Doctor privatus nomine suo, & cùm loquitur nomine Christi, præ[illegible] aliqui[illegible]æ, ut caput ejus. Primo modo [illegible] consideratus, nullam, ut diximus, infallibilitatem habet, benè autem secundo, nam Spiritus S. illi ju-

[illegible]iter

giter præsto est, impediens, ne Vicarius Christi in errorem labatur, & nè Ecclesia decipi possit.

Probatur primò ex Analogia Novi Testamenti cum Antiquo, ubi legimus, Summum Pontificem errare non potuisse, aliàs nimirum crudelis fuisset punitio lata, Deut. 17. ubi habetur, *Qui autem superioris nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat, morietur homo ille.* Deinde legimus, Caipham perditum hominem, non obstante rabie, qua in Christum furebat, prophetasse; Joan. enim 11. dixit. *Nescitis quicquam, oportet, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat: hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius prophetavit, quòd Jesus moriturus erat pro gente.* Quòd si atrocissimum crimen machinanti astitit Deus, à fortiori Summo Pontifici Ecclesiæ Romanæ in arduis rebus, quæ fidelium salutem concernunt, declarandis, non minùs astiturum credendum est.

Probatur secundò ex Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Si portæ inferi non possunt prævalere, nec in errorem inducere Ecclesiam, quæ fundatur super Petrum: Ergo nec ipse Petrus errare potest. Lucæ etiam 22. *Simon, Simon! ecce Sathanas expetivit vos, ut cribaret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, Petre! ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quatuor expositiones huic textui afferuntur. Primò dicitur, quòd Christus hìc oraverit pro tota Ecclesia, orando pro ejus capite, & non pro persona privata. Allienſis, Gerson, Almainus, & aliqui Doctores Parisini. Alii dicunt, Christum orasse tantùm pro Petro, ut perseveraret in gratia. Tertii asserunt

per

per contextus citatos Petrum esse quidem infallibilem ; non verò hoc colligi de successoribus ejus , de quibus non fit mentio . Quarti denique per hunc textum volunt concessum fuisse , ut nunquam caderet in fide , & nunquam ut Pontifex posset aliquid docere contra fidem . Et hæc est opinio , quam in conclusione diximus esse probabilem , & quæ talis patebit ex refutatione primarum expositionum .

Primò ergo verba Christi non intelliguntur , nisi de Persona Petri ; loquitur enim Christus de nomine proprio Petri , quod repetit dicens , *Simon* , *Simon* ; Deinde , semper utitur Christus pronomine secundæ personæ , *pro te* , *fides tua* , *& tu* , *fratres tuos* . Quod significat Christum impetrasse aliquid pro Petro . Tandem Dominus , qui cœperat loqui in plurali , *ecce Sathanas expetivit vos* . quare non eodem numero dixisset *pro vobis* ; si loquutus fuisset de tota Ecclesia per Apostolos repræsentata ? Porrò cum dicitur , *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos ?* hoc non potest intelligi , nisi de Petro ; cui ex officio competit confirmare Apostolos , & Episcopos , qui sunt fratres Petri , quorum illi scandalizati erant , dum à Christo in Cœna didicerunt unum ipsorum traditurum esse Christum , unde Cœna facta , hæc verba protulit .

Secunda explicatio horum verborum non est recipienda : quia loquitur Christus in oratione sua pro fide Petri , & non pro perseverantia in gratia , *Oravi* , *ut non deficiat fides tua* . Deinde : si orasset Christus pro perseverantia Petri in gra[illegible] multum profuisset oratio Christi , quoniam [illegible] Petrus Christum negando peccavit . Quantùm ad tertiam explicationem qua dicunt aliqui infallibi-

[illegible]

litatem fuisse quidem in Petro, sed non transiisse ad successores, contrarium docebimus in sequenti probatione, nunc tantùm asserentes verba Cyrilli Alexand. apud S. Th. contra errores Græcorum Opusc. 1. cap. 32. Tit. de Rom. Pontif. *Sicut Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ, & plenissimam potestatem, sic Petro, & successoribus plenissimè commisit*. Remanet ergo tantùm, quod quarta explicatio sit vera, qua dicimus, orationem Christi impetrasse Petro, ut non posset errare in Fide: nec proponere Ecclesiæ, cujus erat caput, aliquid credendum contra fidem. Quòd si dicatur, post orationem Christi Petrum negasse ipsum tempore Passionis, sic non pro Petro sed pro Ecclesia orasse Christum: Resp. Petrum pro tunc Fidem non perdidisse, neque secundùm habitum, quo inclinamur ad credendum ea, quæ sunt revelata, neque secundùm actum internum, quo revelatis assensum præbemus: nihil enim contra fidem credidit Petrus in mente sua; sed perdidit tantum actum exteriorem, & secundarium Fidei, quia scilicet non professus est ore Fidem, quam in corde habebat. Unde licèt graviter peccaverit, & actum exterioris infidelitatis exercuerit propriè tamen non erravit in Fide; cùm error in fide sit actus intellectus, quo quis sibi falsum persuadet. Hanc distinctionem afferunt Patres Chrysostomus enim hom. 83. in Matth. ait, *Non dixit, non negabis, sed ut non deficiat fides tua: cura enim ipsius factum est, ne omnino fides Petri evanesceret*. Theophilatus etiam in c. 22. Lucæ in [illegible]: *Quamvis brevi tempore con[illegible]dus sis, habes recondita semina Fidei: etiam si folia abjeceris Spiritus invadentis, radix tamen vivet, & non*

defi-

deficiet fides tua. Unde diximus per orationem Christi Petrus habuisse duo privilegia, primum, quo non posset ipsa errare; aliud, quo non posset aliquid contra fidem proponere. Utrumque probat Bellarminus, primum ex Chrys. & Theophilacto citatis, quibus additur Augustinus lib. de Corrept. & gratia c. 8. *Quando rogavit, ut non deficeret fides ejus, rogavit, ut haberet in fide liberrimam, fortissimam perseverantissimam voluntatem*. Secundum probant testimonia Bulgariæ Archiepiscopi Theophilacti, dum dicit in cap. 22. Lucæ. *Quia te habeo ut principem discipulorum, confirma cæteros: hoc enim te decet, qui post me Petra es Ecclesiæ, & fundamentum*: non confirmaret autem, si proponeret aliquid contra fidem; & Leonis Serm. 3. de Assumptione sua. *Firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per ipsum cæteris Apostolis confertur*.

Probatur tertiò infallibilitas Pontificum; quia requiritur infallibilitas in illo, qui determinat aliquid esse de fide, & aliquid esse hæreticum, aliàs fidei posset falsum subesse; atqui Pontifices Romani sine Concilio damnarunt multas hæreses, & contrarium proinde determinarunt esse de Fide; nam ante Concilium Nicænum, quod fuit primum generale, celebratum ann. 325. multæ hæreses damnatæ fuerunt à solis Summis Pontificibus, & illicò tota Ecclesia illas respuere cœpit, quòd denotat, à primitiva Ecclesia Papam fuisse æstimatum infallibilem; si enim opiniones à Papa damnatæ non essent infallibiliter damnatæ, donec accederet determinatio Concilii, ante Conc. Nicænum licitum fuisset assentiri opinionibus hæreticorum à Papa damnatorum, quales

fuit

fuerunt Cerdon, Marcion, Valentinus, Ophitæ, Cajani, & reliqui; tot enim hæreſes à ſolis Summis Pontificibus damnatæ ſunt, ut Auguſt. lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum dicat in fine libri contra Pelagium, & ſectarios Concilium expetentes, *quaſi nulla hæreſis alliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit, cùm potiùs rariſſima inveniantur, propter quas damnandas talis neceſſitas extiterit*. Idem Auguſtinus volens indicare, Papam eſſe judicem ſupremum, & infallibilem in materia fidei, loquens de Hæreſi Pelagiana ſic loquitur, *Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam inde etiam reſcripta venerunt, cauſa finita eſt, utinam error finiatur*. Sic Optatus Milevitanus convincit Donatiſtas hac ratione, *Judicium Melchiadis Papæ ſententia clauſum eſt*: Non eſſet autem clauſum, ſi infallibiliter non pronuntiaret Papa, Gelaſius videns Epiſcopum Conſtant. Euphemium, nolentem delere Acacium prædeceſſorem ſuum è tabulis ſacris, quia damnatus non fuerat à Concilio, ſed tantùm à Felice III. ſcribit Epiſtolam ad Epiſcopos Dardaniæ, ubi rationibus probat, ad Papam pertinere hæreſeon, & hæreticorum condemnationem; *Nec prætermittimus, quod Apoſtolica ſedes, nulla exiſtente Synodo, habuerit facultatem damnandi, quos oportuit*. Epiſtola incipit, *Valde mirati ſumus*.

Probatur 4. ex Conciliis; Nicænum enim poſtquam Arium damnavit, petit à S. Silveſtro, ut ſuum judicium confirmet, Epiſt. *Quoniam omnis corrobora*. In Conc. Chalc. S. Leo Epiſt. ad Flavian. *Lectis dilectionis tuæ litteris*, decernit quæ credenda ſunt contra doctrinam Eutychetis, quam condemnat, & illicò omnes Patres pluſquam quingenti

genti numero exclamaverunt, *Nos ita credimus, sicut Leo, ita credimus, nostrorum nullus dubitat*, in fine actionis secundæ, & in 3. In 6. Synodo generali nempe Constantinop. Patres ejiciunt è Concilio Macharium Patriarcham Antiochenum, quia nolebat se submittere condemnationi Monothelitarum ab Agathone damnatorum, unam tantum voluntatem admittentium, & unicam operationem in Christo. Actione 8. & posteà adhuc dimissus fuit ad Papæ judicium, ut severiùs puniretur. In 7. Concilio generali Nicæno II. Patres se submittunt litteris Adriani Pontif. super cultum imaginum; dùm enim Legati Apostolici interrogant Patres, *Dicat nobis Sancta Synodus, si admittat litteras S. Papæ senioris Romæ, an non?* sancta Synodus dixit; *Sequimur, suscipimus, ac admittimus*. Act 2. Sic & alia Concilia Græca, & Latina. Sed quid his opus est? cum habeatur ex Concil. Hierosolym. ubi cùm orta fuit disputatio, an Gentiles, qui ad fidem Christi transibant, deberent subjici observationibus Mosaycis, Petrus definitivè pronuntiavit illos non esse subjiciendos Circumcisioni, & *tacuit omnis multitudo*, Act. 15. ubi Hieron. dicit, *in sententiam ipsius Petri Jacobus Apostolus, qui erat hujus urbis Episcopus, & omnes simul Presbyteri transierunt*. Epist. 11. inter Epist. Aug. in Conc. Florentino Sess. 7. terminata fuit per Julianum Cardinalem, *quoties de fide aliqua oritur disputatio, Rom. Pontif. tenetur illam explicare; atque illo docente, omnes Synodi, & universalis Ecclesia debet hujusmodi veritatem sequi*, & hoc dictum [illegible] (scilicet Agathonis) approbatum in 6. Synodo.

Probatur 1. ex Episcopis Galliæ, S. Exuperius Tolosanus Archiepiscopus contra hæ-

resim

resim Vigilantii petiit ab Innocentio I. quid credendum, & docendum esset; & juxta responsum Vicarii Christi suæ responsioni firmiter, & unicè adhæsit. Epistola Papæ, *Consulenti tibi, fratri charissimè!* reperitur I. Tom. Conc. D Hilarius, & D. Prosper Romam accedunt, declaraturi Papæ afflictionem Ecclesiæ Gallicanæ ob hæresim Semipelagianam; Papa non congregat Concilium generale, sed Episcopis Galliæ significat, quid credendum esset in hac materia, & illicò determinationem Romanam sequuntur, & cogunt hæreticos cedere judicio Apostolico; Epistola incipit, *Apostolici verbi præcepta sunt*. S. Avitus Viennensis Archiepiscopus duos Clericos Romam mittit, nomine totius provinciæ, super aliquos errores, ut sciant ab Hormisda Pontifice, quid credendum esset; & hæc sunt verba Archiepiscopi, *Quæsumus ergo, ut quid filiis vestris fratribus meis* (Gallicanis) *si consulat, responderi debeamus, instruatis*, Tandem nuperrimè Galliæ Episcopi nu. 83. super propositiones Jansenii miserunt ad Innocent. X. se absolutè submittentes judicio ejus, & illi dicentes, *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre, solemnis Ecclesiæ mos est, quia fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat*: & postquam illas propositiones tanquam hæreticas condemnavit in Bulla, quæ incipit, *Cùm occasione impressionis*, ultima die Maii an. 1653. hæc Bulla oblata fuit universo Galliæ Clero, & magna cum lætitia recepta à Prælatis, & in suo cœtu Parisiis publicata! Nonne hoc indicat Prælatorum Galliæ mentem esse, quòd solus Pontifex hæreticos possit judicare, & condemnare hæreticos, & consequenter, quòd sit supremus judex in materia fidei.

Pro-

Probatur ultimò ex Doctoribus Parisiensibus, ex quorum multitudine quatuor assumemus tantùm. Mauclerus in primis lib. 4. de Monarchia Ecclesiast. Cap. 4. titulum integrum proponit, ubi probat, quòd Romano Pontifici supremum judicium determinandi ea quæ sunt de Fide debetur. Et infrà. *Quòd si in condemnatione hæreticorum sententia generalis Concilii esset semper expectanda, nec Romani Pontificis judicio in eorum reprobatione, & multa sisteretur, hæc expectatio non tantùm inanis, sed sæpissimè perniciosa Ecclesiæ foret.* Approbatio octo Doctorum Parisiensium, qui huic libro subscripserunt, opinionem Maucleri probabilissimam efficiunt. Illi sunt Domini *De Saussay*; nunc Tullienſis Episcopus, Isambertus Professor Regius, Frogerius sancti Nicolai de Cardineto Parochus, Ægidius à sancto Amore apud Patres Dominicanos Prior, Chaironius *Houssier* S. Mederici rector, *Gilbaud* apud eosdem Dominicanos regens, & *Bandel* Dominus Andreas *Dunal* Tract. de Rom. Pontif. infallibilitate p. 2. q. 1. sic loquitur fol. 85. *Absolute certum est: Papam neque Fide, neque in moribus ex cathedra decernendis errare posse; statimque à sua electione canonica infallibilitatis privilegio à Christo donari.* Dominus *Beil* Propœnitentiarius Parisiensis tom. 1. Conciliorum Tract de Tripl. Verbo Dei, dum quærit, *An extra Concilia generalia nulla sit certa definitio in rebus fidei*: respondet, *cùm prima sæculæ sine conciliis exiterint*. Et infrà, *propterea melius censent alii à Christo provisum esse Ecclesiæ dum asserunt Summum Pontificem loquentem de rebus Fidei ex cathedra nec falli nec fallere*. Dominus *de Raconis* dum esset adhuc Baccalaureus, prælo mandavit librum respon-

den-

dentem Epistolæ quatuor Ministrorum Cha-
rentonensium, per duos doctores Universita-
tis approbatum ; Lambertum scilicet, &
Loppem, quo Ministris probat Christum soli
Petro, & non Ecclesiæ loquutum fuisse,
dum diceret, *Rogavi pro te, Petre, Ut non*
deficiat fides tua. His addi potest D. Th. 2. 2.
art. 10. *Ad Summum Pontificem pertinet fi-*
naliter determinare ea, quæ sunt Fidei, uti
ab omnibus inconcussa fide teneantur.

Obiicies primò ex 1. ad Timot. 3. *Om-*
nis Pontifex ex hominibus assumptus circumdatus
est infirmitate. Ergo infallibilitate non gaudet.
Resp. ut homo, & privata persona, circum-
datus est infirmitate, sicque falli, & fallere
potest ; non verò quatenùs perpetua Spiritus
S. assistentia munitur. Dices, ex Can. *si Pa-*
pa, dist 40. Papam non posse judicari, nisi
sit hæreticus : ergo potest in hæresim labi,
& sic non est infallibilis. Resp. Canones lo-
qui de Papa ut summo Pontifice, sed de Pa-
pa ut privata persona, & adhuc non dicunt,
quod possit esset hæreticus (hoc enim non
est omnino certum) ideò utuntur cautela,
volentes non posse judicare, nisi fieret hæ-
reticus, non decidendo, an possit esse, nec
ne ; sed de hoc posteà. Dices. Ergo inutilia
sunt Concilia, si Papa sine Concilio est infalli-
bilis. Aliquando multas utilitates Concilio-
rum afferemus, dicturi tantum in præsenti Con-
cilia esse necessaria, ut finis controversiis im-
ponatur, & ut decreta fidei meliùs observentur,
quilibet enim Episcoporum pro tunc fortiùs cu-
rat de illorum observatione. Dices. Ergo sunt
Hæretici, vel saltem graviter peccant, qui de-
cretis Papæ resistunt, ut fecit D. Cyprian. re-
sistens pertinaciter Stephano definienti Hære-
ticos non esse rebaptizandos. Resp. illos Hæreti-

cos

cos absolutè non censeri, qui conclusionem allatam negant; hoc enim non definitum est expressè, & quoad Cyprianum in particulari, non fuit Hæreticus; quia Hæreticos non determinavit Stephanus, tamquam de Fide non esse rebaptizandos, aliàs excommunicasset Cyprianum; imò Cyprianus in Conc. octoginta Episcoporum, definiens ipsos esse rebaptizandos, non determinat hoc esse de Fide, protestans se propterea non velle separare à communione Pontificis. Quòd si ex Eusebio, & August. Papa censuit excommunicandos esse illos, qui rebaptizarent, est tantùm comminatio. In hoc Cyprianum tantùm peccasse veniabiliter docet Augustinus, quia peccavit ex ignorantia, alii verò sentiunt peccasse mortaliter, quia debuit parere judicio Pontificis.

Objicies secundò, Universitatem Parisiensem ob hoc damnasse defensorem authoritatis Papæ, qui se, nomine invento, Vernantium appellat, quia versus Nannetas traxerat originem. Resp. primò, quòd ideò tantùm damnare videatur hunc Authorem, in quantùm credit, illum tollere infallibilitatem ab Ecclesia, hæc sunt enim verba Censuræ, *Hæ propositiones quatenus excludunt infallibilitatem ab Ecclesia, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, & hæreticæ.* Nos autem (quidquid sit de illo) dicimus, infallibilitatem activam convenire & Papæ ex Cathedra loquenti, quæ exprimitur his Christi verbis, *Oravi pro te, Petre*, & Conc. canonicè celebrato repræsentanti totam Ecclesiam, de qua dictum est, *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Infallibilitatem verò passivam Ecclesiæ competere, qua scilicet falli non potest, sicut colligitur ex iisdem verbis, *Portæ inferi*, &c. Resp. secundò, huic censuræ,

ſuræ, Tract. de Rom. Pont. Tit. de in. fallibil. Sum. Pontif. quæſt. aliam ejuſdem Univerſitatis opponi, quam refert Dominicus *Bail* Tom. 1. Concil. quæſt. 49. inter 75. quas proponit de authoritate Pontif. Tract. de Triplici verbo Dei. Quidam Theophilus Brachet ann. 1644. docet, definitiones Papæ non eſse infallibiliter, niſi in Concilio, & reſpondet Cenſura. Hæ propoſitiones, in quantùm infallibilitatem Eccleſiæ in nullo ſtatu, quam in Concilio Oecumenico tribuunt, temerariæ ſunt, & Eccleſiç injurioſæ, & Hæreticæ.

Obiicit tertiò Vigorius, Concilium Baſileenſe contrarium determinaſse. Reſp. hoc Concilium non fuiſse Oecumenicum, & Canonicum. Quod ut probetur, ſciendum, quòd Papa Martinus V. illud Florentiæ indixerit, ſed cùm peſtis hanc invaſiſset urbem, tranſtulit illud Senas idem Pontifex, cum autem videret Regem Arragoniæ Pontifici maximè adverſarium largitionibus ſuis Prælatos ſollicitantem, ut deturbaret à Sede Apoſt. Concil. antequam inchoaretur, inhibuit, & aliud poſt ſeptem annos Baſileæ indixit, ubi Cardinalem Julianum deputavit Legatum, interim Martinus V. moritur, in cujus locum ſufficitur Eugenius IV. qui indictionem Concilii, & Legationem Juliani confirmavit. Hæc initia fuere laudabilia, ſed non ſic de cæteris, immò Concil. ceſsavit eſse Oecumenicum, eo inſtanti, quo revocata fuit delegatio Juliani, & revocato proinde Concilii, à quo tempore major pars Epiſcoporum receſſit, ſoluſque cum paucis remanſit Archiepiſcopus Arelatenſis, neque ulli patebat ingreſſus, niſi illis, qui contra Eugenium, & jura Eccleſiæ proteſtaretur. Hæc videri poſsunt apud Æneam Silvium, hujus

Con-

Concilii Scribam, qui initio propugnavit Concil. esse legitimum, & postea cum calore nimio ab hac opinione resilit: Quid mirum ergo, si contra Papam cuncta determinaverit illud Concil. utpotè ad ipsum non spectare definitionem rerum Fidei, & Concil. subesse? Quòd si dicatur, Eugenium à Basileensibus supplicatum, confirmasse hoc Concil. Resp. confirmasse quidem Concilium in genere, non verò cuncta ejus decreta: quod tamen necessarium perhibetur ex Leone, qui approbavit quidem Concil. Ephesinum in genere, non tamen singula decreta, unde aliqua illorum abrogata fuerunt in Concil. Chalcedonensi. Sic in proposito, cùm multi quærerent ab Eugenio in Conc. Florent. An Basileæ Decreta approbasset, respondit, *Nos quidem Concilii progressum approbavimus, non tamen eius decreta approbavimus, aut approbamus*, & sic Decreta hujus Concilii sunt nullius momenti.

Obiicies 4. Ex argumentis antecedentibus patet quidem, Papam esse infallibilem in Decretis Fidei: sed nullum eorum probat, in moribus decernendis ipsum habere infallibilitatem. Respond. hoc tamen esse certissimum, scilicet Pontificem in condendis legibus circa virtutes, & vitia ad statum universalem Ecclesiæ pertinentibus, & ad salutem necessariis, errare non posse; licèt ipse non sit impeccabilis in privata persona, & possit condere leges inutiles, & superfluas, quæ non sunt necessariæ ad salutem. Probatur hoc, quia si in Decretis morum erraret Papa, præcipiendo v. g. usuram, aut prohibendo restitutionem: Deus contra suavitatem suæ Providentiæ illi deesset, & non deberet præcipere, ut Fideles Papam ut Legis-

gilatorem perpetuò audirent, si posset errare in moribus decernendis. Deinde, si in hoc errare posset, hoc fieret præcipiendo vitium, & prohibendo virtutem; sed tunc iret contra Fidem, quæ docet vitium esse de se malum, & virtutem bonam; sicque illud non potest præcipere, nec prohibere illud.

QUÆSTIO XI.

Utrùm Papa tanquam privata persona possit esse Hæreticus.

BEllarminus c. 6. de Rom. Pontif. l. 4. asserit probabile esse, Pontificem, ut personam privatam non posse Hæreticum fieri, nec aliquid contra Fidem pertinaciter credere, cùm Christus dixerit Petro, *oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*; quæ oratio duplex privilegium Petro impetravit, ut nec ipse Personaliter errare posset in Fide, nec ut Pontifex proponeret Ecclesiæ aliquid contra Fidem, sicut diximus in probatione 2. præcedentis Conclusionis: quia tamen contraria longè est communior, ideò erit.

CONCLUSIO.

PRobabilius est, Pontificem personaliter in Fide posse deficere. Unde ad rationem Bellarmini dicendum est; Infallibilitatem personalem fuisse quidem communicatam Petro, sed non transiisse in successores; non est enim necesse, quòd omnia privilegia Petro concessa communicentur illius successoribus; sed sufficit, si habeant ea, quæ ad generalem Ecclesiæ gubernationem necessaria sunt scilicet infallibilitatem, dum pronunciant

ex Cathedra, ideſt dum aliquid proponunt, & præcipiunt toti Eccleſiæ credendum, aut faciendum : non verò neceſſarium eſt, quòd habeant Chariſmatum dona, Linguarum, & miraculorum, quæ habuit Petrus, maximè poſt deſcenſum Spiritus ſancti, &c.

Probatur hæc concluſio ex Joanne XXII. qui ex Gerſonio, & Adriano VI. de Conſirm. & aliis Doctoribus plurimis, cenſuit animas electorum Eſſentiam divinam ante diem judicii, & corporum reſurrectionem non videre ; quòd cum vellet proponere Eccleſiæ, per providentiam divinam morte correptus eſt ; pridie tamen, quàm moreretur, ſuam opinionem retractavit.

Probatur 2. intellectus Pontificis, ut privatus perſonæ, per ſuam electionem non apparet magis illuſtratus quàm ante, nec voluntas ejus magis confirmata in bono : poteſt ergo voluntas Papæ eſſe malè affecta erga Dogmata quædam Fidei, & ſic imperare intellectui, ut eliciat actum contrarium illis ; aſſenſus enim Fidei pendet ab intellectu tanquam à cauſa imperante.

Probatur 3. Qui Honorium ab errore vindicant, dicunt eum fuiſſe accuſatum in 6. & 8. Synodo, per falſos teſtes ; ſi autem horum Conciliorum Patres credidiſſent, Pontificem nuſquam poſſe fieri Hæreticum, nullam contra eum recepiſſent accuſationem ; quod denotat illos fuiſſe in noſtra opinione. Addè quòd peccata ad naufragium in fide conducunt, ex Cypriano, *non error peccatum gignit*, cùm ergo Papa peccare poſſit, proinde poteſt fieri Hæreticus.

Obiic. Si Papa ut ſingularis perſona poſſet errare, Eccleſia magno periculo exponeretur, poſſet enim ſuum errorem definire, &

Ec-

Ecclesiæ proponere, aut certè grande miraculum esset: si unum sentiret in mente, & contrarium definiret: Resp. Deum per suam specialem Providentiam impedire, quominùs Papa erret in definiendo pro tota Ecclesia, quæ maximè labefactaretur; non verò Deus cavet, nè ut privata persona erret, quia hoc non est majori præjudicio, quam si alius doctor erraret. Deinde, non majus esset miraculum, si Papa ut persona privata unum sentiat, & aliud definiat, quàm videre Caipham, qui prophetando ut Pontifex, sententiam tulit pro Religione, quam in mente sua oppugnabat. Denique si non posset errare, quia est infallibilis in definiendo ex Cathedra circa fidem, pari jure non posset peccare, qui est infallibilis circa mores.

Obiic. 2 Papam graviter peccare, si unum haberet in mente, & aliud definiret. Negatur: Confessarius enim non peccat, si judicium pœnitentis, innixum Doctoribus, suo præferat: ita nec Papa, si post consultationem Doctorum, & Prælatorum unum definiat, cujus contrarium sentit. Dices: Unius propositionis non possunt esse opposita judicia. Resp. quòd sicut scientia, & opinio, dum habentur ex diversis meritis, non sunt opposita; sic nec judicium Papæ dum habetur ex medio extrinseco, nempe ex resolutione Prælatorum, opponitur judicio, quod trahit ex mente propria. Dices Doctores vindicare conantur, Pontifices ab erroribus, quod denotat eos non credere quod possint deficere à Fide. Resp. velle tantùm probare; quod non erraverint Pontifices, sicut prætendunt Hæretici. Porrò, licet Bellarminus dicat opinionem contrariam piè credi. Libro tamen 2. Rom. Pontif. c. 30. §. *respondeo* dicit non esse communem.

QUÆSTIO X.

Utrùm Papa Hæreticus deponi possit.

ALbertus Pighius, & alii, qui tenent, Papam non posse fieri Hæreticum hanc quæstionem non proponunt; nos verò illius solutione indigemus ob diversas opiniones, quę circa eam reperiuntur. Joannes de Turrecremata vult, Papam in hæresim solùm interiorem lapsum esse extra Ecclesiam & censeri à Deo depositum. Aliqui ex oppositò tenuerunt Papam nec propter Hæresim occultam, aut manifestam deponi posse, quia suprema Sedes à nemine judicatur. Cajetanus Tract. de authoritate Papæ, & Concilii c. 20. & 21. sustinet, Papam Hæreticum manifestum non esse ipso facto depositum, sed ab Ecclesia deponendum: diversa ab his opinionibus erit nostra.

CONCLUSIO.

PApa ab eo ipso, quò est hæreticus manifestus, à dignitate excidit, ita quòd Ecclesia non necesse habeat ipsum deponere, sed tantùm ipsum depositum declarare. Dixi, eo ipso, quò est manifestus Hæreticus, per hæresim enim internam, & occultam Hæretici non censentur esse extra Ecclesiam.

Probatur conclusio, quia Pontifex manifestè Hæreticus non est ampliùs Ecclesiæ membrum; non enim cohæret Ecclesiæ, nec conjunctione interna, per Fidem scilicet, nec conjunctione externa, per professionem Fidei (quomodo adhærent Hæretici occulti ergo non potest esse Papa cùm non possit est

Ca-

Caput illius corporis, cujus non est membrum: quoniam Caput est membrum corporis nobilius: Deinde qui non est verè Christianus, non potest esse caput Christianorum: manifestus autem Hæreticus non est ampliùs Christianus, ex Cypriano lib. 4. Epist. 2. Atanasio Serm. 3. contra Arianos, & Augusti lib. de Gratia Christi cap. 20. ergo eo instanti, quo Papa in Heresim manifestam lapsus, est, ita ut nulla ratione possit excusari, non tantùm deponi potest ab Ecclesia, ut patet Dist. 40. Can. *si Papa*; sed est ipso facto depositus. Per hoc ruit opinio Cajetani, & à fortiori opinio illorum; qui dicunt, Papam non posse deponi nec per Hæresim internam, nec per externam; miserrima enim esset conditio Ecclesiæ, si lupum manifestè grassantem pro Pastore agnoscere teneretur.

Quæres, utrùm propter solam Hæresim deponi possit Summus Pontifex. Resp. propter Schisma Papam etiam esse deponendum. Sic Cyprianus lib. 4. Epist. 2. ubi asserit, Novatianum se dicentem Summum Pontificem à Pontificatu esse amotum; etiamsi esset verus Pontifex; quia se ab unitate Ecclesiæ separabat, & nolebat communione conjungi cum aliis Episcopis Catholicis, qui lapsos ad pœnitentiam recipiebant. Ratio hujus est, quia Schismaticus ab Ecclesia saparatus non est ampliùs Ecclesiæ membrum; ergo caput illius esse non potest. Sed, inquies, quoniam Schisma est separatio à capite Ecclesiæ, quomodo Papa erit Schismaticus? Hoc fiet primò, si se à communione totius Ecclesiæ, & Prælatorum ob causam injustam separet, & cum quibusdam tantùm sibi adhærentibus communicare velit, ut faciebat Novatianus, quem Schismaticum Cyprianus

vocat loco præcitato. Secundò, fiet Schismaticus, si se destituat libenter Papatu, nec tamen submitti velit successori, tertiò, si antiquos ritus Ecclesiæ ex traditione Apostolica emanantes velit immutare, & ob se separet à Prælatorum cœtu.

Quæres num etiam propter alia crimina deponi possint Pontifices. Affirmativè respondet Vigorius. Summo Pontifici semper infensissimus; nos verò dicamus, verum, & indubitatum Pontificem pro nullo crimine, exceptis Schismate, & Hæresi, esse deponendum; quamdiù enim benè docent Prælati, semper audiendi sunt, Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcumque dixerint facite, opera autem eorum nolite facere.* Unde Marcellinus Pontifex, qui cum maximo Ecclesiæ scandalo tormentorum metu Idolis adoleverat, non fuit judicatus à Concilio Sinuessano; ubi se contulerat, ut judicaretur à Patribus: immò Patres responderunt, Primam Sedem à nemine posse judicari, ex Nicolao 1. Epist 8. ad Michaelem Imperatorem. Hoc etiam determinavit S. Sylvester in Conc. Roman. Quòd si Concilium Basileense teneat, Papam deponi posse pro aliis criminibus Hæresi: Resp. hoc Concilium non esse Canonicum, quia ind ctum, & congregatum fuerat sub prætextu reformandi mores; tamen Rex Aragoniæ illud sollicitaverat, ut multa privilegia Ecclesiæ Romanæ tollerentur: & ob hoc cogebat Prælatos, ut suam sequerentur mentem: Si nil mirum, si in hoc Conc. pro variis criminibus deponi posse Pontifex determinatum fuerit, & Papam subiici Concilio, ob quam rationem Eugenius suum Legatum Cardinalem Julianum revocavit. De hoc loquuti

fuimus,

fuimus in ob ect. 3. q. præcedenti. Quòd si ob peccata diversa à Schismate, & Hæresi aliqui Pontifices fuerint destituti, hoc factum est ex violentia, non ex jure.

QUÆSTIO XI.

De Pontificibus, quos in errorem lapsos esse dicunt Hæretici.

HÆretici semper Sedis Apostolicæ irati, nedum Pontificem Romanum Antichristum esse protestantur, quæ propositio refutatur de se, cùm Antichristus sit persona quædam particularis in fine sæculorum ventura ad Fidelium subversionem, ubi sunt, & fuerunt multi Pontifices, sed insuper plurimos eorum erroribus onerant, dicentes v.g. Marcellinum thus Idolis adolevisse Liberium consensisse Arianis Anastasium 2. faviſse Nestorianis, & Honorium Monothelitis, &c. Ad eos respondetur vulgò, potuisse reverà Pontifices errare, immò & in Hæresim incidere, ut sunt personæ singulares, non verò posse, ut sunt Pontifices, Hæresim ullam tradere credendam Ecclesiæ: Quia tamen per hos errores Ecclesiam labefactare prædunt Hæretici, in multis nos ipsis ex justificare prętendimus, nõ quidem loquendo de omnibus illis Pontificibus, quibus imponunt, præsertim Magdeburgenses, sed tantùm, ea quæ sunt magis notatu digna attingemus; tum qui tantam prolixitatem non patitur nobis affectata brevitas, tum etiam, quia hæc habentur apud Bellarminum, lib. 4. de Summo Pontif. cap. 8.

Dicunt ergo primò, Petrum bis erravisse circa Fidem negando scilicet Christum, &

Gentes Judaizare cogendo : ad Gal. 2. Zephirinum in errorem Montani incidisse, Marcellinum Idolis sacrificasse, & Liberium Ariana hæresi fuisse infectum.

Respondeo primò, Petrum non fuisse Pontificem, dum Christum negavit; sed cùm post resurrectionem Christus illi dixit, Joan. ultimò. *Pasces oves meas*. Quantùm verò ad Judaizationem; non illam præcepit; immò contrarium docuit Act. 19. sed hoc fecit bono animo, nè offenderet Judæos de novo conversos. Quoad Zephirinum, longè semper ab errore Montani fuit; sed deceptus est à Montanistis, qui illi persuaserunt opinionem suam esse opinionem Romanæ Ecclesiæ: & ob hoc ad communionem suam ipsos revocavit. Quòd si Tertullianus in lib. contra Praxeam scribat; Pontificem Romanum agnoscere Prophetias Montani: non est ille credendus, quia Montanista erat, & sub hoc prætextu alios in eundem errorem volebat adducere. Quantùm ad Marcellinum: verum est, ipsum metu tormentorum Diocletiani thus adolevisse Idolis: sed cùm semper Fidem in mente retinuerit, actu tantùm externo erravit, nihilque contra Fidem definit. Quoad Liberium denique à principio Pontificatus usque ad exilium fuit semper acerrimus Fidei Propugnator, post exilium suum fuit semper Orthodoxus: quippe, qui cum in Sede restitutus fuisset à Clero Romano post mortem Felicis, noluit recipere Macedonianos in Ecclesiam, nisi publicè suam Hæresim detestarentur: unde à Basilio, Ambrosio & Epiphanio vir beatissimus appellatur: Durante tandem exilio, Sulpitius Socrates Sozomenus, & Nicephorus asserunt, ipsum fuisse semper constantem in Fide. Athanasius

tamen, Hilarius & Hieronymus dicunt, eum tædio exilii affectum voluntati Imperatores acquievisse, Athanasium condemnasse, & in concilio Sirmiensi convenisse cum Ursacio, & Valente Arianis: sed ad extremum ipsius error fuit tantùm personalis, cùm nihil contra Fidem definierit: imò Hæreticus dici non debet, quoniam peccavit tantùm actu externo, mentaliterque Fidem semper retinuit, & usque ad mortem crimen suum infidelitatis externæ lachrymatus est: De hoc adhuc in Disput. de conciliis: dum agemus de concilio Nicæno.

Dicunt 2. Felicem II. Arianum fuisse sed hoc falsum est, licèt cum Arianis communicaverit, eo tempore, quo verus Papa nondum erat. Ut hoc clarè concipiatur sciendum quòd Liberio in exilium misso à Constantio Imp. Clerus Romanus juravit se, vivo Liberio, nullum in Pontificem electurum; sed opere Arianorum, & præsertim Cæsariensis Episcopi, Felix Diaconus Romanus in locum Liberii sufficitur, qui Felix obcollatum ab Arianis beneficium cum illis communicabat, licèt Arianus mente non esset. Post biennium advenit lapsus Liberii, unde tunc clerus Romanus, ipsum Liberium à Sede abrogavit: & hoc jure, quia præsumebatur Hæreticus, quamvis homines non possint corda scrutari; & loco illius Felicem, quem Catholicum sciebat, fuffecit; tùm Felix verus Papa factus Deo inspirante, ad conservandam Ecclesiam recessit à conversatione Arianorum, & coacto Concilio condemnavit Imper. Constantium, & Episcopos Ursacium, & Valentem; ob quod Liberium, cum quo pacem fecerant, ad urbem, & ad Sedem revocarunt, ejeceruntque Felicem,

qui non diù poſteà, ſive morte violenta, ſive ærumnis, mortuus eſt. Mortuo Felice, Liberius ſibi conciliavit Clerum Romanum, à quo in Pontificem Catholicum de novo electus eſt. His poſitis, patet, Felicem nunquam fuiſſe Arianum, licèt cum Arianis communicaverit, dum non eſſet verus Papa vivente Liberio, quòd ſi dicant Hæretici ex Heronymo in Cathalogo Sanctorum, Acacium tantam authoritatem habuiſſe, ut Felicem loco Liberii Arianum Epiſcopum conſtituerit: Reſp. vocem illam *Arianum* irrepſiſſe, nec reperiri in manuſcriptis: ut notat Marinus Victorinus.

Dicunt 3. Vigilium in Hæreſim Eutychetis lapſum fuiſſe, cùm in Epiſtola quam ſcripſit ad Theodoram Imperatricem, & alios hac Hæreſi infectos confirmaverit Hæreſim ipſorum, & anathematizaverit contra dicentes. Reſp. ſi Vigilius damnaverit Catholicam Fidem in hac Epiſt. ſaltem extrinſeca profeſſione, nil ad nos; quia hoc fecit dum eſſet falſus Papa, vivente ſcilicet Silverio: quod ita factum eſt: Cùm Papa Agapetus depoſuiſſet è Sede Conſtantinop. Anthemium Hæreticum, Imperatrix à Silverio ſucceſſore petiit, ut illum reſtitueret; quo reluctante, Vigilius Archidiaconus promiſit Theodoræ, ſe revocaturum Anthemium, ſi Pontifex fieri poſſet; tunc Imperatrix Sede expellere fecit Silverium, & in exilium mitti cujus loco poſitus eſt Vigilius; & tunc, cum eſſet Pſeudo-Papa, nil mirum, ſi Hæreticus tunc potuerit eſſe ſaltem extrinſecè, cum hoc fecerit tantùm animo Papatum obtinendi: Mortuo autem Silverio, Vigilium, quem in mente Catholicum faciebat Clerus Romanus, eligit verum Pontificem, ab illo tem-

tempore nil contra Fidem egit : immò noluit Anthemium restituere, sed Imperatrici hoc sollicitanti respondit, se hoc temerè promisisse, graviterque in promittendo peccasse, unde in exilium missus est, & multis miseriis vexatus usque ad mortem. Hæc habentur in Pontificali apud Paulum Diaconum in vita Justiniani, & Aimonium lib. 2. cap. 23. de gestis Francorum.

Dicunt 4. Honorium primum in Monothelitatum errorem incidisse, qui dicebant esse tantum in Christo unam voluntatem; unde in 5. Synodo Honorius ut Hæreticus damnatur, & ejus epistolæ combustæ sunt: in septima verò Synodo act. ultim. Concilium dicit Anathema Honorio, Sergio, Cyro, & aliis Monothelitis. Resp. nunquam, Honorium Monothelitis favisse, sed prudentissimo consilio ad Sergium Constantinop. scripsisse, ob pacem Ecclesiæ, cùm nondum res esset definita; de una, aut duabus operationibus in Christo, tacendum esse, ne qui dicerent unam in Christo operationem, Eutycheti unam naturam admitti favere viderentur: qui verò duas asserererent, Nestorium viderentur sequi, qui duas in Christo personas admittebat. Hoc clarissimis verbis patet in utraque Epistola Honorii ad Sergium. Quòd si dixerit, *Unam voluntatem fatemur Domini nostri*, tunc loquebatur de voluntate humana Christi, in quo voluit asserere, non fuisse duas voluntates repugnantes, sicut in nobis, ubi *Caro concupiscit contra animam*.

Quantùm ad ea, quæ objiciuntur; Dico exemplaria quintæ, & sextæ Synodi corrupta per Græcos, & opera Theodori Constantinop. Monothelitæ depravata fuisse; qui cum damnatus fuisset à 6. Synodo, loco Theo-

dori, in exemplaribus posuit nomen Honorii, & super talia exemplaria falsificata, qui successerunt, damnarunt Honorium. Deinde Patres horum Conciliorum damnare de Hæresi Honorium non potuerunt, nisi contradicant Epistolæ 1. Agathonis, quæ in sexta Synodo lecta est Sess. 4 in qua Imperatorem certum facit omnes prædecessores suos, quorum unus erat Honorius, Hæresibus semper resistisse, suosque fratres in Fide confirmasse. Tandem Agatho numerans Monothelitas, loquitur tantùm de Cyro, Sergio, Pyrro, Paulo, Petro & Theodoro, Orthodoxamque Fidem in Ecclesia Catholica perseveransse asserit. Hæc Epistola à toto Concilio probata est, Act. 8. & 18. ubi Patres dicunt, non tam Agathonem quàm D. Petrum Agathonis ore loquutum. Quomodo ergo hoc Concilium condemnasset Honorium, dum Agatonem laudat, qui asserit nullum prædecessorum suorum errasse?

Dicunt 5. Joannem XXII. credidisse animas electorum non frui beatitudine, nisi post corporum resurrectionem, Joannem XXIII. accusatum fuisse in Conc. Constant. quòd non crederet vitam æternam. Item Bonifacium VIII. determinasse in Extravaganti *unam sanctam*, omnia subesse Pontifici, quod determinavit, non ut Doctor, sed ut Papa, cum dixerit, *Declaramus, definimus, & pronunciamus*. De primo, quem vulgus falsò nominat vigesimum secundum, qui est tantùm 20. dico, hanc opinionem habuisse reverà, cùm nulla erat circa eam Ecclesiæ definitio; cùm tamen voluit illam definire, & esset in consultationibus, mortuus est, ut refert Benedictus XIII. ejus Successor: sed paulò ante mortem,

tem, illam opinionem retractavit, ex Guillelmo Ochamo aliàs Joanni infensissimo, cum his verbis, *Nunquam mea intentionis fuit, dicere aliquid contra Fidem: & si aliquid dixi mus, totum ex tunc revocamus*: Unde Doctores Parisienses coram Rege Philippo Valesio dixerunt, se audivisse à fide dignis, hoc nunquam assertivè dictum fuisse à Papa, quod testimonium instrumento publico munierunt an. 1333. ut videre est apud Dominum *Coeffeteau* pag. 1040. & 1041. suæ resp onsionis ad mysterium iniquitatis; De secundo, qui potius est 21. quam 23. dicendum, quòd nullam consequentiam faciat: erat enim incertus Papa, quoniam duo alii, nempe Benedictus XIII. & Gregorius XII. se Pontifices dicebant, De tertio denique constant, quòd ex odio contra Gallos fecit Constitutionem, qua determinavit temporalia, & spiritualia subesse Romano Pontifici, sed in definitione, & conclusione constitutionis, ad quam solum attendendum est, cùm sola obligationem inducat, pronuntiat tantùm in genere, dicens omnem creaturam subesse Romano Pontifici: quod Clemens V. ex Gallia oriundus intelligit de subjectione in Spiritualibus: non vero in Temporalibus: Innocentius enim III. Regem Galliæ in temporalibus superiorem non agnoscere dicit: nullius enim dignitatis, nec etiam Papalis Rex Galliæ est feudatarius, & vassallus. Quam plurima mala dicunt Hæretici de Grego. VII. quæ pura sunt mendacia. Primò quòd per vim militarem Pontificatum invaserit, contrarium docet S. Anselmus Leucensis Episcopus. Dicunt 2. quod innocentem Henricum IV. Imperat. excommunicaverit: sed crimina ejus Stephanus Episcopus Halber-

latenſis vir utiq; ſanctus, in Epiſt. ad Uvalramum Epiſcopum commemorat. Dicunt 3. ipſum Berengarium fuiſſe; ſeu negaſſe realitatem corporis Chriſti, immò ipſe tanquam Legatus Summ. Pontif. confutavit Berengarium; ex Guitmundo l. 3. de Euchar. Addunt 4 fuiſſe Simoniacum, adulterum, homicidam, & omnium peſſimum: quæ ſunt pura mendacia adinventa à Benno Cardinali facto à Clemente III. quem imperator creavit Antipapam in odium Gregorii cùm ergo eſſet creatura Pſeudo Papæ; in omnibus calumniabatur verum.

Dicunt 6. veram mulierem meretricem in ſede Pont. exaltatam fuiſſe, quæ vocata fuit Joannes VIII. & vulgò Joanna Papiſſa nuncupatur. Sed hoc eſſe puram fabulam probat Onuphrius, in Additione ad Platinam ex Græcis, & Latinis, ſingulariter ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui vixit eo tempore, quo fingunt illam Papiſſam. Dicunt 1. illum Joannes octavum fuiſſe inter Leonem IV. & Benedictum III. & vixiſſe in Pontificatu duobus annis, & quinque menſibus, circa annum 850. Attamen inter utrumque Pontificem ſedes vacavit tantùm per ſpatium 15. dierum, ex Onuphrio Sic etiam Ado Epiſcopus Viennenſis, qui eodem vixit tempore: & ſic loquitur in Chronico Anni 861. *Pontifex Romanus moritur, ejus loco ordinatur Sergius, illo defuncto ſuccedit Leo, quo obeunte Benedictus ſubſtituitur.* Sic & omnes Hiſtorici uſque ad Martinum Polonum qui finxit hunc Joannem VIII. quadringentis annis poſteà contra fidem omnium antiquorum & hunc ſequuti fuerunt recentiores Pontificum adverſarii. Ut pateat magis falſitas hujus fictionis, attendatur varietas opinionum. Dicit.

cit 2. Martinus, illam fœminam esse Angelicam ex Moguntia; sed quia Moguntia non est in Anglia, Platina dicit fuisse conceptam in Anglia, & natam Moguntiæ; Magdeburgenses è contra, & Theodorus Bibliander sustinent, natam fuisse Moguntiæ, & educatam in Anglia. Dicit 3. studuisse Athenis, sed pro tunc Athenis remansit solum nomen Academiæ, inquit Synesius. Dicunt Magdeburgenses, ipsam peperisse in itinere, cùm ex Vaticano invisere vellet Ecclesiam Lateranensem; at Pontifices non manserunt in Vaticano, sed in Palatio Lateran. nisi ad tempora Bonifacii IV. hoc est usque ad An. 1390. ex Onuphrio lib. 7. de Ecclesiis Deinde non est verisimile, quòd mulier voluerit procedere ad publicam processionem, ut vult Martinus, se tot mensium gravidam videns. Dicunt 5. vestigia hujus rei usque ad hoc tempus remansit, nimirum ex hoc quòd remansit cathedra perforata ad explorandum cujus sexus essent Pontifices futuri: ex statua etiam mulieris cum puero, quæ remansit in loco, ubi Papissa peperit; denique ex hoc, quòd Pontifices ex Vaticano ad Lateranum pergentes, declinent hanc viam, ubi partus factus est. Sed hæc omnia ridicula sunt: nam cur servaretur hæc cathedra, & conservaretur statua, quæ in dedecus Romanæ Sedi cederent. Quòd si etiam hæc via declinetur, hoc est ob ejus angustiam.

Dicunt 3. adversarii infallibilitatem Pontificis eludere volentes, non posse concipi, quomodo illam donetur. Resp. 1. Infallibilitatem non competere Pontifici, quasi illi fiat revelatio definiendorum; Sunt enim tantùm quatuor Revelationum genera, nempe sensibilis, cum Deus, vel Angelus in specie exter-

na apparet; secunda est vocalis, qua aliquid auditur: tertia est imaginaria, qua Deus aliquid insinuat per phantasmata, quæ effor. mat Deus in phantasia, sive in somno, sive in vigilia; quarta denique est intellectualis, cùm Deus producit species intelligibiles in intellectu; sic Tostatus qu. 2. in cap. 63. Regum. Neutro autem horum modorum illuminatur Pontifex; quia nulla fit illi apparitio, nec vox ulla insusurratur, nec phantasmata producit Deus, nec speciem intelligibilem; quoniam omnia hæc miraculosa sunt, & personalia: Infallibilitas verò est communis cuilibet Pontifici; ergo infallibilis non est Pontifex per revelationem: Unde Resp. 2. Infallibilitatem procedere ex natura, disquisitione, & examinatione definiendorum, quæ fit inter Doctores, qua posita, Spiritus sanctus ita adest Pontifici, ut sine errore definiat. Sed quid respondebitur de Pontifice, qui pro vero Pontifice creditur, attamen propter inhabilitatem occultam non esset verus? dicerem, quòd esto non esset infallibilis, quia non est Papa, attamen falsum definire non posset, quia cùm non sit Pontifex propter se, sed propter Ecclesiam, nunquam Deus ipsum errare sineret, ex Mat. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Vel licèt aliquid falsum proponeret, nusquam reciperetur ab Ecclesia, quæ Infallibilitate passiva gaudet. Quid etiam dicetur de Infallibilitate Pontificis, si quæstionem, quam vult definire, non proponat examinandam Cardinalibus Prælatis, & Doctoribus? Respondetur, Deum, qui vult finem, nempè Pontificem non errare, nunquam permissurum omissionem mediorum nec consequenter Papam aliquid determinaturum

torum inconsultis Prælatis. Quòd si per impossibile hoc fieret: alii dicunt signum esse quòd non intendat definire ex Cathedra, alii quòd non posset in hoc errare: sed maximè peccaret.

APPENDIX QUÆSTIUNCULARUM,

Quæ adhuc ad Summum Pontificem spectant.

QUæstiones præcedentes satis prolixæ ea explicant sufficienter, quæ ad Summum Pontificem concernunt: ne tamen aliquid indictum remaneat, alias quasdam paucis verbis explicandas quasi transcurrendo subjungi perneccessarium mihi visum fuit, nè stylinostri brevitas rebus cognoscendis officiat.

Quæres ergo primò, an jus habeat Summus Pontifex recipiendi, & judicandi appellationes totius Ecclesiæ. Sicut hoc jam asseravimus in transcursu, sic etiam & affirmamus. Sic concilium Sardicense, quod generale, & semper in Ecclesia receptum fuit: Can. enim 4. quem alii vocant 3. hoc habetur expressè & Can. 7. qui canones hanc potestatem non conferunt Pontificibus, sed tantùm asserunt esse in illis; sicut enim Christus dedit illis potestatem supremam in tota Ecclesia, sic etiam ab ipso Christo, & proinde à jure Divino habent, quòd recipiant appellationes: Unde Papa Anterus in Epist. ad Episcopos Bœticæ, & Toletanæ Provinciæ scribit. *Facta subditorum judicantur à nobis nostra verò judicat Deus*, Sic Gelasius Papa in Epist. ad Episcopos Dardaniæ, *De qualibet mundi parte ad illam sedem canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo est appellare permissus*. Hoc confirmant exempla nam Marcion

cien ab Episcopo suo excommunicatus in Ponto, venit Romam, ut absolveretur, inquit, Epiphanius Hæres. 42. sic an. 341. ex Baronio to. 3. Annal. Athanasius ab Orientalibus depositus venit ad Julium, primum, ut restitueretur, quòd illicò factum est. Chrysostomus etiam An. 400. depositus à Theophilo Alexandrino ad Innocentium primum provocavit. D. Gregorius denique privat Joannem Episcopum Græcum, quòd judicasset Episcopum Thebanum, qui ad Apostolicam sedem provocaverat. Quod si Patres aliqui, ut Cyprianus, appellationes reiiciant; hoc est quando aliquis de crimine convincitur; ideò enim recurritur ad provocationem ut declinetur justitia.

Quæres 2. an Pontifex possit condere leges obligantes in conscientia. Waldenses, Wicleffus, Joannes Hus, & Lutherus, hoc absolutè negant, & volunt Prælatos solùm exhortari posse ad observanda mandata Dei. Lutherus lib. de captivitate Babylonica c. de Baptismo ait, *Quo jure Papa super nos leges constituit? quis ei dedit potestatem captivandæ libertatis per baptismum nobis donatæ? cùm neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habeat jus constituendæ syllabæ super Christianum hominem, nisi fiat ejus consensu.* Unde Lutherus An. 1520. totum corpus juris Canonici publicè combussit. Vigorius cum suo Calvino authoritatem condendi leges, & canones Pontifici quidem tribuit, sed tantùm in Synodo generali Episcoporum. Contra illos Respondeo, quòd licèt Papa in conciliis multas leges condiderit, tamen sine illis condere potest, viros pios, & doctos in consilium adhibendo. Non multùm immorabimur in hac materia, cùm eam soli hæretici con-

conteſſentur. Ex Deuteron. 7. concluſio patet, *Qui ſuperbierit: nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino, ex decreto judicis morietur*: hoc à fortiori verum eſt de Summo Pontif. ex Matth. 16. *Quæcumque ligaveris, &c.* ligare autem eſt legem imponere. Matt. 23. *Alligant onera importabilia*. Et ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo: itaq; qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt*: Et poſteà, *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam*. Paulus 1. Timoth. 3. ſtatuit, ne bigami ordinentur, & propterea concilium Carthag. 4. Can. 69. privat contradicentes jure ordinandi. 1. Corint 11. *Laudo vos, quòd præcepta mea teneatis*. Et ibidem, *Qui hæc ſpernit, non hominem, ſed Deum ſpernit*. Hoc confirmat Gratianus. *Alia*, inquit, *ſunt decreta Pontificum, alia ſtatuta Conciliorum: alia ſunt Univerſalia alia ſunt Provincialia*, &c. Diſt. 3. Ratio noſtra petitur ex poteſtate, quam habent Reges condendi leges coactivas pro ſubditis; licèt enim omnes homines ſciant ſe debere actiones ſuas conformare rectæ rationi, quia tamen ex ſpiritu componuntur, & carne, caro concupiſcit adverſus animam, & allicit communiter ad actiones, quæ deviant à ratione; ideò ut tollatur talis perverſitas, Principes leges condere ſolent, Sic licèt Chriſtiani habeant legem Evangelii, quia tamen eſt nimium univerſalis, non ſufficit ad dirigendas actiones noſtra, niſi per determinationes Prælatorum, immo contravenirent Evangelio communiter, niſi eſſent leges, quæ obligant in conſcientia; licèt enim

nim

nim vulgo clamitent Hæretici, Christianum Baptismo liberum esse: hoc verum est de libertate à peccato, non à concupiscentia. Quod si Deuter. 12. Dicat Deus, *Quod præcipio tibi, hoc facito tantùm non adas quicquam, neque minuas*: hoc est non addas quicquam legibus meis contrarium: Deus enim alio loco dicit, *Qui vos audit, me audit*. Si reprehendat Deus Marci 7. Traditiones, & mandata hominum: hoc est, quia irritum faciebant mandatum Dei propter traditiones suas. Adde, quòd Traditiones Pharisæorum erant purè humanæ: licèt autem præcepta Papæ, & Prælatorum non sint à Deo immediatè, sunt tamen ab illo mediatè, *Qui vos audit, me audit*: unde sunt aliquo modo divina, Dum Calvinus obiicit Paulum non permittere conscientias Fidelium subdi hominibus. 1. Cor. 7. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*; hoc est, ne serviamus hominibus, propter homines; sed propter Deum, ut explicat ad Ephes. 6. *Servi obedite dominis carnalibus*, &c. *Non ut hominibus placentes, sed ut facientes voluntatem Dei*.

Quæres 3. An Papa sit Antichristus. Eò dementiæ venerunt Hæretici, ut credant Papam esse Antichrist. quasi hoc ita verum sit, ac Deum esse Creatorem visibilium, & invisibilium: & proinde Antich. qui in Script. homo peccati, & filius perditionis nominatur, jam advenisse prædicent. Sed in hac materia tanta est hæreticorum diversitas, ut exinde faciliter illorum malitia sine ulla veritate esse cognoscatur: Si enim quæritur ab illis, quando venit Antichristus? Tempore Apostolorum, ex Junio, & Beza. Venit post annum Christi 600. tempore Phocæ Imperato,

ratoris ex Luthero. Denit An. Christ. 863. ex Bullingero Venit an. 1210. post tempora D. Bernardi, ex Uvolfendo. Natus est tempore Apostolorum, cæpit regnare tempore Phocæ Imper. revelatus est tempore Lutheri, fine mundi destruetur, ex Podello. Conceptus est an. 400. formatus, & nutritus in utero matris circa an. 500 natus an. 600. circa tempora Phocæ Imp. ex aliis. Quærendo deinde ab illis, si Pontifex est Antichristus, qui eorum cepit esse talis? Gregorius Magnus homo pessimus, dicent Centuriatores. Non est ita inquit Lutherus, Gregorius enim fuit vir sanctus, & bonus. Si quæratur 3. quis sit Antichristus propriè dictus, quem Apostolus vocat hominem peccati, & filium perditionis: Non est homo singularis inquiunt Centuriatores cum Povello, sed regnum aliquod, seu Princeps alicujus regni, qui regno Christi omninò adversatur: immo est persona unica, & singularis, ait Junius. Denique si quæratur, quem characterem imprimet subditis; Unctionem Chrismatis in fronte, ex Henrico Bullingero: non, sed professionem Rom. Fidei, inquit Bibliander.

Quæres 4. Quid nomine Antichristi propriè intelligatur. Sicut nomen Christi dupliciter sumitur, propriè scilicet, pro Verbo D. Incarnato, & analogicè pro illis: qui habent aliquam cum eo similitudinem, ut sunt Prophetæ. Prælati, Reges, &c. de quibus dicitur; *Nolite tangere Christos meos*: sic etiam nomen Antichristi sumitur proprie, pro quodam homine eximio Christi adversario, qui nascetur in fine sæculorum, & quem D. Paulus 2. ad Thessal. 2. vocat *hominem peccati, & Filium perditionis*; Analogicè verò sumitur pro omnibus, qui quodam modo Christum oppugnant

gnant 1. Jo. 2. *Audistis, quia Antichristus venit, & nunc multi Antichristi sunt.* Hoc sensu Irenæus vocat Valentinianos, & Marcionistas Antichristos: Hilarius, Arianos: Cyprianus, Novatianos, Hieronymus in cap. 2. Prophetæ Nahum ait, *Tot sunt Antichristi, quot dogmata falsa.*; Hoc posito, licèt Calvinus dicat, per Antichristum propriè sumptum non intelligi propriam personam, quia ex D. Paulo 2. Thessal. 2. jam suo tempore in mundo versari Antichristi: attamen Respondeo, Antichristum esse singularem personam Joan. enim 5. cap. accipietur Antichristus à Judæis pro Messia. Per Messiam autem intelligunt ipsi certum, & singularem hominem: Paulus etiam 2. ad Thess. 1. *Nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* Et infrà. *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Daniel denique 7. 10. & 11. non vocat Antichristum regnum, sed regnum unum, qui ex decem regibus, quos in mundo inveniet, tres omnino tollet è medio, & septem alios sibi subjiciet. Apocal. denique 1. & 17. prædicitur regnum Antichristi, esse duraturum tribus annis cum medio.

Quæres 5. Quid dicendum sit de generatione Antichristi, quòd probabit ipsum non esse Papam. Rabanus sub nomine Augustini in fine Tomi 9. dicit, Antichristum nasciturum de Virgine opera diaboli, ut Christus opera Spiritus sancti, sed hoc est effectus solius omnipotentiæ, nisi admittatur opinio de incubis dæmonibus, quos tamen Medici dicunt non posse generare. Hypolitus Mart. Orat. de Consum. mundi docet esse diabulum, qu de falsa Virgine falsam carnem assumet;

sed

sed 1. Thesal. 2. vocatur *homo peccati*. Aliqui crediderunt, esse diabolum humanatum per Incarnationem; sed hoc non potest fieri naturaliter, ut probavimus tract. de Incarnat. Alii sentiunt, esse Neronem resurrectum, vel reservatum alicubi, ad novam persecutionem fidelium; sed hanc sententiam, quæ est Sulpitii lib. 2. sacræ Hist. miram præsumptionem vocant alii. Damascenus docet, ipsum nasciturum de fornicaria muliere. Communiùs respondebitur, quidquid sit de opinione tantùm probabili Damasceni, Antichristum nasciturum esse de Tribu Dan ex Irenæo, Ambros August. Prospero Theodoreto, Greg. Beda, Ruperto, Anselmo, &c. Quod probatur ex hoc, quòd Apocal. 7. ubi signantur duodecim millia ex omni Tribu filiorum Israel, non fit mentio de Tribu Dan: quod ex odio Antichristi ex ea nasciturí factum esse creditur. Antichristus autem venturus est præcipuè propter Judæos, à quibus, ut Messias expectatur Thessal. 2. *Eo quòd claritatem veritatis non receperunt, ut salvi fiant; ideò mittet illis Dominus spiritum erroris, ut credant mendacio*. Hoc intelligit Hieronymus de Antichristo, & Judæis q. 11. ad Algasiam. Ex hoc patet Antichristum fore Judæum, & Circumcisum: non reciperent enim Judæi pro Messia Incircumcisum. Ex quo jam patet, Papã Antichristũ non esse, quod mox prolixiùs tamus probaturi.

Quæres 7. Quid dicendum sit de Sede, Doctrina & miraculis Antichristi. Ad primum Respondent hæretici, sessurum in Cathedra Romani Pontificis, quia 2. Thessal. 2, dicitur sessurus in templo Dei: & in urbe Roma, quoniam Joannes Apocal. 17. dicit sedem Antichristi fore urbem magnam,

quæ

que ſedet ſuper ſeptem colles. Catholici autem reſpondent, ſedem Antichriſti fore templum Salomonis, & urbem Jeruſalem: Apocal. enim 11. Joannes aſſerit Enoch, & Heliam pugnaturos cum Antichriſto in Jeruſalem, & ibi occidendos ab Antichr. *Corporaque*, inquit, *eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, ubi Dominus eorum crucifixus eſt.* Unde Areta in hunc locum ait, *Corpora eorum inſepulta proiiciet in plateis Jeruſalem, in ea enim regnabit tanquam Rex Judæorum.* Hieronymus etiam, & Theodoretus ex Daniel. 11. colligunt Antichriſtum fixurum tentoria in regione Hieroſolymorum, & occidendum in monte Oliveti: & propterea Lactantius lib. 6. cap. 15. docet, eo tempore ſummum regnum fore in Aſia, & Occidentem ſervitutum Orienti: protunèque, dicunt alii, reſtituetur templum Salomonis, dictum templum Dei, quia in gloriam Dei erectum eſt. Tandem cùm Antichriſtus futurus ſit Judæus, probabile eſt, ipſum ibi regnaturum. Dum dicunt ergo Hæretici, per Eccleſiam intelligi, Romam, ubi ſedet Papa: per hoc convincuntur, ipſos non eſſe in Eccleſia Dei cum ſint extra Eccleſiam Romanam. Cùm dicitur, urbem illam ſe extendere ſuper omnes montes: hoc eſt ſupra univerſitatem ſuperborũ.

Ad ſecundùm Reſp. quòd inter alia docebit, Jeſum non fuiſſe verum Meſſiam, ſed ſeductorem, & proinde noſtra Sacramenta eſſe purè fictitia, nec Circumciſionem ceſſaſſe. Aſſeret deinde ſe eſſe verum Deum, & Meſſiam tot ſæculis expectatum à Judæis. Poſteà affirmabit ſe eſſe Deum & pro vero Deo coli volet; ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Denique, ſe non ſolùm Deum dicet, ſed & unicum Deum:

Da-

Daniel 11. *Et Deum Patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia adversùs universa consurget.* Quòd si Daniel 11. dicitur, quòd colet Deum Maozim. Respond. ipsum fore magum, clam. que adoraturum dæmonem, cujus ope mirabilia faciet: Maozim autem idem est ac fortissimus.

Quantum ad miracula, Respondeo nullum esse facturum, quia miracula ad solam Dei omnipotentiam spectant: sed mirabilia portenta, 1. res insolitas faciet, quæ apparebunt tanquam miracula. Matth. 24 *Dabunt signa, & prodigia magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi*; ubi loquitur Evangel. de Antichristo, & ministris ejus. Inter mirabilia: tria faciet solemniora, nempe ignem de cœlo descendere, imaginem bestiæ loqui, & seipsum mori, & resurgere, ex Apoc. 13. Quod autem hæc omnia non sint vera miracula testatur Paulus 2. Thessal. 2. *In omni virtute, signis, & prodigiis mendacibus*. Porrò, Antichristus ex humillimo loco prodibit. Dan. 11. & dolo regnum Judæorum invadet. Pugnabit deinde eum tribus regibus, Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ, quorum regna occupabit. Dan. 11. Posteà subjugabit septem alios reges, qui supererunt, sicque totius mundi Monarcha evasurus est; unde Chrysostomus in c. 2. Thessalon. asserit Antichristum successurum Romanis, sicut Romani Græcis, Græci Persis, & Persæ Assyriis. Tandem cum copiosissimo exercitu Christianos persequetur, & hoc est prælium Gog, & Magog, multi enim per Gog intelligunt Antichristum, & per Magog, exercitum ejus. De hoc Joannes Apoc. 20. Licet autem Antichristus cum

suo exercitu sit Ecclesiam persequuturus, non tamen absolutè deficiet fides, *Portæ* enim *inferi non prævalebunt adversùs eam*. quis enim crederet, Antichristum reportaturum victoriam supra Christum, Diabolum vincere Deum, & Infernum subjugare Paradisum? & sic opinio Dominici à Soto non est sustinenda, illam tradit in 4. dist. 49. q 1. art. 1.

Quæres 7. an venerit Antichristus. Hæretici contendentes Papam esse Antichristum, ipsum proinde jam à longo tempore venisse clamitant; nos verò dicimus. Antichristum impropriè sumptum pro Christi adversariis advenisse, quidem non verò illum Antichristum de quo loquitur Paulus 2. ad Thessal. 2. & de quo mentio fit in Apoc. Probatur istud, qui Antichristus propriè sumptus non veniet, nisi post eversum Imperium Romanum: sed nondum eversum est: ergo, major probatur ex Patribus Græcis, & Latinis, Cyrillus enim Catechesi 15. *Veniet prædictus Antichristus, cùm impletæ fuerint tempora Romani Imperii*, Chrysostomus enim in 2. 3. ad Thessal. *Quando e medio sublatum fuerit Imperium Romanum, tunc veniet Antichristus. Quando autem desolabitur Imperium Romanum, dividetur in Reges decem, & tunc undecimus parvulus nascturus est, qui illos subjugabit, in quo habitaturus sit totus Sathanas corporaliter, qui erit homo peccati, filius perditionis, ita ut templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.* Sic Hieronymus q. 11. ad Algaziam. Minor probatur etiam, quia licet fuerit facta declinatio Imperii Rom. 1. quando Roma capta est à Gothis 2. quando Imperium defecit in Occidente, quando restaurato in Occidente per Carolum Magnum, destructum est

in

in Oriente per Turcas attamen nunquam facta fuit subversio integra Imperii, nec amissum est nomen, aut dignitas Imperatoris Romanorum: ergo nondum venit Antichristus. Adde, quòd nondum venerunt Helias, & Enoch, qui venturi sunt tempore Antichristi; & sic nondum venit. Quòd si textus aliquis Scripturæ asserat venisse Antichristum, ut 1. Ioan. 2. *Filioli, novissima hora est, quia Antichristus venit*, ibi fit mentio de Antichristo communiter sumpto, pro illo genere virorum, qui sunt contra Christum, unde additur, *& sunt Antichristi multi.*

Quæres octavò, an Papa sit Antichristus. Jam proposuimus illam quæstionem, & in transcursu eorum, quæ diximus de Antichristo, illam aliquo modo solvimus, utpote dicendo, Antichristum non venturum nisi post eversionem Romani Imperii, Antichristum occisurum duos illos Prophetas, de quibus anteà, denique ipsum tantùm regnaturum per tres annos cum dimidio, ex Daniel. 7. *Sermones contra excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempore, & dimidium temporis*; Ubi per tempus intelligitur unus annus, per tempora duo anni, & per dimidium temporis semiannus, ex veteribus Patribus, quorum opinio confirmatur ex Apoc. 11. ubi Joannes dicit, Antichristum regnaturum mensibus 42. & deinde, asserit illos Prophetas, qui regnanti Antichristo se opponent, prædicaturos diebus 1260. qui numeri faciunt tres annos cum dimidio. Licèt, inquam, ex triplici illa conditione pateat, Summum Pontificem non esse Antichristum, hoc fortiùs probandum est, ostendendo decem notas Antichristi, quas dicunt

Hæretici reperiri in Papa, nullo modo illi convenire, unde.

Quæres nonò, utrùm notæ quas attribuit Scriptura Antichristo, reperiantur in Papa, ut volunt Hæretici, dicentes, has decem notas illi rectè adaptari, nempè 1. Deficeret à fide, 2. Thessal. 2. 2. Sedere in templo Dei, ibid. 3. Se ostendere ut Deum, ibid. 4. Extollere se supra omnem Deum, 5. Negare Christum 1. Joan. 229. Idola colere Daniel. 11. 7. Facere prodigia, & miracula falsa. 8. Imprimere subditis Characterem, Apoc. 13. 9 Blasphemum esse. Dan. 7. 10 Sanctos Dei persequi, ut Hussium, Lutherum, Calvinum. Ad hæc omnia respondendum est, & ostendendum nullo modo convenire Papæ. Igitur.

Dico primò Papam non defeciſſe à fide; Hæretici enim, qui hoc prætendunt, non possunt dicere, quando defecit, nec in quo defecit, nec an remanserit Ecclesia visibilis in illa defectione: si enim remansit, ex quibus componebatur, & ubinam fuit? si non remansit, Christus fuit sine sponsa. Ad primam quæstionem, alii dicunt se ignorare tempus; alii definiunt aliquod tempus, alii aliud; alii denique dicunt non maximè curandum esse de tempore, cùm constet de veritate rei. Ad secundam. Primi dicunt, Papam defeciſſe à Fide, asserendo nullum esse Deum, nullum Christum, nullamque Resurrectionem, aut vitam æternam. Secundi asserunt, defeciſſe astruendo Purgatorium, invocationem Sanctorum, & Indulgentias. Tertii tenent illum defeciſſe in libero Arbitrio, justificatione, Eucharistia, & Traditionibus, Nonne talis diversitas de falsitate arguit?

Dico secundò, Antichristum sessurum esse in templo Dei, ex 2. ad Thessal. 2. sed

non

non in templo Romano, ut hæretici volunt, & probavimus in Quæstiuncula 6. immò in Templo Jerusalem, ut notant antiqui Patres; Damascenus l. 4. c. 24. *In Templo, non nostro, sed veteri Judaico*: Et Cyrillus Cath. 15. *In templo, quod reliquum est Judæorum, absit enim; ut in hoc id fiat, in quo nos sumus.*

Dico tertiò, quòd reverà Antichristus se tanquam Deum ostendat 2. Thessal. 2. sed hoc non facit Papa, qui nec sibi nomen Dei vindicat, neque honorem, neque potestatem ejus. Non vindicat sibi nomen Dei, quia non se vocat Deum honorem Dei, sed servum servorum Dei nuncupatur. Non sibi assumit honorem Dei, sed se illius tantùm Vicarium proclamat. Non denique sibi arrogat potentiam Dei, quia indiget milite, ut conservetur, & medico ut sanetur, quæ duo, sicut alia, redolent infirmitatem.

Dico 4. quòd reverà Antichristus *extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod creditur.* 2. Thes. 2. Sed hoc nullo modo convenit Papæ, qui se vocat servum servorum Dei, & sic cùm se subiiciat in famulatum servorum Dei, tantùm abest, ut se extollat supra omne, quod dicitur Deus.

Dico 5. quòd licèt ex 1. Joan. 2. Antichristus debeat negare Christum. *Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Jesus est Christus? hic est Antichristus.* Sed quis audebit asserere Papam, qui est Christi Vicarius, negare Christum, neque dicto, neque facto corrumpendo doctrinam ejus, cùm sit ipse, qui confirmat subditos suos in Christi Confessione, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, & qui doctrinam Christi commendat.

Dico 6. unam ex notis Antichristi esse cultum idolorum, Dan. 11. *Deum autem Maozim*

in suo loco venerabitur, & Deum, quem ignoraverunt partes ejus, colet auro, & argento. Sed nonne mendacissimus est, qui hoc Papæ imputat: qui è contra mittit quotidiè prædicatores in partes infidelium, ut simulachra idolorum destruat? Nec dicatur adorare panem, & imagines; quia non panem, sed Christum sub specie panis adorat: nec colit absolutè imagines; sed tantùm respectivè, honorando id, quod per illas repræsentatur.

Dico 7. ex Matth. 7. Antichrist. & ejus ministri *dabunt signa magna, & prodigia ita, ut in errorem inducantur, si fieri potest, electi.* Quod falsissimum est de Papa: nam Antichristus Apoc. 13. faciet descendere ignem de cœlo, quod nusquam facere attentavit Papa: sicut nec facere loqui bestiam, ut faciet Antichristus Apoc. 13. Licèt autem Papæ non faciant falsa miracula, hoc tamen non impedit; quin Deus multis eorum gratiam miraculorum dederit, sicut regibus nostris potestatem curandi Strumas. Primum negabunt hæretici, sed secundum ob evidentiam suam fateri cogentur.

Dico 8. ex Apoc. 13. Imprimet Antichristus suis subditis Characterem in manu, vel fronte, quod facit Papa, inquiunt hæretici; qui quidem Character juxta illos est Unctio Chrismatis in Confirmatione, vel professio Fidei Romanæ, aut Fidelitas promissa Summo Pontifici. Sed quòd hæc omnia non sint Character Antichristi, patet, quia hæretici volunt Gregorium Magnum fuisse primum Antichristum, aut unum ex successoribus ejus, hæc omnia autem usitata fuerunt ante ipsum Gregorium, ut constat, ergo non sunt Character Antichristi, aliàs Character Antichristi fuisset ante ipsum Antichristum.

Dico

Dico 9. Antichristum fore Blasphemum, Daniel 6. & 11. Apoc. 13. Dicunt pariter Papam blasphemum esse, 1. quia Deum pingit in forma humana, sed Daniel fuit ne blasphemus, dum dicit se Deum vidisse in tali forma? si viderit, quare non licet pingere? 2. quia fingit Christum esse Legislatorem, sed nunquid blasphemus Isaias dicens, *Dominus legifer noster ipse salvabit nos*? 3. quia dum asserit merita, & satisfactiones Sanctorum, facit Christum non perfectum Redemptorem; sed cur Apostolus non dicitur blasphemus, dum 1. Corinth. 3. dicit, *Unusquisque propriam mercedem accipiet juxta laborem suum*?

Dico ultimò, quòd Antichristus persequetur Sanctos, Daniel 7. & Apoc. 11. Id facit Papa, ajunt adversarii, dum persequitur Vvaldenses, Albigenses, Hussitas, Calvinistas, Lutheranos. Sed proh Deus! quales sancti illi omnes, quorum vita improbissima, mors deplorabilis, & actiones conspirarunt in solam destructionem, & corruptionem Christi sponsæ! Ex his omnibus liquet, mendacissimos, & insolentissimos esse hæreticos; dum pro sua malitiam Papam Antichristum faciunt, ubi nulla notarum, quas Antichristo attribuit Scriptura, Papæ conveniat. Ex quo videre est, qua fronte potuerit dicere Povelus Calvinista, *Deum testor, me tam certò scire, Pontificem Romanum esse magnum illum Antichristum, quàm Deum ipsum esse in cœlo, esse creatorem visibilium, & invisibilium, & Jesum Christum esse verum Messiam.*

Quæres decimò, quid dicendum sit de electione Ministrorum Ecclesiæ, & præsertim majorum, quales sunt Episcopi. Dico pri-

primò, quòd nullus eligendi modus sit juris divini, nullum enim præscribit Scriptura, nec habetur per Traditionem divinam, quod enim dicitur Act. 14. *Cùm constituissent* Paulus, & Barnabas *per singulas Ecclesias Presbyteros*: & Act. 13. *Tunc jejunnates, & orantes imposuerunt illis manus*, & 1. ad Timoth. 4 *Noli negligere gratiam, quæ tibi data est per impositionem manuũ Presbyterii*, non sonat præceptum divinum de eligendis ministris Ecclesiæ per Clericos majores, sed tantùm quid factum sit describitur. Cùm verò dicitur, electionem Ministrorum Ecclesiæ per Clericos esse de traditione Apostolica, quæ est paris momenti ac sacra Scriptura ex Sess. 4. Concil. Tridentini: Respondendum est; duplicem esse traditionem Apostolicam, aliam divinam, quam à Christo acceptam tradiderunt Apostoli, de qua Paulus, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, aliam purè Apostolicam, quam Apostoli, ut Pastores Ecclesiæ constituerunt authoritate propria, ut institutio Quadragesimæ, & Quatuor Temporum, & aliæ quas denotat Paulus 1. Cor. 7. *Præcipio ego, & non Dominus*. Et posteà, *Dico ego, non Dominus*. Primæ sunt Juris D. non secundæ. Institutio ergo Episcoporum per Clericorum electionem est tantùm de Traditione Apostolica secundo modo sumpta, & sic potuit illam immutare Summus Pontifex, & ideò aliquando soli Clerici eligebant, aliquando in electione vox populi est admissa, & nunc in Gallia Papa contulit Regi jus nominandi Episcopos, & Abbates, & solùm retinuit jus conferendi minora Beneficia, & hoc à tempore Concordatorum Leonis X. & Francisci I.

Dico secundò, populum nec habere, nec habuisse nunquam ullum jus ad eligendos

dos Miniſtros Eccleſiæ, quia talium Miniſtrorum poteſtas eſt merè ſpiritualis, populus verò nullam habet poteſtatem, niſi humanam, & civilem: ergo, cùm non poſſit dare id, quod non habet, non poteſt eligere Eccleſiæ Miniſtrum. Deinde illa electio, requirit maximam ſcientiam, & prudentiam in eligente, ut cognoſcatur capacitas eligendi: populus autem omninò ignarus eſt, demens, & præcipitis judicii: ergo, &c. Quòd ſi aliàs admiſſus fuerit ad hoc populus. Reſp. 2. admiſſum fuiſſe ex Cypriano lib. 1. Epiſt. 1. ut plebe præſente, vel detegerentur malorum crimina, vel bonorum merita prædicarentur, unde Concilium Carthaginenſe Can. 22. ad electionem duo requirit: Epiſcoporum examen, & Populi teſtimonium. Reſp. 2. quòd aliquando expectabatur etiam conſenſus Populi, ſolius politicæ cauſæ, ut populi Epiſcopum, in cujus electionem conſenſiſſent, ardentiùs diligerent, & promptiùs ei obedirent. Ille tamen conſenſus populi non fuit abſolutè neceſſarius. *Epiſcopus enim, reluctante plebe, Ordinatus honorem Epiſcopalem retinere jubetur.*

Dico 3. Quòd ſi Imperatores, & Reges aliquando jus eligendi Epiſcopos habuerunt, & nunc etiam habent in Gallia; illud non habuerunt vi Regiæ, & imperatoriæ authoritatis, ſed ex indulto Summi Pontificis, aut Eccleſiæ, quæ v. g. in gratiam beneficiorum à Carolo Magno acceptorum ſtatuit, ne ullus in Pontificem eligeretur, niſi de ejus conſenſu. Idem privilegium contulit Leo VIII. Othoni primo Can. in Synodo diſt. 63. & etiam conceſsum fuit Græcis Imperatoribus longè ante Carolum Magnum, ut diſt. 23. habetur cap. *Agatho*, & regibus

Hispaniæ, ibidem, cap. *Non longè*. At hoc semper est de consensu Ecclesiæ, quia illorum authoritas requirebatur ad canonicam electionem Pontificum: Sicque Leo X. dedit Galliæ Regibus jus nominandi ad majora Beneficia; quod tamen revocari non potest, quia non est gratuitum, sed per modum transactionis; unde vocatur concordatum.

Dico 4. quantum ad electionem Summorum Pontificum, non decet, ut sibi invicem succedant per carnalem generationem, ut in Testamento Veteri: cùm enim nostrum sacerdotium sit longe perfectius, & purè Spirituale, justum est, ut Pontificum propagatio fiat per electionem, quæ spiritualis est; aliàs pueri, ignari, dementes, & incapaces sæpiùs tenerent Petri Cathedram. Non est etiam committenda sortibus electio Pontificis, hoc enim prohibitum est ab Ecclesia, extra, *De sortilegiis*, c. *in Ecclesia*, & in hoc tentaretur Deus. Non expedit denique ut prædecessor eligat successorem; posset enim quilibet eligere Nepotem, & Consanguineum: atque ideò dici posset, *Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei*. Quòd si Petrus nominaverit Clementem, hoc non urget; agebat enim, ut plurimum, inspirationem D. & hoc non consideravit Ecclesia, quæ elegit Linum, & Cletum ante Clementem; & Armacanus dicit, Petrum non elegisse Clementem, sed tantùm dixisse Christianis, quid de eo sentiret. Porrò, licèt Pontifex, non possit eligere sibi successorem, potest tamen condere formam illum eligendi: sic Alexander III. Can. *licet*, extra *de electione* decrevit in Conc. Lateran. ut Papa per solos Cardinales eligeretur, duplici parte illorum suffragante in electionem.

nem.

nem: non quòd per hoc Cardinales habeant potestatem in electum, sed tantùm in electionem. Licèt enim Cardinales designent Papam, non tamen illi authoritatem conferunt, sed solus Christus, ut patet hoc exémplo. Si ex mandato Regis uni pauperi inter plures per procuratorem electo concederetur summa pecuniæ, iste Pauper haberet quidem electionem à Procuratore, sed pecuniam à Rege.

AD DISPUTATIONEM TERTIAM.

De Conciliis prælibatio.

ORdo naturalis postulavit, ut in hoc tractatu, qui est de Ecclesia, loqueremur primò de illa in se considerata: secundò, de ipsius supremo capite, qui est Summus Pontifex: tertiò denique de Conciliis, quæ sunt congregationes quædam à Summo Pontifice convocatæ, cùm aliquid determinandum est, spectans ad fidem, vel ad mores, vel ad aliam necessitatem Ecclesiæ. Cùm ergo hactenus duas primas Disputationes attigerimus, aggredi debemus & tertiam; sed aliquid anteà prælibandum de Verbo Dei: non quidem de Verbo Personali, quod mirabiliter unitum est nostræ naturæ, ut pretium nostræ redemptionis offerret Patri per mortem, & nos docuit media, quibus vitam æternam consequi valeremus: sed de Verbo accidentali nobis concesso ad institutionem Fidelium. Verbum illud triplex est: Scriptum scilicet, quod consistit in Scriptura: non Scriptum, quod est Traditio; & Definitum, seu explicatum per Ecclesiam, sive extra Concilia, nimirum à Summo Pontifice, sive extra Conciliis, ut cum majori facilitate

quiescant hæretici, & fideles determinationi factæ ab universali Prælulum Ecclesiæ consensu. Antequàm igitur de verbo Dei explicato per Concilia, seu de Conciliis agamus, quædam nobis dicenda sunt de Verbo Dei scripto, & non scripto, seu de Scriptura, & Traditionibus.

De Verbo Dei scripto, seu de Scriptura.

SCriptura, quæ nihil est aliud, quàm Verbum Dei litteris consignatum per scriptores ab Ecclesia approbatos, dividitur in Vetus, & Novum Testamentum. Vetus Testamentum est collectio librorum, quæ promittunt Messiam, & præcepta legis antiquæ continent; ubi Novum est collectio librorum, qui præsentem exhibent Christum, & tradunt præcepta legis novæ. Utrumque vocatur jure Testamentum: quia sicut Testamentum est codex, quo declaratur ultima voluntas hominis, sic in libris sacris continetur voluntas Dei, & lex, quam vult Deus servari ab hominibus, ut possideant hæreditatem æternam. Librorum veteris Testamenti, alii sunt legales, ut Geneseis, Exodi, Leuitici, Numerorum, & Deuteronomii, qui sunt quinque Libri Moysis. Alii sunt Historiales. ut Josue, Judich, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdræ tres, cum quarto, qui inter apocrypha scribitur & Tobias, Judith, Esther, Job, Machabæorum duo, & Psalmorum, qui sunt diversi generis. Alii sunt, Sapientiales, ut Proverbia, Ieccleſiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Alii denique libri sunt Prophetales, quatuor scilicet Majorum Prophetarum, qui sunt Isaias, Jeremias,

mias, Ezechiel, & Daniel, & duodecim Minorum qui sunt Oseas Joel, Amos, Michæas, Abdias, Jona, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias. Et sic in Veteri Testam. sunt quadraginta duo libri. Ad libros autem Novi Testamenti spectant quatuor Evangelia, nimirum Matthæi cum viginti octo capitibus, Marci cum sexdecim, Lucæ cum viginti quatuor, & Joannis cum viginti uno; Acta Apostolorum; quatuordecim Epistolæ D. Pauli, una D. Jacobi, duæ D. Petri, tres D. Joannis una Judæ, & denique Apocalypsis. Evangelia Novi Testam. correspondent libris Legalibus Moysis; Acta Apostolorum, Historialibus; Epistolæ Pauli, & aliorum Sapientialibus; & Apocalypsis Prophetalibus. Porro omnes illi libri Canonici sunt, quia sunt scripta ex speciali instinctu Spiritus S. ut tota Ecclesia, quæ continua successione ab initio nativitatis suæ usque ad tempora nostra pro canonicis semper habuit hos libros.

Libri isti dicuntur Canonici, quia relati sunt in Canone, seu in Catalogo Librorum sacrorum à Deo inspiratorum Scriptoribus. Hic Canon habetur in conc. Trid. Sess. 4. Patres hujus concilii illum acceperunt ab Eugenio Papa in conc. Florent. ex Bartholomeo Carranza in Summa conciliorum, Eugenius illum accepit à Gelasio Papa in conc. Romano, Gelasius ab August. l. 2. de doctrina Christ. c. 8. August. à conc. Carthaginensi 3. quod alii quintum, aut sextum vocant, & Patres hujus concilii ab Innocentio I. Ep. 3. ad Exuperium c. 7. Innocentius autem vixit Ann. 402. Unde per continuam traditionem à primitiva Ecclesia ad nos usque pervenit il-

le canon. Quòd si Calvinistæ expungunt Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, & Machabæos, & præter hos libros reiiciunt Epistolam ad Hebreos, B. Jacobi, B. Judæ; & Apocalypsim: nil mirum est, quia imitantur in hoc Manichæos, de quibus August. l. de bono Perseverantiæ scripsit, *Scripturas sic accipiunt, ut suo quodnam privilegio immò sacrilegio, quod volunt, sumant; quod nolunt, reiiciant.* Quòd si Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, & Machab. non fuerint in Canone Judæorum, hoc non necessarium est, quòd soli libri habeantur Canonici apud Christianos, qui tales erant apud Judæos, *Ecclesia* enim, *non Judæi, pro canonicis habet illos*, ex August. l. 18. de Civ. Dei c. 36. Sic & Isidorus in procœmio de libris Veteris, & Novi Testamenti. Si denique aliqui Patres, qui scripserunt ante Innocent. IV. & August. excluserint hos libros à Canone; hoc est, quia licèt extarent multi codices, in quibus hi omnes libri pro canonicis habebantur, attamen ille numerus quem tenet Ecclesia, nondum ab eo determinatè definitus fuerat: sed primus, qui illum determinavit, fuit Innocentius, cujus definitionem secutus est August. cum aliis Episcopis Africæ in Conc. Carthag. Exuperius cum Episcopis Galliæ, Gelasius in Conc. Rom. totus denique orbis, exceptis Luthero, & Calvino. Porrò, quoad Machabæos, nil mirum, si non reperiantur in Can. Judæorum: quia cùm consignatus fuerit ab Esdra, vel ejus tempore, nondum erant scripti libri Machabæorum.

Quantùm ad versionem Scripturæ, quæ est multiplex nempè Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Græca, & Vulgata, quam Italam vocat Augustinus; hanc ultimam est retinendam

cum

cum suis partibus, decrevit Conc. Tridentinum; quia scilicet textus originales puri non remanserunt, sed corrupti sunt partim per malitiam Judæorum, & Hæreticorum, partim per errores aliorum. Vulgata autem ex his textibus nondum corruptis, & depravatis depromta fuit, & sic remansit purior. Quantùm ad sensum Scripturæ, duplex est, nempè litteralis, seu Historicus, & Moralis, seu Misticus: Litteralis est ille, qui immediatè significatur per verba, ut cùm dicit Paulus, 1. Corinth. 10. *Patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem spiritalem potum biberunt*, hæc verba litteraliter explicata significant id, quòd immediatè denotatur per verba, nempe filios Israel transisse mare rubrum, ambulasse sub nube, comedisse Manna in deserto, & bibisse aquam de Petra. Sensus Moralis, seu Mysticus ille est, qui non significatur immediatè per verba, sed per res significatas verbis, ut in textu allegato, ubi per exitum Israelitarum ex captivitate significatur exitus à servitute peccati per Christum: per mare rubrum baptismus, per mannà corpus Christi, & per aquam sanguis ejus.

Sensus Mysticus, seu moralis triplex est, nempe Allegoricus, Anagogicus, & Tropologicus; quorum Allegoricus respondet Fidei Anagogicus Spei, & Tropologicus, seu Moralis, Charitati, juxta hos duos versus.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quos tendas Anagogia.

Hoc est, sensus Allegoricus est, quando verba præter sensum litteralem, quem habent, significant aliquid, quod spectat ad Fidem: ut quando dicitur Abraham habuisse duos

filios

filios, unum de ancilla, alium de libera hæc verba præter ea, quæ significant litteraliter significant Allegoricè Deum, qui habet duos populos, Judaicum ex ancilla, quia remansit sub captivitate peccati; & Christianum ex libera, quia fuit sub libertate legis gratiæ. Sensus Moralis est, cùm verba Scripturæ, præter sensum litteralem, significant aliquid, quod pertinet ad Charitatem, ut cùm dicitur Deuteron. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, hoc interpretatur moraliter de sustentatione Prædicatorum. Sensus denique Anagogicus est, quando præter sensum Litteralem significatur aliquid concernens gloriam Dei, Ps. 94. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Litteraliter hoc intelligitur de terra promissionis, & Anagogicè de vita æterna. Porrò unus, & idem Scripturæ textus multiplicem habet sensum: omnia v. g. dicta, & facta à Christo sunt intelligenda litteraliter, sed præferunt sensum spiritualem, ita quòd, si cæcos illuminet, claudos erigat, &c. hoc denotet spiritualiter mirabiles operationes quas circa peccatores habet.

Novum Testamentum, quod sic denominatur, quia novos affectus, novosque ardores circa Deum excitat, pro nobiliori parte habet quatuor Evangelia, qui viram Christi continet, & sunt veluti quadrigæ, quibus Filius Dei incarnatus per orbem vectus subegit populos. Illi quatuor Evangelistæ inter se concordant, ita quòd ab uno non negetur, quod affirmatur ab alio, ut probat Aug. lib. de consensu Evangelist. licèt aliquid dicatur ab uno brevius, ab alio prolixiùs, vel diverso ordine, vel ab uno omittatur, quod alius scribit. Factum est ex suggestu

Spi-

Spiritus S. quòd plures sint Evangelii scriptores, ut magis confirmaretur ejus veritas. Matthæus, qui Hebraicè scripsit, exordiutur ab humanitate Christi, cujus generationem narrat; ideò repræsentatur sub forma Hominis; Marcus, quasi abbreviator Matthæi, incipit à prædicatione Joannis, quem ut Leonem rugientem, ac peccatores voce sua terrentem exhibet; unde insignitus figura Leonis: Lucas initium sumpsit à sacrificio Zachariæ Sacerdotis, unde figuratur Bove quod est animal sacrificio destinatum: Joannes denique; super alios se efferens, à divinitate Christi incipit, & ob hoc per Aquilam designatur Quantùm ad librum Actuum Apostolorum, author ipsius est Lucas, qui in illo describit gesta Apostolorum in infantia Ecclesiæ, & promulgatione Evangelii.

De Verbo Dei scripto, seu de Traditionibus.

SAcra Scriptura pro sua altitudine multis, & diversis sensibus accipitur, unde aliter illam interpretatur Arius, aliter Nestorius, aliter Eunomius, Photinus, Eutyches, Donatus, Macedonius, Pelagius, & alii hæretici, ideò multùm necesse est propter tot, & tantos errorum anfractus, Apostolicum, & Ecclesiasticum sensum exquirere, qui haberi potest partim in Traditionibus, quæ in Patrum scriptis continentur; partim verò in definitionibus Ecclesiæ, Papa, vel à concilio generali procedentibus: Unde, postquam diximus aliquid de Scriptura, de Traditionibus aliqua addenda sunt, ut posteà ex professo agamus de conciliis.

Traditio in se est doctrina viva voce ac-

ce-

cepta, continua ſucceſſione ab authoribus in poſteros derivata, firmata conſuetudine, licet in libris canonicis non reperta, ſed conſignata in ſanctorum Patrum codicibus. De Patribus Auguſt. loquitur lib. 2. contra Julianum, *Quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt*, &c. *Talibus poſt Apoſtolos Plantatoribus, Rigatoribus, & Paſtoribus crevit Eccleſia*. Traditionum aliæ Veteris Teſtamenti, aliæ Novi. Veteris Teſtamenti aliæ Moſaicæ, & ad ſalutem neceſſariæ: Aliæ Phariſaicæ, quas Chriſtus arguit; non quod omnes eſſent malæ, ſed aliquæ erant bonæ, & aliquæ indifferentes; ſed ideò illas Chriſtus reprehendit, quia ex illarum obſervatione intumeſcebant, affectabant opinionem ſanctitatis, & eas obſervando, quæ non erant neceſſariæ, præcepta legis negligebant. Traditiones Moſaicæ erant verbi gratia quòd omnes, & ſinguli libri, qui in Canone Judæorum conſignabantur, erant Canonici: quod ſemellæ habebant remedium contra Peccatum Originale qualecumque fuerit; quòd cruenta eorum Sacrificia, ſignificaverunt mortem Chriſti. Saltem Doctorres, & Legis Periti, qui tenebantur alios docere, hoc ſcire debebant. Traditionis Phariſeorum erant: quòd ante ſumptionem cibi lavandæ eſſent manus, & multoties in refectione repetenda hæc lotio Matth. 15. *Quòd venientes è foro loti eſſe debebant ante ſumptionem cibi*, Marc. 7. *Quòd cum peccantibus non eſſet ſumendus cibus*, Matth. 9. *Quòd non permitterent ab illis tangi*. Luc. 7. *Quòd rerum minutiſſimarum decimæ eſſent offerendæ*. Matth. 23. &c.

Tra-

Traditiones Novi Teſtamenti, aliæ ſunt ivinæ, quæ doctrinam exhibent ab ipſo o. e Chriſti manentem, nec in Scriptura nec n Apoſtolis expreſſam, ut doctrinam ſpeans ad Materiam, & Formam Sacramenorum: Aliæ ſunt Apoſtolicæ, quæ ex inſtinctus Spiritûs ſancti traditæ ſunt, & inſtiutæ ab Apoſtolis voce tantùm, ut jejunium Quadrageſimæ, & 4. Tem. ut ſcribit D. Leo erm. de Quadrageſima: Aliæ ſunt Eccleiaſticæ, quæ ſunt conſuetudines quædam ntroductæ à Conciliis, vel Patribus, aut iris ſanctis, quæ paulatim tacito populorum onſenſu vim legis obtinuerunt. Aliæ ſunt uiiverſales pro tota Eccleſia. Aliæ particulaes pro particularibus Eccleſiis. Aliæ ſunt erpetuæ, aliæ ad tempus, ut abſtinentia à uffocato, & ſanguine, & Apoſt. decreta in Conc. Hieroſolymit. Act. 15. Aliæ ſunt neceſſariæ, quæ dantur in forma præcepti ut obſervatio diei Dominicæ, & jejunium Quadrageſimæ. Aliæ ſunt de conſilio, ut quædam conſuetudines in Eccleſia inductæ ſine alia lege. Porro, Traditiones divinæ, quas Apoſtoli acceperunt ab ore Chriſti, parem habent authoritatem ac Scriptura, non verò illæ, quas ipſi inſtituerunt ex propria authoritate Paſtorali. Quoad juſtificationem Traditionum, & ſolutionem argumentorum, quæ proponunt adverſarii adversùs illas, hæc habentur in Diſp. de Fide.

DISPUTATIO TERTIA.

De Conciliis.

QUod ſunt comitia in Regno, hoc ſunt concilia in Eccleſia, nam & ſicut cùm

oriun-

oriuntur controversiæ in Repub. in unum conveniunt Rex, & triplex status regni scilicet Clericorum, Nobilium, & Plebejorum: sic, quando in Ecclesia reperitur aliqua difficultas circa Fidem, vel circa Mores, vel circa aliam rem, convocantur à Summo Pontifice Eccles. Præsules, qui examinatis ad amussim rebus propositis, determinant, quid factus opus sit; & hoc vocatur concilium, cujus determinationes dicuntur Verbum Dei definitum, sicut Scriptura nuncupatur Verbum Dei Scriptum, & Traditionis Verbum Traditum. Quid dicendum sit de conciliis, videbitur in quadruplici Capite; in primo quorum agetur de conciliis in genere; In secundo de Conciliis generalibus cujuslibet sæculi, In tertio de conciliis particularibus, saltem illustrioribus, quæ cælebrata fuere; in quarto denique habebitur quædam accurata, & brevis Summorum Pontificum Chronologia.

CAPUT PRIMUM.

De Conciliis in genere.

UT cuncta cum ordine dispensetur, videndum est primò, quæ spectant ad Concilia in communi, ut posteà facilius cognoscatur, quid de conciliis in particulari sentiat Ecclesia.

QUÆSTIO PRIMA.

Quænam sit Origo Conciliorum.

CONcilium in genere nihil est aliud quàm Congregatio, & Conventus hominum

pru-

prudentum, publica authoritate convocato-
um ad tractandum de commodis, sive ne-
cessariis Reipublicæ. Aliud est sæculare,
pro temporalibus congregatum: Aliud Ec-
clesiasticum, pro spiritualibus concernentibus
Ecclesiam.

CONCLUSIO.

LIcèt hæretici contendant, concilia esse humanæ inventionis, probabilius tamen est, Conciliorum originem esse divinam ex traditione scilicet: nam de illis legitur in Veteri Testamento num. 16. *Viri proceres Synagogæ, qui tempore concilii per nomina vocabantur.* Et in Novo Testamento probabile est Apostolos, non nisi afflante Spiritu sancto primum Concilium congregasse; quoniam in determinatione sua ipsi dixerunt Act. 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Unde concilium Chalcedonense in Epist. ad Leonem, Celestinus Papa in Ep. ad concil. Ephesinum, & conc. Tolet. 3. docent Concilia esse demonstrata verbis Matth. 28. *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.*

Primum conciliorum legis novæ, fuit concilium Hierosolym. sub Petr. an. Christi 44. fuerunt tamen anteriora absolutè, in Synagoga scilicet, ubi multæ Synodi sunt congregatæ, prout necessitas temporum postulabat, Primum celebratum est an. mundi 2709. in Sichem sub Eleazaro Pontifice, Josue, & Senioribus assidentibus, ad prohibendum societatem cum Gentibus, auferendum Deos alienos, & sepeliendum ossa Joseph, Josue 24. Secundum fuit Hierosolymis, sub Summis Pontif. Sadoch, & Abiathar, regnante. Davide, anno 3020. pro distri-

buen-

buendis Levitis in varias classes ad ministe
rium templi, & reperti sunt numero 38000.
2. Paralip. 29. Tertium fuit etiam Hierosol
sub Azaria Sum. Pontif. & Rege, pro re
stituenda religione, templo, ceremoniis, &
re divina juxta dispositionem, & canone
David. Habitum est anno 3309. Mentio fi
de illo 2. Paralip. 29. Quantum fuit Hero
solymis an. 3412. suo Rege Josia, & Pon
tif. Helcia pro restituenda religione sub im
piis Regibus pessumdata, pro repurgandc
Templo, Paschate celebrando juxta majorum
ritus, & Ariolis expellendis, 3. Reg. 23.
& 2. Paralip. 34. Quintum fuit Hierosol.
sub Eleazaro Pontif. & Nehemia duce anno
3609. pro restituendo codice, & canone sa-
crarum scripturarum; major enim pars libro-
rum Veteris Testamenti perierat in captivi-
tate Babylonica, quando civitas, & templum
eversa sunt, ita ut Esdras, Spiritu sancto
dictante, libros deperditos ex memoria de-
promptos conscripserit, & alios collegerit ex
personis privatis, quæ aliquos eorum serva-
verant. Sic Suidas, & Chrysost. Homil. 8.
in Epist. ad Hebræos, Sextum adhuc Hie-
rosol. an. 3793. sub Eleazaro Pontif. pro mi-
tendis in Ægyptum 72. interpretibus. Vo-
luit enim Rex Ægypti Ptolomæus Philadel-
phus, ut Eleazarus Pontifex ad se mitteret
libros, quos divinos esse audierat, & homi-
nes doctos, qui ex Hebræis illos redderent
Græcos. Unde Pontifex Concilium coegit,
quo concluſum est, nominandos esse septua-
ginta duos seniores, sex de qualibet Tribu,
qui in Ægyptum se conferrent, sacrumque
codicem ex Arca sanctuarii extractum illi of-
ferrent. Re sic acta, Prolomeus sapientes
illos in insulam Pharos & in singullas cellas
reclu-

recluſit, ut verſioni horum librorum operam darent, & tam admirabilis inter illos viſus eſt conſenſus, ut nec in verbis, nec in verborum ordine, nec in ſenſu ulla reperta fuerit diverſitas, inquit Auguſtinus, lib. 19. de Civit. Dei cap. 42. Septimum fuit Alexandrinum ſub Jonatha Pontifice, & Ptolomeo Philadelpho Rege Ægypti. Vel potiùs diſputatio fuit inter Judæos, & Samaritanos pro ſua religione; Judæi enim contendebant pro Templo Hieroſolymitano, quod ſolum dicebant legitimum, & Samaritani pro templo Gariſitano. Cauſa audita eſt coram Rege, & judicatum Templum Hieroſolymi. eſſe legitimum. An. 3859. & hoc tantùm propter continuam ſucceſſionem Pontificum, quam non habebant Samaritani, qui erant hæretici, & noſtris in hoc ſimiles. Vide Joſephum lib. 13. cap. 6 exemplaris Græci. Octavum fuit ſub Juda Machab. contra Saducæos hæreticos, non admittentes Reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum ex Matth. 22. Nonum fuit Hieroſolymitan. ſub Herode Rege, & Matathia Sum. Sacerdote. Anno 4051. de quæſtione, ubi Chriſtus naſceretur. Matth. 2. Decimum eſt Hieroſolymitanum ſub Caipha Pontif. & Tiberio Imperat. quod fuit celebratum propter miracula Chriſti an. ejus 33. ubi reſpondit Caiphas, *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat, hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius*, ex Jo. 11. Ex his ultimis verbis patet, Caipham non loquutum fuiſſe ex inſtinctu Spiritus maligni ipſum obſidentis; ſed ex inſtinctu ſpiritus ſancti, qui etiam malos in dignitate conſtitutos movet ad vera dicenda, maximè dum agitur de utilitate

ſub.

subditorum. Ultimum fuit Hierosol. sub eodem Caipha, & Tiberio Imper. dum captus esset Jesus ex Matth. 26. in quo concilio Caiphas cupidus mortis Jesu, memorque prioris sententiæ, Jesum captiosè alloquitur dicens, *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Quòd si hoc concilium erravit, & Pontifex, dicendo, Christum esse reum mortis, nil mirum quia cùm Christus incipiebat mori, Synagoga incipiebat deficere, & carere assistentia Spiritus sancti, quæ Pontifices reddebat infallibiles.

Porrò apud Judæos duplex erat Tribunal seu concilium ad dirimendas controversias; horum unum erat minus, quod constituit Moyses in singulis civitatibus ex consilio soceri sui Jetro, ut habetur Exodi 18. Aliud erat majus, institutum ex mandato Dei ex Num. 11. Inter illa fuit hoc discrimen: Primò, majus erat in Hierusalem, minus erat in civitatibus singulis. 2. in majori judicabantur majores controversiæ, in minori faciliores. 3. in majori præsidebat Pontifex, in minori non item. 4. à minori licebat appellare ad majus, non è contra. 5. in majori erant septuaginta personæ præter Pontificem, in minori erat tantùm viginti tres. 6. majus vocabatur *Sanedrim*, vel *Sinedrim*, de minori non item.

QUÆSTIO II.

Utrùm Concilium generale necessarium sit?

VIgorius sustinet, concilia generalia esse absolutè necessaria, quia nulla ab antiquis reperta est expeditior ratio ad confir-

firmandam pacem in tota Ecclesia, quàm ea quæ à Christo tradita est, sive ad hæreses extirpandas, sive ad schismata tollenda, sive ad Ecclesiam reformandam in capite, & in membris. Nos verò dicimus quidem concilia esse necessaria secundùm quid, id est, maximè utilia, quia reverà hæretici facilius ab errore resipiscunt, & schismate facilius tolluntur, dum vident se ab universali consensu Prælatorum condemnari, quàm si solus Pontifex illos condemnaret, licèt ex cathedra.

CONCLUSIO PRIMA.

CONcilia Generalia non sunt absolutè necessaria. Quia non sunt primò necessaria ad extirpandas hæreses, quoniam primis trecentis Ecclesiæ annis, in quibus non fuit ullum concilium generale, multæ, & variæ hæreses extinctæ sunt, vel à Romanis Pontificibus, *quibus* ex Cypriano lib. 1. Epist. 3. *obedire debet fraternitas universa*; vel à Conciliis Provincialibus, vel denique ab Episcopis particularibus: Immò paucæ sunt hæreses damnatæ à conciliis, ex Augustino citato in Disp. præcedenti. Secundò non sunt congreganda Concilia ad Schismata tollenda: nam si Schisma ortum tempore Sigismundi Imp. & Caroli VI. Regis Francorum extinctum fuerit per concilium Constantiense, ubi loco Benedicti XIII. Gregorii XII. & Joannis XIII. qui se prætendebant Pontifices, substitutus est Martinus quintus: plusquam viginti quinque Schismata sopita sunt sine conciliis generalibus, ut Novati cum Cornelio, Ursini cum Damaso, Laurentii cum Simmacho, Anacleti cum Innocentio II. Caroli cum Alexandro, Grægorii cum Urbano

IV. &c. & hoc per Cardinales, ad quos jure, vel consuetudine devolvitur judicium Pontificiæ potestatis. Quare ergo non potuisset sic terminari Schisma istud: nempe vel per Cardinales vel per Clerum Romanum, vel per Episcopos Comprovinciales, maximè cùm sit summa difficultas in Congregatione concilii generalis. Tertiò, non sunt congreganda concilia generalia, ut resistatur communi hosti Ecclesiæ, nimirum Turcæ, quia posset bellum indici sine concilio; & Deus, qui Ecclesiam conservavit contra Neronem, Diocletianum, & Domitianum, & alios tyrannos crudeles, poterit illam conservare contra Turcas. Quartò, concilia generalia non sunt absolutè necessaria ad reformandos abusus Ecclesiæ; hoc enim fieri potest in membris per leges Summi Pontificis, & conciliorum provincialium decreta; in capite verò per admonitionem charitativam proborum virorum, & etiam per increpationem reverentialem Prælatorum.

Obiicies posse dubitari de electione Pontificis, vel oriri suspicio aliqua de hæresi in illo. Resp. in hoc consulendos esse Cardinales, qui cùm Pontificem elegerint, noverunt, an electio sit legitima, nec ne; unde ob hoc nulla concilia convocata fuere; sicut nec ob aliud inconveniens; quandiu enim verè est Pontifex, non potest judicari, nisi suam concilio cedat authoritatem, quam potest etiam concilio provinciali cedere; & sic, si Hæreticus censeatur, novum creabunt Cardinales; si Fidelis, remanebit.

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

LIcèt Concilia generalia non ſint abſolutè neceſſaria, ſunt tamen ſummè utilia & proinde neceſſaria ſecundùm quid. Auguſtinus enim Epiſt. ad Januarium ait, ſalutberrimam eſſe in Eccleſia Conciliorum authoritatem; & Gregorius Cap. *ſicut Sancti*, quatuor prima Concilia, tanquam Evangelia veneratur. Deinde, Apoſtoli, qui omnium chariſmatum, & proinde infallibilitatem in die Pentecoſtes receperant, & poterant ſinguli ſeorſim definire controverſiam de ceſſatione Legalium, maluerunt eligere medium ordinarium, nempe congregationem concilii, ad relinquendum exemplum poſteris, ut in dubiis de fide recurrerent ad concilia, Tertiò, maxima commoda in Eccleſiam redeunt ex conciliis, quia conſervatur per hoc meliùs unitas Fidei, dum ſubſcribunt Epiſcopi articulis, quos in ſuis ſubditis ſe declaraturos promittunt; & magis confunduntur Hæretici, cum omnium Prælatorum judicium illis opponitur. Adde quod non omnes Catholici conveniunt de fallibilitate Pontificis, ubi nullus dubitat de conciliorum infallibilitate; ergo Concilia ſunt maximè utilia.

Non minus tamen immeritò dicit Vigorius, nullam expeditiorem viam reliquiſſe Eccleſiæ, ad extirpandas hæreſes, &c. Cùm enim concilia generalia ſine maximis laboribus, & expenſis: magnis difficultatibus, & longo tempore non poſſit convocari, peſſimè conſuluiſſet Eccleſiæ, ſi medium facilius non illi reliquiſſet: nimirum Summum Pontificem ex Cathedra loquentem; maximè

quando urget neceſſitas Eccleſiæ.

QUÆSTIO III.

Quotuplex ſit Concilium?

QUoniam loqui nobis tantùm convenit de conciliis quæ congregantur in Eccleſia, nolumus dividere concilium in genere, quatenus convenit ſæculari, & Eccleſiaſtico; ſed de hoc ultimò tantùm loquemur, de quo erit.

CONCLUSIO PRIMA.

QUadruplex eſt conciliorum genus; alia enim ſunt concilia generalia, alia Nationalia, quædam Provincialia, & quædam Diæceſana, ſeu Synodalia. Concilium generale eſt congregatio majorum Prælatorum Eccleſiæ de toto orbe Chriſtiano, nullo excluſo authoritate Pontificis convocata, ad aliquod negotium Eccleſiam concernens tractandum communi intentione; ipſo Summo Pontifice præſidente, vel aliquo Legato gerente ſuas vices. Concilium Nationale eſt illud, quod componitur ex Patriarcha, vel Primates, & Archiepiſcopi; & Epiſcopis alicujus nationis. Modò dicitur Generale per comparationem ad Provinciale, & Diœceſanum; & modò Particulare per reſpectum ad Generale. Provinciale eſt illud, quod celebratur ab Archiepiſcopo, & coaleſcit ex congregatione Epiſcoporum ſuffraganeorum. Tandem Diœceſanum; ſeu Synodale eſt illud, in quo conveniunt tantùm Paſtores unius Diœceſis cum ſuo Epiſcopo.

CONCLUSIO SECUNDA.

ALiam divisionem affert Bellarminus omnino notatu dignam, & ad cognitionem conciliorum conducentem, quòd in causa fuit, ut illam tradere conveniens omnino judicaverim. Conciliorum ergo, ait Bellarminus, lib. 1. de conciliis cap. 5. alia sunt omnino approbata, recepta ab Ecclesia; alia sunt omnino approbata; alia tandem partim approbata, & partim reprobata.

Concilia generalia totaliter approbata sunt decem, & octo, nimirum, Nicænum primum Constantinopolitanum 1. Ephesinum. 1. Chalcedonense, Constantinop. 2. Constantinop. 3. Nicænum 2. Constant. 4. Lateranense 1. Lateran. 2. Lateran. 3. Lateran. 4. Lugdunens. primum, Lugdunense 2. Viennense, Florentinum, Lateranense 5. & Tridentinum. De singulis horum conciliis agemus posteà.

Concilia generalia totaliter, reprobata, sunt concilium Anthiochenum an. 354. sub Constantio, in quo damnatus est Athanasius, & via aperta ad destructionem concilii Nicæni. Mediolanense Anno 354. tempore adhuc Constantii, qui Arianis favebat. Arimi-nense an. 363. in quo ablatum est de Symbolo nomen ὁμοούσιος, & in quo Patres subsignaverunt confessionem, quæ Orthodoxa videbatur, attamen erat Ariana; unde Hieronymus dicebat, quòd miraretur universùs Orbis, se Arianum videre. Initio tamen concilii condemnaverunt Arianos, sed tandem corrupti sunt ab Arianis. Ephesinum quartum sub Theodosio juniore an. 449. reprobatum est, in eo occisus fuit S. Flavianus Episcopus Constantinop. Legati Papæ fugati sunt, &

Hæresis Eutychiana confirmata fuit. Quintum est Constantinop. sub Leone Isauro an. 730. contra sacras Imagines; in illo nullus Patriarcharum convenit, præter S. Germanum, qui ejectus est è sede Constant. quia concilio restitit. Sextum est Constant. an. 755. sub Constantino Copronymo, in quo abolitæ sunt Imagines: nullus Patriarcharum adfuit, excepto Pseudo Episcopo Constant. Septimum fuit Pisanum an. 1511. sub Imp. & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus contra Julium II. cui opponitur concilium Lateranense.

Concilia generalia partim approbata, partim reprobata sunt: primò concilium Sardicense, ubi Orientalem Fidem. Arianam subscripserunt, & Occidentales & retinuerunt Catholicam, an. 311. Secundò, concilium Sirmiense an. 356. initio Patres fecerunt confessionem Orthodoxam, & ideò partim approbatum est; & postea aliam omnino Arianam, & ideò reprobatum Osius Cordubensis Episcopus illustrissimus Fidei defensor subscripsit Arianæ confessioni ætate centum annorum: multùm tamen postea ipsum penituit. In hoc conc. damnata est Hæresis Photini. Tertio, Quinisextum, sic dictum quia non est Synodus quinta nec sexta, sed addidit Canones quintæ, & sextæ, qui nulli erant in illis: & quia tempore Justiniani illi Canones fuerunt facti Constantinop in Palatio, quod dicitur Trullum. dicti sunt illi Canones n. 102. Trullani, & Concilium in Trullo. Quia non interfuit Papa, nec Legati illi concilio, partim reprobatum est à Sergio Papa, & quia aliqui Canones approbati sunt, ut 28. de imaginibus pinguendis, partim approbatum dicitur. Quartò concilium Francofordiense est partim approbatum,

in hoc

in hoc scilicet, quòd definierit. Christum non esse Filium Dei adoptivuum; & partim reprobatum, quia damnavit sextam Synodum Quintò, Constantiense fuit tale etiam primo enim Sessiones, ubi definitum est. Papam subdi concilio, reprobatæ sunt ex Bellarmino in conc. Florent. & Lateran. ult. Aliæ verò, quas Martinus V. approbavit, ab omnibus recipiuntur An. 1414. inchoatum est sub Joanne XXIII. & finitum sub Martino V. an. 1418 Basileense tandem nihil habet ratum, & sic potius est inter absolutè reprobata.

QUÆSTIO IV.

Ad quem spectet convocatio Conciliorum?

LUtherus, Brentius, Magdeburgenses, Calvinus, & Vigorius hoc spectare ad Imperatorem sentiunt: Jurisconsultus Parisiensis Moliænus, asserit concilium Trid. non esse recipiendum, quia à Papa, non ab Imperatore indictum est. Et est ratio, quam allegant Protestantes in suo libello, propter quam non comparuerint in illo concilio. Contrarium tenent Catholici, Imperatorem scilicet non posse convocare concilium, nisi per viam exorthationis: hortando scilicet pro bono pacis in Ecclesia, ut Prælati conveniant simul pro concilio celebrando; aut nisi per modum authoritatis executoriæ, cogendo scilicet tanquam legum Ecclesiasticarum executor esset, omnes Prælatos, ut ad concilium veniat; præceptivè tamen, & ex authoritate propria concilium indicere non posset.

CONCLUSIO.

A Solo Romano Pontif. concilium convocari potest. Primò, quia ille solus indicere potest concilium, qui habet jus cogendi omnes Prælatos universi orbis: ut Imperator non habeat talem potestatem nequidem civilem, super omnes Episcopos, cùm non dominetur orbi Christiano, sed tantùm Pontifex: ergo hoc non spectat ad Imp. sed ad Pont. f. Rom. Secundò, quia Calvinus lib. 4 Inst. c. 7. sect. 8. & alii, fatentur concilia Nationalia, Provincialia, & Synodalia convocari à Patriarcha, vel Primate, ab Archiepiscopo, & ab Episcopo: ergo etiam Summus Pontifex potest congregare generalia, quia non minorem habent authoritatem Rex, aut Dux Provinciæ super suos subditos quàm Imperator circa suos; unde si Imperator jus habeat convocandi concilium generale, & Reges, & Princeps congregare poterunt Nationalia. Tertiò, quia Valentinianus Imperator requisitus à quibusdam Episcopis: ut illis permitteret concilium celebrare, respondit inquit Soxomenus, lib. 9. c. 7. *Sum qui stem in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari. Sacerdotes, quibus ista cura sunt; quocumque voluerint loco, conveniant.* Quartò, quia Imperator est ovis, Papa est Pastor nonnè ergo potius competit Pastori congregare oves, quam ovi congregare Pastores.

Confirmatur hæc conclusio authoritate, Marcellus enim primus Epist. ad Episcopos Provinciæ Antiochenæ, an. 296. vel 397. de Apostolis loquens ait, *Iidem inspirante Domino constituerunt, ut nulla Synodus fieret praeter authoritatem Summi Pontificis.* Hoc determi-

navit

navit concilium Nicænum posteà ; ut patet ex Epist. Julii ad Episcopos Antiochenos, & ex Sozomeno lib. 3. c. 9. & ex Innocentio I. arguente Episcopos Orientales, quòd celebraverint Synodum Antiochiæ, inconsulto Pontifice, contra prohibitionem concilii Nicæni, *Sancti Patres unanimiter in Nicæna Synodo statuerunt, ut Synodus suo tempore Apostolica authoritate convocetur.* In Synodo Chalcedonensi, quæ est 4. generalis, Dioscorus Patriarcha Alexandrinus privatus fuit loco, quem in concilio tenebat, & coactus in medio concilii respondere coram Legatis de temeritate, qua convocaverit concilium Ephesi sine licentia Papæ S. Leonis, ex conc. Chalced. act. 1. versu. *Petro religiosissimo.* Athanasius apud Gregorium 7. in Apologetico super decreta concilii Romani contra Simoniacos, *Scimus in Nicæna magna Synodo* 318. *Episc. ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Pontif. Rom. sententia, Concilia celebrari* : Porrò, quòd hoc jus pertineat ad Sum. Pont. ex Traditione Apostol. patet ex Greg. 7. Epist. *Gaudeamus, dilectissimi* 1 tit. *Dictus Papa* in concil. Roman. præcitato pronuntiat, *Ipsi Apostoli, & eorum successores, Domino inspirante, constituerunt, ut nulla fieret Synodus prater Romanæ Sedis authoritatem*, Leo decimus in conc. Lateran. ult. sess. ult. Constit. *Pastor æternus*, definivit concilia absque authoritate Pontif. congregata, nulla esse, quia ex Socrate prohibent Canones, Legis fieri pro tota Ecclesia, sine licentia Pontif. lib. 2. cap. 5. & 13.

Obiicies. Constantinus Imperator convocavit, Nicænam Synodum : Theodosius Constantinopolitanam : Constantius Sardi-

censem: Theodosius junior Ephesinam Martianus Chalcedonensem; & sic de multis aliis. Resp. solam Papæ authoritatem reddere concilium legitimum in foro interiori: Principum tamen authoritas necessaria est in foro exteriori, ut scilicet decisiones ejus executioni mandentur per brachium sæculare. Sic Eminentiss. Cardinal. Petronius in replicat ad Angliæ Regem lib. 1. c. 42. propterea Patres curabant, ut in fronte concilii apponerentur hæc verba, *Sacrosanctum, & Oecumenicum Concilium authoritate Imperatoris congregatum*, Ob hoc Constantinus ad Patres Synodi Nicænæ dicebat, *Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo Episcopus constitutus sum*: Eusebius in vita Constant lib. 4. c. 24. Quod si aliqua convocata fuerint ab Imp. contradicente Pontifice nulla fuerunt: ut Ephesinum 2. à Theodosio juniore, quòd propterea dictum est *Latrocinium*, Constantinopolitanum, congregatum à Constantio Copronymo contra imagines, & cæt. Quòd si Sinvessanus, invito Marcellino, congregatum fuerit, tamen, pro legitimo habitum congregatum fuit à Clero Romano eo tempore, quo Marcellinus, qui thus adoleverat idolis, exciderat à Summo Pontificatu: & pro tunc ipsi Clero habeti authoritatem Cardinalium, jus concilia convocandi devolvebatur. Quantùm denique ad concilium Pisanum: nil mirum si convocatum fuerit Gregorio XII. & Benedicto XIII. dissentientibus; nam tunc erat Schisma, & incertum erat, uter eorum esset Pontifex: & cùm incertum, ex regula juris, habeatur pro nullo, Cardinales utriusque partis concilium coegerunt.

QUÆ

QUÆSTIO V.

Quinam sint ad Concilium convocandi.

ECclesia Universalis diversa hominum genera continet, alii enim sunt Clerici, alii Laici. Clericorum alii sunt Prælati, alii non Prælati: Prælati verò, vel sunt Summus Pontifex, vel Patriarchæ, aut Primates aut Archiepiscopi, aut Episcopi, aut Abbates: nam quoad Cardinales, non sunt Prælati, ut sic, sed tantùm quatenus aliqui eorum sunt Episcopi.

Quantùm ad Patriarchas; hinc transcurso dicam, Ecclesias Patriarchales esse illas quas Dom. Petrus fundavit: & sic initio Ecclesiæ fuerunt tantùm tres Ecclesiæ Patriarchales, nimirum Romana, Alexandrina, & Antiochena. Sic cons. Nicen. ex concil. Chalced. Act. 16. Ecclesia Hierosolymitana annis ferè quingentis titulo solo Patriarchalis gaudebat: nullis enim præerat Archiepiscopis, aut Episcopis, sicut aliæ, immò illius Patriarcha subjectus erat Archiepiscopo Cæsariensi, quoad jurisdictionem; sedebat tamen quarto loco, sicut Romanus primo, Alexandrinus II. & Antiochenus III.

Causa sola numeri Ecclesiarum Patriarchalium fuit dignitas Petri; nam illæ solæ habitæ sunt Patriarchales, in quibus tanquam Episcopus sedit, vel per se, ut in Romana, & Antiochena; vel per alium, quem ad eam misit suo nomine, ut in Alexandrina, ubi suum discipulum Marcum delegavit Episcopum. Sic D. Greg. lib. 6. Epist. 17. ad Eulogium, ubi hæc omnia declarat. Sed dices, cur Ecclesia Alexandrina præfertur An-

tiochenæ, cùm hæc sit antiquior, & in illa per se sederit Petrus, in alia verò per discipulum? Resp. quia Alexandrinam rexit B. Marcus Evangelista & Antiochenam Evodius, qui Marco cedere debet. Anacletus Epist. 3. hunc ordinem assignat inter Ecclesias Patriarchales: Instabis, cur ergo Ephesina, quam fundavit Paulus, & Joanne usq; ad mortem rexit, non est Patriarchalis? D. Gregorius præcitatus hoc attribuit privilegio, quod habuit Petrus sublimandi sedes suas, ratione sui Principatus super universam Ecclesiam, & omnes Apostolos.

Quantùm ad Ecclesiam Hierosolymitanam titulo, & honore Patriarchalis gavisa est per annos penè quingentos, sub jurisdictione sui Metropolitani Cæsarienſis, sic concil. Nicænum can. 7. *Quoniam mos antiquus obtinuit, & vetusta traditio, ut Ælia, idest Hierosolyma, Episcopo honor deferatur, habeatque consequenter honorem suum, manente tamen Metropolitanæ civitatis dignitate propria.* In concilio autem Chalcedon. an. 451. Ecclesia illa evecta est ad dignitatem Patriarchalem, illique fuerunt assignatæ post multas contestationes tres Palestinæ, quæ anteà erant sub Patriarcha Antiocheno.

His denique accessit Patriarcha Constantinopolitanus, cujus Ecclesia ab initio erat tantùm Parochialis in Diœcesi Heracleæ, deinde facta est Episcopalis, & denique Patriarchalis, ut in honore illa urbs haberetur, in qua sedebant Imperatores. In primo conc. Constant. cæpit Episcopus hujusce urbis usurpare nomen Patriarchæ, & secundùm locum inter Patriarchas; hoc est, primum locum post Patriarcham antiquæ Romæ, & de hoc fecit Canon. 3. *Constantinopolitanæ*,

qui

qui fabricatur fuit in absentia Legatorum : Sed hæc præeminentia fuit semper illi contestata, usque post annum quingentesimum; quo tempore hanc dignitatem concessit Pontifex, nullo reclamante, Episcopo Constant. ad supplicationem Justiniani Imperatoris.

His suppositis, quærimus, quinam sint convocandi ad Concilia : aliter enim Hæretici, & aliter Catholici sentiunt; nam illi volunt ex omni genere hominum debere adesse eruditos, etiam ut judices, & habere suffragium decisivum, etiamsi Laici sint. Unde Protestantes inter causas non afferunt Concilio Tridentino, hanc afferunt, quòd scilicet viri docti etiam Laici suffragium in illo non habuerint. Contraria est Catholicorum.

CONCLUSIO.

PRælati Majores convocandi sunt ad Concilia ex jure, nimirum Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi : Cardinales verò, Abbates, Generales Ordinum ex privilegio, & consuetudine vocandi sunt. Ex viris doctis aliqui etiam appellari solent; sed tantùm ad consultationem, & examen eorum, quæ in Concilio pertractantur, non autem ad ferendam sententiam decisivam : non sunt enim Principes Ecclesiæ, Principes denique ibi vocantur, ut protegant Patres Concilii, & Decisiones ejus faciant observare. Hæc omnia patent ex communi usu Ecclesiæ : ideò supereſt tantùm, ut respondeamus Hæreticis, qui volunt admittere Laicos ad Concilium cum voce decisiva, & Vigorio, cui prætendit, Presbyteros curam animarum habentes æquali potestate gaudere cum Episcopis.

Obj.

Objiciunt ergo Hæretici, in Concilio Apostolorum adfuisse Apostolos, Presbyteros, & Laicos Act. 15. *Convenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*: Et infrà, *Tunc placuit Senioribus cum omni Ecclesia*: Resp. Apostolos interfuisse, ut judices; Seniores seu Presbyteros, ut Consultores, & Populos, ut audientes, & consentientes: Quod patet ex hoc, quòd Lucas 15. Act. introducat tantùm Petrum, Paulum, Barnabam, & Jacobum loquentes, ut ostendatur solos Apostolos habuisse vocem decisivam; *Tacuit autem omnis multitudo*: post Petri sententiam, *Et audiebat Paulum, & Barnabam*: subditur, & postquam tacuerunt: *Respondit Jacobus dicens, &c.* Et mox finita Jacobi Ordinatione, subditur, *tunc placuit Apostolis*. Dicunt Concilium generale repræsentare Ecclesiam: Ergo illi adesse debent homines ex omni genere. Resp. quemlibet Episcopum repræsentare Ecclesiam suam, & sic omnes Episcopi totam Ecclesiam repræsentant. Dicunt, Nicolaum dixisse, Imperatorem debere adesse Conciliis in iis, quæ sunt de fide, quia est causa communis, Clericos, & laicos concernens. Dicit quidem Papa, requiri præsentium Imperatoris, non ut Judicis, sed ut Protectoris, & executoris Legum Ecclesiasticarum. Nefas ergo est dicere, Laicos habere jus decisivum in Conciliis, hoc enim spectat ad Pastores, quorum officium est pascere; pascere autem est docere, Jeremiæ 3. *Dabo vobis Pastores secundùm cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*. Ob hoc Theodosius Junior in Epist. ad Ephes. Synodum, ait: *Illicitum est, eum, qui non sit ex Ordine sanctissimorum Episcoporum*, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.

Obji-

Objicit Vigorius, multos Chorepiscopos subscripsisse Conc. Nicæno; hi autem erant duntaxat Presbyteri, quos mittebant Episcopi in Pagos, & Urbes, tanquam suos Vicarios, post manuum impositionem. Respondetur fuisse aliquos Chorepiscopos, qui Episcopalem consecrationem acceperunt; hi subscripserunt ut Judices: alii fuerunt simplices Presbyteri, de quibus anteà, & hi subscripserunt ut testes. Instat. ex Euseb. lib. 6. 3. de Vita Constantini c. 9. Conc. Nicæn. interfuisse Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Acolythos, & tunc Athanasium, quia Diaconus erat, maximam partem Concilii contra Arium sustinuisse, ex Greg orat funebr. ejusdem Athanasii, & ex Sozomeno lib. 1. c. 16 Respondetur ut supra, illos adfuisse, ut consultores, vel testes: non verò, ut definientes; nisi ex privilegio Summi Pontificis, quod concessit Silvester suis Legatis, qui erant Sacerdotes simplices. Hoc idem dicendum est de Philippo Presbytero Eccl. Romanæ, qui fuit Legatus in Conc. Ephes. sicut Bonifacius in Chalcedonensi: hi enim referunt personam Pontificis, qui si adesset Concilio, ipsi subscribere. Si in Conc. Lateran. sub Innoc. III. Abbates XII. & quàm primi Priores Conventuales subscripserint; hoc semper ex indulto Præsidum, vel tanquam testes; nunquam verò hoc fecerunt (neque etiam Parochi) ut jus ex se habentes ad Conc. nec enim ad eos spectat definire de rebus Fidei, quippe quæ sunt majoris momenti, & sic spectant ad Principes Ecclesiæ, non ad Curatos, quibus ex officio non incumbit Evangelium prædicare, nec Fidem contra Hæreticos propugnare, nisi authoritate Prælatorum accepta: sed sufficit, quòd subditos suos doceant rudimenta

Fidei s Ad eos etiam non pertinet morum regulas facere in Conc. immò potiùs tenentur observare, quas Episcopi statuunt. Nec tertiò possunt esse in Conc. Episcoporum judices; aliàs superior ab inferiori damnaretur; Ergo non habent jus ad Concilia, in quibus præsertim illa tria pertractantur:

QUÆSTIO VI.

Cujus sit præsidere in Concilio Generalis.

ALiter ratiocinantur Catholici de requisitis ad Concilium, & aliter Hæretici. Illi asserunt sufficere, quòd convocatio sit generalis, ita ut perveniat ad majores Orbis Christiani Provincias; deinde, quòd nullus Episcopus excludatur, modò non sit excommunicatus; Tertiò, ut adsint, saltem per Legatos Patriarchæ, hoc tamen est tantùm ad melius esse: Quartò denique si Concilium celebretur in Oriente, requiritur, ut major pars Orientalium adsit, & saltem aliqui ex Occidentalibus, & vice versa. Lutherani alias conditiones exigunt. 1. Ut ante Concilium novum irritetur Tridentinum. 2. Ut fiat in Germania, ubi lites exortæ sunt. 3. Ut Papa, nec Concilium judicet, nec ei præsit, cùm sit pars adversa Hæretici. 4. Ut ex sola Scriptura judicium feratur, non ex Canonibus, aut Traditione. 5. Ut Papa absolvat omnes Prælatos à juramento fidelitatis, quo ei astringuntur. 6. Ut non attendatur ad pluralitatem suffragiorum, sed ad Scripturam, quæ allegatur. 7. Ut Theologi Principum, & præsertim illorum, qui sequuntur confessionem Augustanam, gaudeant suffragiis, sicut Episcopi. Ut ab Imperatore detur salvus condu-

ctus,

ctus, nedum personis, sed & causæ principali, ita ut non possit condemnari opinio v. g. Lutheranorum, si illam non possint tueri.

CONCLUSIO.

SUmmi Pontificis est, tanquam supremo in Ecclesia Monarchæ, præsidere Concilio generali, vel per se, vel per Legatos, sicut Rex Galliæ summus Imperii sui Princeps suis comitiis civilibus præst, sive per se, sive per Commissarios. Contra Lutherum, Calvinum, & Vigorium, volentes, Imperatorem Concilio generali præesse, & ipsum sua authoritate confirmare.

Probatur primò Conclusio ex summa authoritate, quam dedit Petro Christus, & successoribus, qui eandem possident, ut probavimus disp. de Sum. Pontif. non dixit enim Imperatori, *Pasce oves meas*, sed Petro: per quæ verba authoritati Pontificiæ Christus subjiciet nedum Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, sed etiam Reges, & Imperatores. Idem enim est, ac si dixisset Christus Petro ex Chrysost. in hunc locum. *Esto propositus loco mei, & caput fratrum tuorum*. Unde, sicut Christus in medio sedet eorum, qui congregantur in nomine suo, quibus obscura legis explicat, sic etiam sedere debet Summus Pontifex in medio Episcoporum tanquam judex supremus: *Christus* enim *plenissimam potestatem Petro, & successoribus ejus plenissimè commisit*. S. Cyrillus Alex. apud S. Thom. contra errores Græcorum, Opusc. 1. cap. 32. tit. de Roman. Pontif. S ergo habeat plenissimam potestatem, non tantùm convocare potest Prælatos ad Concilium, sed insuper illis præsidere debet,

tan-

tanquam ſupremus Princeps, ſive per ſe, ſive per Legatos: Imperator autem dicitur præſidere Conciliis, ut ſua authoritate pacem teneant, omniaque felicem exitum ſortiantur.

Probatur 2. ex eo quòd in primis Conciliis celebratis apud Orientales, ſemper Papæ miſerunt ſuos Legatos tanquam Præſides: ubi ipſemet in propria perſona noluerint præeſſe, hoc fuit, ne oriretur difficultas inter Papam, & Imperatorem, qui licèt non præeſſet concilio, ut judex, tamen præſidebat materialiter, primum locum tenendo. In primo ergo concilio, Nicæno ſcilicet, an 325. Oſius Epiſcopus Cordubenſis Legatus miſſus eſt à S. Sylveſtro, ſicut in Sardicenſis cum Archidamo, & Philexene à Julio primo. In Conc. Conſtant. nec Papa, nec Legati ejus præfuerunt, quia eodem tempore convocavit Papa Romæ concilium, ad quod evocavit Orientales, qui cùm non poſſent huc accedere intra tempus præfixum, ſe excuſaverunt, & eorum excuſationem acceptavit S. Damaſus; & ſic concilium Conſtantinop. fuit celebratum ſub Nectario ibidem Patriarcha, & illi, qui non potuerunt uniri præſentia corporali, uniti ſunt mente. In concilio Epheſino, tanquam Vicarii Celeſtini præſederunt D. Cyrillus Ep. Patriarcha Alex. Arcadius, & Projectus Epiſcopi, cum Philippo presbytero, Eccl. Rom. in concil. Calcedonenſi Legati Vice Leonis Papæ fuerunt Paſchaſinus, & Lucentius Epiſcopi, cum Bonifacio presb. Hujus concil. Patres num. 500. ſic ſcribunt. Summ. Pontif. *Nobis omnibus, ſicut membris præeras in iis, qui tuum tenebant ordinem*, Epiſtol. *Repletum eſt gaudio os noſtrum*, & habetur 3. p. Eutychius Conſtantinop. Epiſcopus fuit

Lega-

Legatus Papæ Vigilii in Conc. Constantinop. 3 sed agnoscit antiquioris Romæ Antistitem ibi præsidere sua authoritate, *Præsidente nobis vestra beatitudine*. Epist. *Scientes quantum bonorum*, quæ est penultima in Collat. 1. Pro Concil. Constantinop. 3. audiendus est Longobardus Imperator, *Agatho sanctus, nuper Ordinatus Papa, nostros pios suspiciens apices, destinavit in præsenti* (Concilio) *propriam ejus indutus personam Theodorum, & Gregorium Deo amabiles, Presbyteros, & Joannem Deo amabilem Diaconum*. Sic scribit Imperator Georgio Patriarchæ Constantinop. Epist. *Quamquam sollicitudinibus*, in Præamb. Conc. Nicæno 2. Petrus Archipresbyter Ecclesiæ Rom & Petrus sancti Sabæ Abbas Legati fuerunt Adriani Papæ I. in octavo denique Conc. Constantinop. 4. præsederunt ut Legati Adriani II. Donatus, & Stephanus Episcopi cum Marino Diacono. Illorum primus in fine Concil. ita subscripsit: *Ego Donatus Dei gratia Episcopus Hostiensis; locum obtinens Domini mei Adriani, universalis Papæ, huic sanctæ, & universali Synodo præsidens, omnia quæ superius leguntur, promulgavi, & manu propria subscripsi*. Ex hoc sequitur, quòd si jus præsidendi Conciliis non pertinere ad Pontif. Rom. Patriarchæ Constantinop. nunquam cedere voluissent suam authoritatem, ut ea induerent Legatos Papæ, qui sæpiùs erant tantùm Episcopi, aliquando simplices Presbyteri, & aliquando solùm Diaconi.

Objiciunt Hæretici, multos Imperatore in Conciliis præfuisse, ut Constantinum in Concil. Nicæn. Marcianum in Chalcedonensi, Theodosium 2. in Ephesino, saltem per comitem Candidianum, & sic de multis

aliis.

aliis. Resp. Imperatores dici quodammodo Conciliis præfuisse; sed hoc factum est tantùm ad multitudinem Episcoporum in pace conservandam, & ut omnia recto ordine, & sine tumultu peragerentur; non verò præfuerunt ad merè Ecclesiastica negotia, qualia sunt fidei, & morum decreta: Unde Ambrosius Epist. 32. dicit Constantinum non se fecisse judicem, sed liberum dedisse judicium Sacerdotibus; & Athanasius in Epist. ad solitariam vitam agentes, arguit Constantium, qui volebat primas tenere in Conciliis, dicens: *Si judicium Episcoporum est, quid cum eo commune habet Imperator!* Hoc est conforme Scripturæ, nam 2. Paralipom 19. *Amasias Sacerdos, & Pontifex, in omnibus quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porrò, Zabadias, qui est Dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.*

Porrò, Pontifex præest Concilio, non tantùm, ut primus judicium ferat; sed ut supremum proferat judicium; sicque rejecta opinione majori cùm minori sententiam proferre potest, non tanquam præses Concilii, sed ut supremus Ecclesiæ Princeps, qui judicat tanquam ex Cathedra, ex impulsu scilicet Spiritus sancti. Hoc fecit Damasus, qui irritavit acta Concilii Ariminensis, quibus major pars Episcoporum consenserat, & Leo, qui irritavit quoddam decretum Chalcedonensis, cui etiam major pars consenserat, ut ipse testatur Epist. 53. 54. & 55. Nunquam tamen, vel rarissimè eveniet, ut minorem partem sequatur Pontifex, excluſa fraude, quæ advenit in illis duobus Conciliis.

QUÆ-

QUÆSTTIO VII.

Utrùm necessaria sit Conciliorum confirmatio à Summo Pontifice.

UT intelligatur quæstio, Notandum est, Pontificem aliquando mittere suos Legatos cum instructione de his, quæ sunt in Concilio facienda, ut misit ad prima Concilia; ubi cum tantùm esset unicum negotium tractandum, poterant de facili instrui de mente Pontificis Legati ipsius; aliquando etiam mittuntur sine instructione, quando maximè de multis rebus agendum est in Concilio, ut v. g. in Tridentino. Constat quidem decreta Conciliorum generalium facta ex voce unanimi Patrum sequentium ad amussim intentionem Pontificis, non indigere confirmatione ipsius: tunc enim Ecclesia cum suo capite in unum, & idem consentit. Sed difficultas est, etiam inter Catholicos, utrùm Decisiones Conciliorum generalium factæ à Patribus unanimiter cum Legatis non informatis particulariter de intentione Pontificis, sint de se infallibiles ante confirmationem Pontificis. Bellarminus opinativè respondet, tale Concilium non esse infallibile ante confirmationem Pontificis. Alii cum Antonio Cordubensi, Soto, & D. Andrea Duval contrarium sentiunt.

CONCLUSIO.

PRobabilius est, decreta Conciliorum generalium de se esse infallibilia, & nulla indigere confirmatione, si unanimi Prælatorum, & Legatorum consensu prodierint,

rint, quamvis Legati nullam habeant instructionem à Papa, modò nullus Patrum refragetur, nec contraveniant Legati instructioni Pontificis, nec Papa præceperit Legatis, ut ipsum consulant ante definitionem. Si enim major pars Decretis consentiat, & minor repugnet, pro majori parte confirmatio Pontificis necessaria est. Probatur conclusio primò, quia tale concilium perfectè Ecclesiam repræsentant; Legati caput, & Prælati Ecclesias particulares diffusas per totum orbem. Ergo pro tunc est infallibilis, cùm portæ inferi non possint prævalere adversùs eam. Secundò, quia tale concilium non potest dici Acephalum, quoniam caput essentiale adest, & præest per Legatos. Tertiò, quia Papa mittit Legatos cùm potestate definiendi, & sine restrictione frustra autem est illa potestas, quæ non reducitur ad actum.

Obiicies, multa Concilia recepta non esse, quia non fuerunt confirmata à Sum. Pontif. ut Ariminense, Ephesinum, 2. Trullanum, seu in Trullo, & alia quædam. Resp. non fuisse illegitima ob defectum confirmationis, sed quia Ariminense à Constantio convocatum fuit, & ablata libertas Patrum minis, & terroribus, in Ephesino 2. Eutiches, & Dioscorus in Ecclesiæ communionem recepti sunt opera Theodosii Imp. Flavianus Patriarcha damnatus, & vulneratus fuit reclamaruntque publicè Legati. Trullanum celebratum fuit in Palatio Justiniani 2 Imper. vocatum Trullum, sub authoritate Patriarchæ hujus urbis Callinico, inconsulto Pontifice; & hujus concilii confirmationem multoties petiit Imperator, tum à Sergio, tum à Joanne VII Sergii successore, quam tamen obtinere non potuit. Dices, ergo sunt duę Cathedræ infallibiles Pontifex

fex & concilium. Ref. non esse duas, sed unam tantum, quæ constat ex Pontifice per Legatos, & ex Prælatis Ecclesiarum particularium. Deinde, quid repugnat admittere duas infallibilitates, quam in Summo Pontifice personaliter sumpto, aliam in concilio ubi Legati præsunt? Dices, ergo Papa non debet obedire concilio, sed veritati per Spiritum sanctum revelatæ.

Obiic. multa concilia petiisse confirmationem à Pontificibus, ut Nicænum à S Sylvestro; Chalcedonense à D. Leone, & alia ab aliis. Resp. hoc ideò factum fuisse, quia concilium Oecumenicum ante confirmationem Papæ habet solùm vim directivam, non verò coactivam; hoc est, ostendit veritatem infallibiliter amplectendam; sed non potest statuere pœnas, nec impellere censuris Fideles, ut illam amplectantur: Sicque, qui post definitionem concilii, ante confirmationem Papæ, non vellet credere ejus decretis, non esset Hæreticus, nec Ecclesiæ rebellis, nisi Papa dedisset Legatis facultatem publicandi concilium ante suam confirmationem. Ratio est, quia est status Monarchicus; & Fidelium obligatio positiva credendi non potest oriri nisi à Monarcha: sicut nec in Regno possunt statui pœnæ contra infractores Legum, nisi leges à Rege confirmentur. Et hæc est ratio, cur concilia generalia expetierint confirmationem Papæ, prævidentes Decreta sua, quamvis aliàs infallibilia, non posse aliter promulgari, nec Fideles cogi ad illa credenda sub Censuris. Unde si Patres in conc. generali pœnam Anathematis soleant decernere contra non credentes; hoc est semper sub conditione confirmationis futuræ.

Quæ.

Quæres, utrùm concilia generalia à Pontifice approbata possint errare. Resp. negativè, & hoc ex fide est, Matth. 28. *Ubi sunt duo, vel tres congregati, &c.* Idest, ex conc. Chalced. in Epist. ad Leonem post finem Act. *Si duo, vel tres congregati in nomine meo, meam assistentiam accipiant quanto magis congregatio tota Prælatorum cum Capite suo?* Unde Augustin. in Epist. 162. dicit, *ultimum judicium esse Concilium generale*. Ratio est, quia si de hoc posset dubitari in dubium revocaretur Hæresum condemnatio; at Arius diceret errasse concilium Nicænum, Macedonius Constantin. Nestorius Ephesinum, &c.

Quæres 2. utrùm concilia generalia ante approbationem Papæ errare possint. Resp. si Patres illorum definierint contra consensum Legatorum, pro tunc errare possunt concilia. Resp. 2. si Patres consentiant cum Legatis, & ipsi Legati agant contra instructionem Pontificis, errare adhuc possunt: & talia concilia censentur reprobata. Resp. 3. si Prælati cum Legatis consentiant: & nullam isti habeant instructionem à Pontifice in particulari; tunc infallibile est concilium ut mox probavimus. Resp. 4. quòd à forticri, infallibilitate gaudebit concilium, in quo Legati conveniunt cum Patribus, & sequuntur instructionem à Pontifice acceptam.

Quæres 3. utrùm concilia particularia errare possint. Resp. probabilius esse ipsa non posse errare, si sint à Pontif. confirmata, licèt hoc aliqui Catholicorum negent, quia si Pontifex est infallibilis, ut verisimile est non poterit errare, in confirmatione concilii particularis: Deinde dubium adhuc esset, an concilia particularia errassent in condemnatio-

condemnatione Priscillianistarum, Pelagianorum, Joviniani, & aliorum: Resp. 2. Concilia particularia non confirmata posse errare, licèt temerarium sit eis non acquiescere; Patres enim 7. Synodi, & 8. dicunt se venerari, & recipere etiam Conciliorum localium decreta: Assertio nostra sumitur ex 5. Synodo Roman. sub Symmacho, ubi habetur, Concilia particularia, quia præsentiam Papæ non habent, perdidisse validitatem. Deinde, Concil. nationale Carthag. sub Cypriano erravit, dum definivit Hæreticos esse rebaptizandos. Tertiò denique, Cur Concilium generale sit infallibile, est, quia Deus promisit infallibilitatem Ecclesiæ, contra quam portæ inferi, non prævalebunt; quæ Ecclesia non repræsentatur perfectè in Concil. particulari: Adde quòd in generali præsidet Papa, qui est infallibilis. Quòd si Concilia particularia possint damnare Hæreses, quod fecit Concil. Antioch. contra Paulum Samosathenum: hoc verum est, quando hoc est facile; tunc enim citiùs currendum est ad lupum grassantem.

QUÆSTIO VIII.

Utrùm Papa sit supra Concilium.

HÆretici sustinentes Papam non esse caput totius Ecclesiæ, sed tantùm Episcopum suæ Ecclesiæ particularis, vel ad summum Occidentis Patriarcham, tenent ipsum non posse esse supra Concilium generale, quod universalem Ecclesiam repræsentat. Cardinales verò Cameracenses, Gerlonius, Almainus, & aliqui alii, contra Hæ-

reticos sentiunt, Papam esse quidem supremum caput singulorum Fidelium, Ecclesiarum, & Præsulum, seorsim sumptorum, non autem totius Ecclesiæ congregatæ in Concilio, ubi Ecclesiam formam corporis inducit, & tota potestas simul unitur, quæ antea erat divisa: ita quòd si comparetur Papa cum quolibet Christiano; ipse si major, cùm hoc sit comparare membrum nobilissimum cum minùs nobili: Si verò comparetur cum tota Ecclesia unita in Concilio, tunc Papa est quid minus; quia comparatur totum corpus cum uno membro; & sic statuunt illi auctores cum Richerio, & Vigerio Concilium esse supra Papam, cùm totum sit majus sua parte. Alii tandem, & in majori certè numero, volunt Papam ita esse supra Concilium, ut non possit subjici sententiæ ipsius coactivæ; immò potest Concilium non indicere, ipsum revocare, illiusque Decisiones irritare; quia est absolutum caput totius Ecclesiæ, etiam simul collectæ in Concilio. Sic Albertus, D. Thomas, D. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Cardinalis de Turrecremata, Mauclerus cum suis approbatoribus, D. Andreas Duval, D. de Raconis, D. Bail, & alii plurimi.

Occasio hujus controversiæ desumpta fuit præcipuè ex Concilio Constantiensi tempore Schismatis, in quo erant tres Pontifices; Benedictus XIII. nimirùm, sedens Avenioni; Gregorius XII Arimini, & Joannes XXIII. Bononiæ. Solus Joannes XXIII. ad Concilium accesserat, à quo, cùm discessisset clam posteà, & remansisset Concil. sine capite proponere cœperunt Patres, an Concil. posset judicare, & deponere invitum Pontificem, & revera statuerunt Patres,

Ec.

Ecclesiam à Christo immediatè habere potestatem, cui omnes, cujuscumque Status, & Dignitatis sint, etiam Papalis, tenentur obedire in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, Sess. 4 & 5. Sed hæc controversia, quæ incœperat anno 1409. in Conc. Pisano, nec approbato manifestè, nec reprobato, quòd depositerat Benedictum XIII. & Gregorium XII & continuaverat tempore Conc. Const. ann. 1414. maximè crevit in Conc. Basileensi anno 1431. ubi cùm Eugenius IV. Concil. inchoatum dissolvere vellet, & ejus progressum impedire, quærere cœperunt Patres, an tenerentur obedire Pontifici, qui eos convocaverat, an potiùs teneretur Pontifex obedire generali Concilio; quòd ultimum plurimi Patrum determinaverunt, & proinde Concilium esse supra Papam. Propter has, inquam, occasiones controversia inter Doctores citatos nata est tam acriter, ut illi dixerint de fide esse, Concilium esse supra Papam, & hoc propter determinationem Conc. Constant. & Basileensis; isti verò contra sustinuerunt deesse, quòd Papa sit supra Concilium, & hoc propter definitionem Concilii Florentini, ubi statuerunt, Summum Pontificem esse totius Ecclesiæ caput, & ipsi in beato Petro regendi, pascendi, & gubernandi universam Ecclesiam à D. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; Ubi quando determinatur, quòd sit *totius Ecclesiæ caput*, & quod *regat universam Ecclesiam*: hoc non potest intelligi de Ecclesia dispersa, sed etiam congregata in Concilio. Hoc adhuc clariùs habetur Sess. 11. Concilii Lateranensis, in qua statuitur, Papam esse supra omnia Concilia, illumque habere ple-

num jus ad illa indicenda, transferenda, & dissolvenda. Hæc diversa Conciliorum decreta in causa fuerunt, ut quælibet pars Doctorum prætendat suam sententiam esse de fide; quod faciliter non crediderim, quia Gersonius, & Almainus non fuerunt hactenus de Hæresi notati, sicut nec Doctores alterius partis; quandoquidem decreta Conciliorum Constant. & Basileens. intelliguntur tantùm de potestate, quam habet Concilium deponendi Papam, durante schismate pro tunc enim revera fatemur quòd, cùm nesciatur, quis sit verus Pontif. ubi & *dubius*, *ibi nullius*, tunc Concilium habet immediatam à Christo potestatem judicium ferendi super illos, qui se Pontifices dixerint. Illa verò Concilia non determinarunt Papam, qui est verè, & notoriè Papa, subiici absolute eorum authoritati, ut videre est in illorum Decreto, *Quicumque cujuscumque Status, vel Dignitatis, etiamsi Papali existat, qui præcepti hujus Synodi, & cujuscumque alterius Concilii generalis legitimè congregati super præmissis, vel ad ea pertinentibus obedire pertinaciter contempserit, debitè puniatur*: Ubi quando Concilium loquitur *de præmissis*, intendit loqui de Schismate, ut videtur ex verbis, quæ præcedunt. Ex quibus patet, nullam harum opinionum esse de fide. Sed videndum est quænam sit probabilior, relinquendo cuilibet libertatem alterutram eligendi, donec accesserit Ecclesiæ determinatio.

CONCLUSIO.

PRobabilius est, Papam esse supra Concilium, licèt appositum probabilitate non careat, cùm eruditissimi Doctores illud su-

sti-

ſtineant ; & ſic contra illos deciſivam concluſionem afferre non intendimus, ne de temeritate maxima damnemur. Probabilitas noſtræ aſſertionis.

Probatur primò ex hoc, quòd Papa ſit ſupremus Monarcha Eccleſiæ, & caput ejuſdem ; Supremus autem regni Monarcha eminet ſuper omnes regni Duces non ſolùm diviſos, ſed etiam in unum congregatos : Quis enim dicere auderet, quod in Gallia Imperator noſter Chriſtianiſſimus non ſit ſupra Comitia generalia Regni ſui ? ſicque, nonne dici poteſt, quòd Sum. Pontifex, qui eſt regni ſpiritualis Eccleſiæ ſupremus Monarcha, ut ſat probavimus initio Diſputat. præced. ſit ſupra Concilium generale, quod Comitiis generalibus Regnorum æquipollet ? Cùm etiam Papa ſit caput univerſalis Eccleſiæ, quis dicet caput dependere à corpore, & Paſtorem à Grege ? Immò nonne contrarium probabiliſſimum videtur ? Ad hoc reſpondent, Papam eſſe caput Eccleſiæ, ut diviſa eſt ; quia major eſt quilibet Prælato : non verò quatenus eſt congregata in Concilio. Sed nonne verum eſt, quod qui loquitur de Eccleſia, loquitur de Eccleſia congregata : cùm Eccleſia non ſit ille Fidelis, aut ille, ille Epiſcopus, aut ille, ſed congregatio omnium Fidelium ? Cùm ergo Chriſtus dixit Petro, Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, intelligitur, quod debeat eſſe fundamentum totius Eccleſiæ, & cùm à fundamento pendeat tota domus, & ſic & à Pontifice, in quo poteſtas Petri relucet, dependet univerſa Eccleſia, quæ ſemper eſt congregata formaliter, cùm ſit unum Regnum, & unum Ovile, licèt ſit diſperſa quoad locum. Confirmatur noſtra reſpon-

respondio ratione, quia Papa est caput corporis Ecclesiæ: at Ecclesiæ particulares non sunt unum corpus, sed membra unius corporis: Ergo est caput non Ecclesiarum divisarum, sed Ecclesiæ etiam unitæ. Deinde, Papa est caput majus qualibet Ecclesia seorsim sumpta, & quolibet Episcopo in particulari: ergo est major omnibus Ecclesiis, & omnibus Prælatis congregatis in unum; cùm pro tunc major non sit in illis potestas. Unde Concil. Chalcedonense in Epist. ad Leonem expressè testatur, D. Leonem fuisse caput totius Concilii, ubi tota Ecclesia congregatur. *Quibus*, inquit, *tu quidem ut Caput præeras.*

Probatur 2. Papam esse supra Concilium, cui à Christo nulla est data authoritas Ecclesiæ, nec proinde Concilio Ecclesiam repræsentanti, nisi Episcopalis, Archiepis. aut Patriarch. prout sunt personæ, quæ Concilio conveniunt. Sic Cardinalis Panormitanus in cap. *Super quibusdam*, de verborum significatione. *Concilium generale habet jura Principis*; & inferius, *nam etsi Concilium generale habet hanc potestatem: ergo & à Papa; quia Concilia accipiunt Potestatem, & robur à Papa.* Cardinalis etiam à Turrecremata in Summa de Ecclesia, l. 3. c. 28. *Si quis superius dicta de Romani Pontificis primatu*, &c. *consideret, luce clariùs percipiet, quod universaliter Conciliorum authoritas à Romano Pontifice emanet.* Multas insuper hujus veritatis adducit probationes D. Andreas Duval p. 4. q. 9. de comparatione Concilii cum Papa. *Supponendum est, quod prima parte demonstravimus, Ecclesiæ universali, aut si mavis, communitati, nullam à Christo potestatem esse traditam.* Mauclerus cum suis octo Approbatoribus, Doctoribus Parisiensibus quos

nominavimus Disp. præcedenti, docet ob hoc authoritatem Papæ, cum sit immediatè à Deo, nullis Oecumenicorum Conciliorum legibus coarctari, part. 2. lib. 3. c. 16. unde habet c. 10. & infrà, *Provocantes à Pontificii Monarchæ judicio ad futurum Concilium excommunicantur*. Posteà refert edictum Papæ in Epist. ad Episcopos Bæticæ, & Toletanæ Provinciæ, *Facta subditorum judicantur à nobis, nostra verò judicat Deus*. Idem sentit D. Duval. cum Mauclero Tract. de Rom. Pont. p. 4. q. postrema, *Sit ergo prima conclusio. Qui à sententia Summi Pontif. ad futurum Concilium provocant, excommunicationem incurrunt*. Ratio non deest ad probandum potestatem non esse in Concilio, sed in Summo Pontif. ut probavimus Disp. præced. Quia Ecclesia non habet illam authoritatem à se, nec ab alio. Non à se, quia licèt in regno terreno potestas sit in populo suppletivè, quia ipse instituit Reges, cum populi sint ex se naturaliter liberi, & proinde in ipsis remaneat radicaliter talis potestas; non tamen sic in Ecclesia, ubi potestas Papæ collata fuit à Christo, non ab Ecclesia. Non etiam Ecclesia, aut Concilium habet potestatem ab alio, quia Christus illam dedit, non Ecclesiæ, sed suppositæ Ecclesiæ: cum dederit claves Ecclesiæ Petro, Matth. 16. & potestatem prædicandi, baptizandi, & absolvendi singulis Apostolis, qui ea uti possunt sine congregatione aliorum. Cum ergo Ecclesia, seu Concilium non habeat potestatem à se, nec ab alio, nullam propriè habet; & cum nullam habeat, immò tota resideat formaliter, & subjectivè in Pontif. à quo illam accipit Concilium, juxta Cardinalem à Turrecremata in Summa de Eccl. l. 5. cap. 28.

Probat. 2. ubi concludit: *Ergo tota potestas universalis Concilii pendet à Romano Pontif. sicut à Capite, & Pastore totius Ecclesiæ*, & juxta ea, quæ diximus in Disp. præced. proinde probabile est, Papa esse supra Concilium. Quòd si Concilium Constantiense Sess. 4. contrarium definierit, dicens Concilium habere immediatam à Deo potestatem loquitur: Concilium de tempore Schismatis, ut diximus in hujus quæstionis Præludio. Deinde verba Concilii Canonem non redolent, aut definitionem, cum non adsit verbum pronuntians Anathema, nec verbum, *definimus* aut *mandamus ab omnibus teneri*.

Probatur 3. ex hoc, quòd Papa confirmet Concilia, antequam publicentur, de illorum decisionibus dispenset; & quòd Concilia non dispensent de Censuris à Papa inflictis. Primum patet ex Conc. Nicæno, cujus Patres Epist. *Quoniam omnia*, precantur S. Silvestrum, ut confirmet proprio ore, quod constituerant: Quod revera fecit ipse Pontifex Epistol. *Gaudeo promptam*, & adhuc firmius in Concil. Roman. Deinde Concilium Constantinop. fuit confirmatum à Damaso Pontifice Concilium Chalcedonense suorum decretorum confirmationem postulat, & obtinet à D. Leone, &c. inde in Concil. Lateran. 5. sub Leone 10. sess. 11. Constit. 4. *Pastor eternus*, habetur *Consueverunt antiquorum Patres Conciliùm pro eorum, quæ in suis Concil. gesta fuerunt, corroboratione, à Rom. Pontif. subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere, prout ex Nicæna, Ephesina*, &c. *manifestè colligitur*. Si autem Concilia essent supra Papam, ab illo non peteretur confirmatio: major enim non dependeat à minori, immò è contra; unde Concil. Basilecn.

sileense : *Quidquid in sacris statuitur Conciliis, Papa auctoritate statuitur* : Et infrà, *Dum enim ipse præsens est, ipse concludit, ipse statuit, & sub nomine suo, ac persona omnia decernuntur : Dum abest, sui Præsidentes, qui ejus vice funguntur, locumque Apostolicum tenent, per sacrum Concilium deliberata concludunt*. Quæ verba Concil. omnino adversantis Papæ denotant ipsum esse supra Concil. in responsione Synodali data à Præsidentibus, *Hodie in nostra Generali Congregatione*. Secundum probatur, quòd possit Pontifex de Conciliorum Decretis dispensare, ex Concil. Basileens. citato, *Statuta per Concilium in nullo derogant suæ potestati* (loquitur de Eugenio Pontifice, cui Concilium opponebatur, & qui ab eo fugerat Ferrariam cum quibusdam Cardin. ubi congregavit aliud Concilium generale, postea translatum, & perfectum Florentiæ) *quin pro tempore, loco, causis, & personis, utilitate, vel necessitate suadente : moderari dispensarique possit, atque uti Summi Principis epikeja, qua ab eo auferri nequit*. Hoc praxis confirmat in Concilium enim Nic. Can. 15. Antioch. 1. Can. 21. & Sardicensi cap. 1. statuitur, *Nè cui liceat Episcopo de Civitate sua ad aliam transire* : Sixtus tamen III. in hoc dispensavit cum Probo, qui de Cisigua Civit. transivit ad Constantinop. Socrates lib. 3. cap. 39. & Baron. ann. 434. Concilio Constantinopolit. Act. 10. Can. 25. statuit, ne qui Photio adhæresc unt, restituantur in Sedibus suis : Imperator tamen Basilius, & Ignatius Patriarcha rogavere Adrianum Papam, ut cum aliquibus dispensaret. Alii supplicaverunt Stephanum VI. ut dispensatum faceret Fratrem Imperatoris Basilium, qui ordinem

Diaconatus à Photio receperat. Stephanus Juvenis nominatus, ad Sedem Antiochenam elevatus contra Canones concilii Nicæni, dispensatus fuit à Simplicio ex Epist. sua ad Zenonem Imper. *De Ecclesia Christiana*. Ex quibus omnibus patet, semper creditum fuisse, Papam posse dispensare de Canonibus Conciliorum. Tertium deniq; constat, quòd scilicet concilia non possunt dispensare de Pontificum Decretis, quoniam Synodus 8. universalis Constantin. rogat Pontificem, ut dispenset cum illis, qui Photio communicaverunt, quod denotat, ipsos non potuisse dispensare. Ex quibus omnibus liquet, Papam esse supra Concilium.

Probatur 4. ex collectione multarum rationum. Primò, Concilium vel est Pastor, vel Ovile: non Pastor, soli enim Petro dictum est, *Pasce oves meas*: Ergo est Ovile, & cùm Ovile agnoscat supra se Pastorem, Concilium debet agnoscere Papam supra se. 2. Papa est supra omnes Prælatos dispersos: ergo etiam est supra illos collectos in unum: illa enim unio non auget Jus Prælatorum; maximè cùm potestas Ecclesiastica immediatè sit à Deo, & communicetur Papæ immediatè: & mediante Papa Ecclesiæ, & Prælatis, ut probavimus in Disp. præcedenti. 3. Quilibet Episcopus est caput nedum singulorum Diœcesanorum, sed etiam collectionis eorum: ergo Papa est caput nedum omnium Christianorum in particulari, sed etiam Ecclesiæ totius: Et cùm caput emineat supra corpus, ut diximus in prima probat. ideò Papa eminet super Ecclesiam: & sic est supra concilium, quod est Ecclesia unita. 4. Si concilium esset supra Papam, Papa non esset Vicarius Christi, quod est falsum, quoniam

niam est Vicarius Christi, quem solum agnoscit supra se, unde Can. *Nemo* 9. q. 3. Nemo judicabit primam Sedem : neque enim ab Augusto, nec ab omni Clero, nec à Regibus, neque à Populo Judex judicabitur. Per omnem autem Clerum Glossa intelligit concilium. 5. In fine concilii Sinuessani sub Marcellino, *Suprema Sedes à nemine judicatur*. In Rom. sub Sylvestro Can. ult. *Nemo judicabit primam Sedem*. 6. Ex appellationibus concilii ad Papam sequitur : Papam esse majorem, cùm appellatio semper fiat à minori ad majorem. Gelasius autem Papa in Epistola ad Episcopos Dardaniæ ait, *Ad Sedem Apostolicam de qualibet mundi parte appellandum est : ab illa autem nemo est appellare permissus*. Quòd intelligitur etiam de appellatione à concilio, ipse enim subdit, Romanos Pontifices sæpè absolvisse ; quos ligaverant concilia.

Obiic. Vigorius, Papam esse filium Ecclesiæ : ergo non est supra illam. Resp. esse Patrem, & Filium diverso respectu : ut baptizatus enim est filius, & ut Papa est pater. Deinde nil repugnat, si in moralibus, & spiritualibus filius superet patrem ratione authoritatis, sicut Salomon superavit Bethsabe. Dicit, non esse ver simile, ut Christus suam sponsam Ecclesiam alteri subjecerit : cur non ut ejus pudicitiam, & castitatem conservet contra Hæreses, Schismata, & pravos mores : sicut amicus certus de sui amici probitate, sponsam conservandam tradit illi, dum peregre proficisci cogitur? Instat, dicendo Papam Schismaticum, & Hæreticum posse deponi à concilio. Hoc fatemur, quia eo ipso, quòd est Hæreticus, aut Schismaticus, indignus est, qui Ecclesia gubern e-

hoc enim tantum scandalum adduceret, ut hinc sequeretur ruina animarum. Addit, quòd ex appellationibus à Papa ad Concilium, appareat Concilium esse supra Papam. Resp. hoc esse illicitum, ut habetur in 2. probat: Ratio nostra est, quia in causa appellationis appellans à potestate, & jurisdictione ejus, à quo appellat, eximitur: & sic non esset amplius in ovili Papæ, & proinde esset extra Ecclesiam, & non Christianus. Deindè, sicut non licet à Rege appellare, quia est Monarcha, & Monarchico modo idest extremo judicio judicat; sic, cùm Papa sit supremus in Ecclesia Monarcha, igitur extremo judicio sic terminabit causas, ut fas amplius non sit ad aliud provocare. Unde August. Ser. 2. de verbis Apost. contra Pelagianos, ait, *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolic. inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, utinam error finiatur.* Si causa finita sit post judicium Papæ, non est amplius locus appellationi ad futurum Conc. quod postulabant Pelagiani. Sic etiam Optatus Milevitanus contra Donatistas, *Judicium Melchiadis Papa sententia clausa est.* Lib. 1. contra Parmen.

Obiic. 2. causam Donatistarum: quam damnaverat Melchiades Papa, iterum judicavit Episcopus Arelatensis in Concilio, teste Aug. Ep. 162. Ad Glorium, & Eleusium, ubi addit, *Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romæ judicaverunt non bonos fuisse judices: restabat adhuc universa Ecclesia Concilium, &c.* Ergo Concilium generale est supra definitionem Papæ. Resp. ex August. ideò Episcop. Arelat. judicasset, non quidem, quia necessarium erat, sed sic voluit Imperator, ut acquiesceret Donatistis hoc postulantibus, &

videret, si post duplex judicium sanarentur. Resp 2. ad verba Augustini, quòd non comparet Papam sine Concilio cum Concilio sine Papa, quod non ipsi facimus, sed Concilium particulare, cui præst Papa, cum Concilio universali cui etiam præst, & tunc dicit, quòd ea, quæ gesta sunt in particulari, possint aduc judicari in generali; maximè in quæstionibus facti particularis, ubi & Papa, & Concilium particulare, & generale errare possunt: cum definitio dependeat ex informationibus, ut in quæstione Donatistarum, qui credebant miracula facta in sua secta, esse vera miracula. Dices, ex Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, Dic Ecclesiæ*. Resp. idest, dic Pastori Ecclesiæ: si est persona privata v. gr. quæ peccavit, dic Episcopo; si est Episcopus, dic Archiepiscopo: si est Archiepiscopus, dic Papæ; si est Papa, dic ipsimet charitativè; si non se corrigat, judicium Deo reservandum est: summa enim sedes à nemine judicatur. Si hoc dictum fuerit Petro: nondum erat caput Ecclesiæ.

Obiic. 3. In Conc. Constantiensi sess. 4. definitur Concilium esse suprà Papam, nemine reclamante. Resp. 1. hoc intelligi tempore Schismatis, quo scilicet quilibet Papa dubius est, ut in tempore hujus Concilii, quo erant tres Papæ, Joannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII. non verò loquutum est Concilium de illo tempore, quo Papa est indubitatus, de quo tamen non est nostra quæstio. Resp. 2. Hoc Concilium non fuisse absolutè generale, quia aderat tantùm tertia pars Ecclesiæ, nimirum Prælati, qui obedierunt Joanni, aberant verò Gregorius, & Benedictus, & eorum

Præ-

Prælati. Quòd si dicatur Martinum V. hoc decretum confirmasse, hoc falsum est quia ipse dixit, se confirmare tantum ea decreta, quæ conciliariter, id est prævio maturo examine, facta fuerant: istud verò factum est sine ullo examine, & nullo reclamante revera quia cum Ecclesia laboraret horrendo Schismate, & nullum tunc posset afferri remedium contra malum tam grave, nisi determinando concil. esse supra Papam, omnes illicò sine reflexione hoc statuerunt. Dices, concil. Basileense hoc approbasse Decretum. Resp. hoc concilium fuisse legitimè inchoatum, sed illegitimè terminatum, ob violentias factas contra fautores Eugenii IV. de quibus in Disput. præced. Deinde, quæ decrevit hoc concil. contra Pontif. nullus approbavit. Adde, quòd, ut diximus, hæc revocata sunt in concil. Flor. & Lateran. ut diximus in præludio quæstionis.

Quæres, an sit major authoritas concilii, quàm Scripturæ. Hæretici nobis imponunt, quòd subiiciamus Scripturam conciliis, & Traditionibus: sed hoc esset blasphemiam proferre: Scriptura enim est verbum immediatè revelatum à Deo, in quantùm Evangelistæ scribebant, quæ sibi revelabantur, vel saltem impellebantur à Spiritu S. ad scribendum ea, quæ audierant, & viderant; unde non laborabant in suis libris edendis: concilia verò non scribunt immediatè à Deo revelata, sed tantùm declarant, quodnam sit verbum Dei scriptum, vel traditum, & Patres in conciliis tenentur conclusiones scrutari cogitando, legendo, & disputando: Act. 15. legitur in conc. 1. magnam controversiam fuisse factam.

Quæ.

Quæres, an sit major authoritas Concilii, vel Papæ. Resp. si Concilium sit legitimum, ut v. g. Concil. Constantinop. 1. quod permisit Papa celebrari, licèt non fuerit in illo, nec per se, nec per Legatos, quia tunc celebrabat aliud Concil. Romæ: in eo casu decreta esset æqualis authoritatis, cùm sint æquè infallibilia: & sic Pontifex non potest determinare unum, & Concilium oppositum ejus. Resp. 2. Quòd si Concilium celebretur sine consensu Papæ, tunc hæc quæstio non est proponenda, quia Concilium nullum est: Si verò ad illud miserit Legatos, quibus dissentientibus Patres determinarunt: alii respondent talia decreta esse nulla ante confirmationem Pontificis: alii dicunt, hoc nunquam visum fuisse, quando abfuit fraus, & dolus, ut in Concil. Ephesino 2. ubi reclamantibus Legatis, approbata est Dioscori sententia pro Eutychianis, sed vi, & metu. Alii dicunt, quòd si hoc fieret, & Legati habuissent instructionem à Papa, tunc Concil. adhærendum esset, ex Hieronymo, August. &c. si verò non habuissent instructionem, standum esset adhuc cum Concilio; donec Papa ex cathedra pronunciaret. Resp. 3. Quòd si in Conc. Legati cum minori parte Patrum determinarent aliquid, à parte illorum esset standum; cùm constet vi orationis Christi, Papam, & ejus Legatos esse infallibiles, non ita de majori parte Concilii sine Legatis. Unde Canus lib. 5. de Locis c. 5. *Ubi de fide quæstio est, non ita oportet plurimorum sequi judicium, nec in Conciliis sententiam ex numero suffragiorum metiri, sed potius ex gravitate, & ponderе eorumdem; usu enim frequenter evenit, ut major pars vincat meliorem.*

CA-

CAPUT II.

De Conciliis in particulari.

EA, quæ ſpectant ad naturam, diviſionem, & conditiones Concilii legitimi, explicuimus in præcedenti Diſput. Aliquid nobis ſupereſt dicendum de conciliis in particulari; non quidem de omnibus, quia hoc prolixius extenderetur; ſed de ſolis Generalibus, & hoc fiet in præſenti cap. ſi priùs præliba verimus aliqua de Conciliis Apoſtolorum.

De Conciliis Apoſtolorum.

APoſtolos poſt Aſcenſionem Chriſti multas habuiſſe congregationes pro neceſſitatibus Eccleſiæ naſcentis, certum eſt ex Actibus Apoſt. quatuor tamen præcipuæ numerantur 16. 15. & 21. c. Harum prima fuit poſt Aſcenſionem Dom. Hieroſolymis celebrata ad eligendum aliquem loco Judæ Proditoris, cui ſuffectus eſt Mathias, ut habetur Act. 1. Secunda habita eſt etiam Hieroſolymis, an. primo poſt Aſcenſionem Chriſti, ante Pauli converſionem, quæ contigit eodem anno ad eligendum ſeptem Diaconos, & ſatisfaciendum poſtulationi Gentilium adversùs Judæos, quòd viduæ eorum non honorarentur in miniſterio, dum eleemoſynæ diſtribuerentur, ſicut viduæ Judæorum, Act. 6. Tertia fuit habita Hieroſolymis ann. 14. poſt Chriſti Reſurrectionem, in qua agitata fuit quæſtio, an Gentiles converſi deberent recipere Circumſionem cum Baptiſmo, Act. 15. in qua convenerunt quatuor Apoſtoli, Petrus, Paulus, Jacobus, & Barnabas, qui

vica-

vocati sunt in Hyerusalem speciali revelatione ad dirimendam hanc litem. In hoc Concilio Petrus, ut primus Apostolorum, definivit controversiam, dicens, *Viri fratres, quid tentatis Deum imponere jugum super cervices Discipulorum*; &c. posteà Paulus, & Barnabas narraverunt, quanta Deus feciſſet signa, & prodigia per eos in Gentibus, denique Jacobus, ut Pastor Urbis Hierosol. narravit iterùm populo eadem, quæ ante loquutus fuerat Petrus: dicens Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, *ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*. Quantùm ad qualitatem hujus Concilii, aliqui tenent fuisse generale, alii particulare: ego verò dicerem esse generale ratione materiæ, quia agebatur causa fidei toti Ecclesiæ proponenda: ratione verò Congregationis esse particulare, quia aderant tantum quatuor Apostoli cum Senioribus; nisi dicere velimus, quòd illi quatuor Apostoli æquivalebant omnibus, propter abundantiam Charismatum, & erant ita infallibiles, ac si omnes convenissent. Quarta Congregatio desumitur ex act. 21. propter contentionem de legis observatione Judæis ad tempus permissa; ut cum honore Synagoga sepeliretur, in qua solus Jacobus convenit cum Paulo, & hoc in Hierusalem, ubi Paulus se purificavit cum aliis.

Præter has Apostolorum Congregationes ex Scrip. desumptas, aliæ habentur ex Historiis authenticis, utpote illa, quæ fuit in obitu B. Mariæ Virginis, in qua convenerunt omnes Apostoli, ex Nicephoro & pluribus aliis: sicut & illas, in qua omnes Apostoli conve-

nien-

venientes, Symbolum compoſuerunt: Diſpergendi enim Apoſtoli ad fidem ubique prædicandam priùs in Concilium conveniunt: & nè ulla diverſitas vera, aut apparens inter eos videretur, compoſuerunt duodecim Canones, ſeu Articulos, quos Eccleſia vocat Symbolum Apoſtolorum, de quo loquuti fuimus c. de Fide. Hoc denique Concilium pro generali haberi poteſt, cum omnis Eccleſia congregata fuerit: & ſic Concilium Nicænum non debet dici abſolutè primum Concilium Generale, ſed primum interea quæ poſt tempora Apoſtolorum congregata ſunt.

De Concilio Nicæno primo.

OMnium Generalium Conciliorum primum fuit Nicænum in Bithynia, quod incœpit an. Dom. 327. & completum eſt an. 330. an. 15. Pontificatus S. Silveſtri Papæ, & 20. Conſtantini Imp. in quo 318. Patres convenerunt, tum ut determinaretur, quo tempore deberet celebrari Paſcha: tum ut procederetur contra Arium negantem divinitatem Chriſti.

Arius erat Præsbyter Alexandrinus elati animi, qui cùm non poſſet ad dignitatem, quam ambiebat, pervenire, more Hæreticorum, inſolens introducere dogma conatus eſt contra divinitatem Chriſti, negans ipſius ſubſtantialitatem cum Patre. De hoc certior factus Alexander Alexandriæ Epiſcopus, eum pluries admonuit, ut à prava opinione reſipiſceret: ſed ex hoc impudentior factus, cœpit apertè ſuo Epiſcopo adverſari, quòd audiens Imperator Conſtantinus, de conſenſu Pontificis convocavit Concilium Nicææ in Bithynia, in quo ſtatutum eſt tempus

Paschatis celebrandi, & damnatus est Arius ab universo cœtu, exceptis septemdecim Episcopis, qui ab Imper. in exilium dejecti sunt: sed ex illis, undecim voce tenus suam sententiam revocaverunt: unde Arius cum solis sex relegatus est. Multi Canones hujus Concilii supersunt ab Arianis, de quibus fidem faciunt Concilium Alexandrinum, & Lateranense. Ad hoc Concilium Papa pro Legatis misit Osium Episcop. Cordub. quem jam Alexandriam miserat D. Silvester ad pacificandam controversiam, & cum illo missi sunt duo Presbyteri Romani, Victor, & Vincentius, qui tres primò subscripserunt condemnationi Arianorum, & posteà S. Silvester convocavit Concilium Romæ, ubi Nicænum confirmatum est.

Ariani Episcopi simulantes se subiici Conc. Nicæno, maximas persecutiones D. Athanasio Catholicæ Fidei Propugnatori intrepido intulerunt: & mortuo Constantino, eò devenerunt insolentiæ, ut possidentes favorem Constantii filii successoris ejus, nihil omiserint, ut eluderent decreta Concilii Nicæni: ideò Concilium fecerunt Antiochiæ, ubi damnatus fuit Athanasius super falsas accusationes, à quibus tamen absolutus fuit in Conc. Sardic. Sed posteà, cùm solus Imperii moderator manssiset Constantius per mortem fratrum suorum Constantini, & Constantis, ipsius mentem perturbarunt Ariani, ut Concilium Generale Mediolani indixerit, sub prætextu pacificationis: in quo se adeò fautorem Arianorum demonstravit, quòd in durissimum plures ex Episcopis sibi contradicentibus miserit exilium: immò & Liberium Papam, qui acriter sustinebat doctrinam Con. Nic. cujus loco institutus est

Felix,

Felix, invito populo, & Clero Romano. Interea, dum esset Constantius Sirmii, ibi Concilium coegit, ad quod evocatus Osius per violentiam Imperatoris subscripsit, non primæ Patrum confessioni, quæ Catholica erat, sed secundæ, quam corruperant, & quæ erat Heretica: ex quo facto maximam egit pœnitentiam senex ille centum annorum, qui semper pro fide pugnaverat.

Papa Liberius postea à tædio exilii fatigatus, condemnationi Athanasii subscripsit; rediitque Romam, ubi eum Clerus Romanus noluit recipere, sed agnovit pro Papa legitimo Felicem, qui se verè Catholicum ostendit, ob quod paulo post martyrio coronatus est, & ejus loco Liberius de novo constituitur, postquam detestatus est crimen suum. Quo posito, Constantius videns res suas non multum proficere, Concilium congregavit, & divisit Prælatos, ita quod quadringenti convenerunt in urbe Ariminensi, & ducenti Seleuciæ; isti pro Arianis steterunt, illi vero quæ acta erant in Concilio Sirmiensi, condemnarunt; & ideò multas illis intulit persecutiones Constantius, quibus durantibus; illos corruperunt Ariani, & induxerunt ad subscriptionem Confessionis, quę Catholica videbatur, & reverà Ariana erat: & ob hoc dicit Hieronymus, quod mirabatur Universùs Orbis, se plane Arianum videre.

Sub Liberio Pontif. Ursacius, & Valens hæretici Concilium fecere in Nicæa Civitate Thraciæ, ubi statuentes sua dogmata, insinuare voluerunt hanc esse fidem in Concil. General. Nicæno congregatam, sed nihil profuit illis tale commentum: derisi sunt enim ab omnibus.

De

De Concilio Constantinopolitano primo, quod est Concilium 2. Generale.

INter Concilium Nicænum, & constantinopolitanum, aliud generale celebratum est; nempe Sardicense; Julius enim primus videns Arianos non acquiescere Symbolo Nicæno, immò gravissimam persecutionem commovere in Catholico, & nolle ad Concilia Romana convenire, aliam viam tentat Concilii Oecumenici ad res componendas: ideo misit Episcopus ad Constantem Occidentis Imp. tunc Mediolani agentem, ut scribat ad Constantium fratrem suum in Oriente ad convocandum Episcopos Orientales; quod utrumque factum est, & trecenti circiter Episcopi Occidentales in Urbe Sardicensi convenerunt, cum solis 76. Orientalibus, qui adhuc continuò discesserunt à Concilio; nec quicquam dicere voluerunt, donec fautores D. Athanasii excluderentur à Concilio, quod Occidentales passi non sunt: Unde quia in hoc Conc. Orientales suam fidem Arianam retinuere, & Occidentales Catholicam: hoc Concilium censetur communiter partim approbatum, partim reprobatum, & sic non numeratur inter Concilia generalia. In eo non potuerunt impedire Ariani, quin D. Athanasius Sedi suæ Alexandrinæ restitueretur. Celebratum est sub Constantio, & Julio I. Osio Cordubensi Episcopo, & Philoxeno, & Archidamo præsidibus. Cùm ergo hoc Concilium non sit omnimodè probatum, loquendum est de 2. generali, quod fuit.

Constantinopolitanum primum an. 338. sub Theodosio Juniore, & Damaso Pontif.

con-

contra Macedonium Constantinopolitanum Episcopum, qui negabat divinitatem Spiritus sancti, in quo convenerunt ex diversis Orientis partibus 150. Patres, & nullus ex Occidente: quia eodem tempore Damasus celebrabat Concilium Romæ, ad quod vocaverat Orientales, qui se excusaverunt ob diversa obstacula: unde celebrarunt suum Concilium Constant. ad quod Legatos non misit Damasus, se unions illis tantùm mente, cùm non posset corpore: Unde semper hoc Concilium ut legitimum habitum est in Ecclesia: tum quia confirmavit illud Damasus: tum quia propter unionem mentalem Orientalium, & Occidentalium, duplex illud Concilium, ut unum acceptum est. In eo quatuor Patriarchæ adfuerunt, nimirum Nectarius Constantin. Timotheus Alexandrinus, Melevitus Antiochenus, & Cyrillus Hierosolymitanus.

Error Macedonii profluxit ex errore Arianorum; opinio enim Arii fuit, quòd Spiritus S. esset creatura, scilicet Filii, licèt totum certamen concilii Nic. esset de divinitate Verbi, quam Arius negabat, quia hæc controversia diluenda erat, antequam de divinitate Spiritus S. moveretur quæstio Unde dicendum est, quòd Hæresis Ariana in tres patres divisa fuerit, nam illi, qui relegati sunt in Ægyptum, & qui suum errorem non simularunt, noluerunt postea communicare cum Arianis: immò sustinebant Filium per omnia esse dissimilem Patri. Ariani tenebant Filium non esse consubstantialem Patri, sed ipsi similem, non proprietate naturæ, sed largitate gratiæ. Macedoniani denique dicunt, Spiritum sanctum nihil habere commune cum Patre, & Filio, sed esse pure

crea-

creaturam ; Verbi scilicet, quoniam *Omnia per ipsum acta sunt*, & proinde Spiritus sanctus. Contra hos congregatum est Concilium istud, quod confirmavit ea, quæ statuta sunt in Concilio Nicæno, & Symbolum composuit omnino simile, nisi quòd, ubi Concilium Nicænum habebat simpliciter : *Credo in Spiritum Sanctum*, istud addidit, *Dominum*, & *Vivificantem*, *qui ex Patre procedit*, non expressa persona Filii. Porrò, triginta annis, vel circiter, post hoc Concilium, celebrata sunt Concilia particularia, Milevitanum, & Carthaginense contra Pelagianos, ubi se acerrimum Gratiæ Protectorem ostendit Augustinus.

De Concilio Ephesino primo, Generalium tertio.

ISTud Concilium tertium inter generalia, fuit celebratum Ephesi sub Theodosio Juniore Imperat. & Celestino I. Pontifice an. 439. contra Nestorium, qui admittebat duas in Christo personas, unam Divinam, aliam Humanam : & ob hoc dicebat, D. Virginem esse quidem matrem Christi, non verò matrem Dei : Unde condemnatus fuit cum suis consortibus à consensu ducentorum Patrum Ephesi congregatorum, inter quos erant tres Patriarchæ, Cyrillus Alexandrinus, qui erat Papæ Legatus, Joannes Antiochenus, qui inito Concilio, cum Cyrillo aliquam difficultatem habuit, eo quòd decretum fuerit factum, antequam adventasset ; & Juvenalis Hierosolymitanus.

Nestorius ille, Presbyter Antiochiæ, Ecclesiastes, & posteà Præsul. Constantinopolit. omnium Hæreticorum se ostendit inimicum, ut suam Hæresim introduceret. Primò

fecit,

fecit, ut quidam Presbyter Constantinop. existens, qui Nestorio charus erat, prædicaret publicè contra Maternitatem B. Mariæ. Secundo introduxit quemdam Episcopum, Dorothæum nomine, qui in concione proclamavit coram Nestorio spe lucri sordidi Anathema omnibus, qui Deiparæ vocem usurpabant. Attollitur clamor populi, ex quo magis furit Nestorius, qui Publicâ voce dicit, *Eum, qui spatiis menstruis adolevit, Deum non appellavero*: negabat enim etiam divinitatem Filii; *Ne glorieris; o Judæe! Deum non crucifixisti: quomodo Maria antiquiorem se peperit?* &c. Cyrillus Alexandrinus cujus fama, & authoritas tunc erat celebris, scribit ad Nestorium, quì inde fit insolentior. De his certior factus Pontifex, numerum Episcoporum colligit, qui Nestorium condemnant. Imperator pacem Ecclesiæ reddere peroptans, Concilium Ephesi indicit, accersitque istic Augustinum; sed paulo anteà decesserat è vivis. Congregatis ergo Patribus ducentis, condemnatur Nestorius confirmatur Concilium Nicænum pro divinitate Filii, & pro Maternitate Virginis. Composita est oratio à Patribus Concilii, quæ adjungitur salutationi Angelicæ, *Sancta Maria Mater Dei*, &c.

De Concilio Chalcedonensi, quod est quartum generale.

DAmnata Hæresi Nestorii in Conc. Ephes. alia omnino illi opposita nata est, nempe Eutychetis Archimandritæ, idest præcipui Pastoris Monachorum, qui Constantinopoli, & in adiacentibus locis magis contra Ne-

Nestorium efferbuerant. Videns ergo Eutyches, quòd Nestorius divisisset Christum, duas personas in illo admittens, ipse ex adverso volebat tantùm unam in Christo naturam: Nicephorus enim lib. 18. cap. 25. ait, *Duas quidem ante unionem naturas dixit, deinde unitas fuisse: & post unionem, eas in unam naturam abiisse.* Antequam Concilio Chalcedonense esset coactum ad illam Hæresim extirpandam, duo concilia facta fuerant in Oriente, unum Constantinopoli, quod fuit legitimum, sub Flaviano ejusdem urbis Episcopo; in quo post multas tergiversationes comparuit Eutyches, & damnatus fuit. Aliud fuit congregatum Ephesi, authoritate Theodosii Junioris Imperatoris, quem Eunuchus Chrisaphius in favorem Eutychetis adduxerat. In hoc concil. præsidebat Dioscorus Patriarcha Alexandrinus; qui ut faveret Eutycheti, locum Romani Pontif. usurpavit ex nominatione Imperatoris, & absolvit Eutychetem. Ad illud Concilium deputavit Pontifex Leo I. Legatos, ut resisterent Dioscoro, inter quos erat Flavianus Patriarcha Constantinopolit. qui tulit concilio Epistolam Leonis, cujus lecturam non permisit Dioscorus, immò introducta armatorum multitudine cum catenis, coegit Episcopos ad subscribendum, tantummodo Legatis resistentibus; inter quos Flavianus Romam appellans, tot plagis afficitur, universis Monachis clamantibus, *Occide*; ut ipse moreretur infra tres dies, & anno sequenti Imperator privatus est vita, & Imperio, in punitionem criminis commissi ab eo, cùm ausus fuerit convocare Concilium invito, Pontifice, & in eo Legatum Hæreticum Eutychianum constituere. Hoc

Concilium Ephesinum II. vocatum fuit Synodus Prædatoria ; quia Dioscorus, & ei faventes, Prædonum instar, Imperatoris armis fulti, nullo jure servato, omnia egerunt.

Mortuo autem Theodosio, Pulcheria Imperatrix ex votis omnium, Marcianum elegit Imperatorem, quem litteris excitavit Leo Pontifex, ut pacem redderet Ecclesiæ, cogendo concilium Oecumenicum, quod revera indixit Chalcedone, in Ecclesia sanctæ Martyris Euphemiæ, ad quod convenerunt 630. patres ex Oriente, & Occidente; & inter illos quatuor Patriarchæ, Dioscorus Alexandrinus, Maximus Antiochenus, Anatholius Constantinop. & Juvenalis Hierosolymitanus ; præsidentibus Pontificis Legatis Paschasiano, & Lucensio Episcopis, & Bonifacio Presbytero, qui in prima actione Synodi petierunt, ut Dioscorus non sederet in concilio, eo quòd authoritatem judicandi surrepserit, Synodum jusserit fieri sine authoritate Sedis Apostolicæ, & Flavianum Legatum Pontificis trucidandum consenserit, quod justum judicaverunt Patres ; Unde ejectus est ex sententia Prælatorum : Synodus Nicæna 2. judicata fuit Acephala, Eutyches condemnatus, & Theodoretus Episcopus Cyrenensis Act. 8. coactus anathematizare, nedum doctrinam, sed & personam Nestorii. Et hæc sunt quatuor prima concilia, quibus censuit Gregorius lib. 1. epist. 24. tantam adhiberi deberе reverentiam, quanta defertur Evangelio.

De Concilio Constantinopol. 2. quinto Generali.

HOc concilium celebratum est sub Imperatore Justiniano, & Vigilio Pontifice

ce ann. 553. vel 556. ut alii dicunt, & in o convenerunt 288. Episcopi. Vigilius nec er se, nec per Legatos voluit illi concilio desse, licèt ibidem versaretur, timens, ne liquid definiretur contra Decreta Concilii Chalcedonensis; fuit tamen pro legitimo ha. itum, quia ex ejus consensu fuerat congre. atum, & confirmatum postea. In eo con. emnatus est Origenes, cum Petro, Anthi, no, Severo, & Zoara Hæreticis. Renova. a sunt Anathema fulminata in Conc. Ephe. ino contra Nestorianos. Theodorus Mop. uestanus Episcopus Ybas Episc. Edessenus, & Theodoretus Episcop. Cyrrhensis qui Nestorio averant, postea in Sedibus suis restaurati fuerunt, pronuntiato Anathemate contra Ne. storium: Sed quia remanserant eorum scri. pta, quibus multi inficiebantur, ideò in par. e congregatum est hoc concilium ad conde. mnationem illorum scriptorum, quæ dicta fuerunt tria capitula.

Origenes Manetti, Sabellio, Ario, Eunò. mio, Nestorio ac reliquo Hæreticorum cho. ro se conjunxit. Tenebat 1. inter alia, Deum habere vim certis finibus terminatam. 2. Fi. lium minorem Patre asserebat, Spiritum san. ctum Filio inferiorem, Filium creaturam ac germen patris, eumdemque pure hominem, & creaturam. 3. Asserebat animas fuisse an. te corpora creatas in cœlo, ubi peccata com. misere. 4. Volebat, Solem, Lunam, Stel. as, & Aquas, quæ super cœlos sunt, esse animatas, & rationales Virtutes. 5. Quòd in resurrectione corpora hominum rotunda excitabuntur. 6. Quòd impiorum hominum, & etiam dæmonum tormenta finem acceptu. ra sint. 7. Post hoc sæculum pro demonibus crucifixum iri Christum, &c.

Licèt Origenes in hoc concilio damnatus fuit tanquam Hæreticus, quod concilium dicit se venerari Gregorius Magnus lib. 1. Regiſtri, epiſt. 24. ad Joannem Conſtantin., non defuerunt tamen plurimi ipſum juſtificantes, inter quos Picus Mirandulæ, in theſibus ſuis poſuit, Rationalius eſt credere Origenem eſſe ſalvum, quam damnatum. Unde in Apologia diſcutit primò, an Origenes Hereticum aliquid ſcripſerit, vel crediderit; Hieronymus affirmat, negat Ruffinus; unde maxima contentio orta eſt inter illos, ex Auguſt. Ratio Ruffini eſt, quia Orig. lib. 4. habet Epiſtolam, ubi queritur, quòd corrupti fuerint ſui libri ab Hæreticis; ſi hoc autem factum eſt ipſo vivente, quantò magis ipſo mortuo? 2. quærit, utrum poſito, quòd aliquid hæreticum ſcripſerit. ſcripſerit dogmaticè, & adhæſivè, an verò tantùm inquiſitivè? quòd magis probat Picus. 3. quærit an ſuppoſito, quòd ſcripſerit aliquid hæreticum adhæſivè, in hoc peccaverit; quia potuit ſcribere aliquid erroneum de rebus non determinatis; & illud ſubmittere Eccleſiæ. 4. quærit, poſito quod peccaverit, utrùm numquam pœnituerit; quod affirmat Hieronym. in Epiſt. ad Fabianum Rom. urbis Epiſcop. ipſum pœnituiſſe. 5. quærit, an dubio manente de ejus pœnitentia, credendum ſit, ipſum eſſe damnatum, quod negat: quia Adverſariorum eſſet probare ejus impœnitentiam. 6. concludit Mirandulanus, quòd, in ſua opinio ſit vera, Patres hujus Concilii nihil aliud voluerint, niſi quòd damnatus fuerit Origenes in ſua doctrina, quidquid ſit de perſona. Præclara addit Vincentius Lirinenſis de Origene.

De

De Concilio Constantinopolitano 3. quod est sextum generale.

HOc concilium celebratum est an. 681. tempore Constantini IV. dicti Pogonati inchoatum sub Agathone, & finitum sub Leone II. ubi adfuerunt 289. Patres, qui condemnaverunt errorem Monotelitarum, in Christo unam tantùm voluntatem admittentium: cujus concilii Legati horum Pontificum Præsides fuerunt. Ut cognoscatur hujus Concilii historia.

Sciendum est, Cyrum Patriarcham Alexandrinum, volentem renovare Hæresim Eutychetis, damnatam in Conc. Chalcedonensi, docuisse palam, in Christo unam esse tantùm voluntatem, & unicam operationem voluntatis, quod acriter refutavit Sophronius Episcop. Hierosol. Sergius autem Episcopus Constantinop. qui mente Monothelita erat, res Ecclesiæ pacificare simulans, ajebat non utendum esse voce unius, aut duarum voluntatum, & fidem sufficere de una tantùm in Christo persona. Hoc rescripsit Honorio Summo Pontifici, illi persuadens totam difficultatem in hoc consistere, quod aliqui tenerent esse in Christo duas voluntates contrarias, ex quo concludi poterat Christum posse peccare. Mentem Sergii, quam sinceram credebat, approbavit Honorius, & replicans illi cum expressa mentione duarum voluntatum in Christo (ut notatur in Epistola ejus, de qua fuimus loquuti, cùm egimus de erroribus, quos Hæretici attribuunt Summis Pontificibus) & perfecta conformitate unius ad alteram, statuit congruum esse, ut juxta sententiam Ser-

gii, nulla fieret mentio unius, aut plurium voluntatum. Mortuo autem Honorio, perfidus ille Sergius, litteras Pontificis omnibus manifestans, persuadere voluit, Honorium stare pro Monothelitis; quorum partes ipse publicè tenere cepit. Cùm hæc ergo omnia multum rumorem in populo, & scandalum in Ecclesia excitarent, hoc celebratum est concilium adversus Monothelitas, quin in illo condemnati sunt; sed in eo multa addita fuerunt, quæ concernunt condemnationem Honorii, quæ non sunt Catholica: unde cautè legendum est hoc concilium, sicut & præcedens, quod jam annotavimus loco superius citato.

De Concilio Nicæno 2. Generalium septimo.

QUod celebratum est contra Iconomachos anno 787. sub Adriano primo Pontif. Constantino IV. Imperat. & Irene ejus Matre, in quo convenerunt 377 Episcopi, Petro Archiepiscopo Romanæ Ecclesiæ, & Petro Monacho Legatis. In tanto pretio habita est hæc Synodus apud Græcos, ut festum diem singulis annis, in die quo absolutum est, agant, scripserintque in Menologio, *Die 12. Octob. Sancta septima Synodi trecentorum sexaginta septem Patrum commemoratio.*

Orientales præcipuè maximam reverà de felici exitu hujus Concil. lætitiam concipere debuerunt: quippe qui gravem persecutionem passi fuerint à suis Imperatoribus, Imaginum cultui, & picturæ adversantibus. Inter quos fuerunt Leo Isaurus, Leo Armenius, & Copronymus, qui in prognosticum futuræ vitæ, dum baptizaretur, fœdavit pu-

puros Ecclesiæ fontes. Huic successit Leo IV. etiam Imaginum insectator, qui brevi mortuus est. Irene ejus uxor pietate clarissima cum filio suo minori ætate Constantino regnare cæpit, religionemque restaurare percupiens, Tarasium excellentissimum Præsulem in Patriarcham Constantinopolitanum restituit, qua Sede privatus fuerat ab Iconoclastis. Illicò Tarasius ille cum Imperatore scribit ad Adrianum, ut Concilium indicat, & mittat Legatos; quo nuntio lætius nunquam receperat Pontifex: Unde celebratum est hoc concilium Niceæ Bithyniæ, ob majestatem primi concilii contra Hæreticos celebrati.

Hoc tempore Carolus Magnus in eundem finem petiit ab Adriano Pontifice ut in Occidente convocaret concilium contra Elipandum, & Felicem Iconomachos: Consensit Pontifex, Legatosque misit ad Civitatem Francofordiensem, ubi congregati erant Episcopi Franciæ, Italiæ, Germaniç, & Angliæ: Sed quia patres hujus concilii crediderunt, concilium Nicænum non fuisse approbatum à Papa, & non explicasse, qui cultus imaginibus deberetur, an absolutus, vel relativus, ipsum improbarunt aliquo modo; ideò illius concilii decreta non fuerunt à Pontifice confirmata.

De Concilio Constantinopolitano 4. Generalium octavo.

ISTud celebratum est sub Adriano II. & Basilio Imper. an. 869. aut 870. in quo adfuerunt 383. Episcopi, præsidentibus ex Pontif. Donato, & Stephano Episcopis, & Marino Apostolicæ Sedis Diacono. Hoc

concilium totum consistit in depositione Photii falso Antistite Constantin. & restitutione Ignatii ejusdem Patriarchatus Præsulis.

Ignatius, abdicato Joanne Patriarcha Constantin. ob Hæresim Iconomachorum è Monasterio ad illum Patriarchatum evectus omnium votis, exceptis paucis Episcopis, quorum Ordinationi in Presbyteros restiterat ob crimina illorum. Illis favebat Photius Secretarius Michaelis Imperator. qui Patriarchatum affectabat: unde suasit cum alio, nomine Barda, Imperatori, quod in ejus vitam conspiraret; quibus Imperator nimium credulus, Ignatium è Sede expulit, & relegavit in exilium: tantisque à Barda affectus est plagis, ut post dentium confractionem se à Patriarchatu demittere coactus fuerit, ejusque loco suffectus est Photius contra Canones, prohibentes, ne quis ex sæculari statu ad Prælaturam elevetur.

Clamare cæperunt pro Ignatio populus, Clerici, & Antistites: unde fit, ut Imperatoris jussu congregati fuerint aliquot Episcopi, qui ex sententia Ignatium depositum; ardentiùs tamen exquisitus est Photius à Clero, & Laicis; unde ad Nicolaum Prædecessorem Adriani requirit Photius, ut confirmetur: sed Pontifex agnoscens illius malitiam, mittit Constantinopolim litteras pro Ignatio restituendo, quæ corruptæ sunt à Græcis, & in favorem Photii versæ; unde Conciliabula fecerunt, & de novo indignum Sede declararunt Ignatium. Hoc sciens Nicolaus in punitionem tantæ temeritatis, Photium excommunicat, Sede privat, Anathema in consortes pronuntiat, & Censuræ non obediens Photius ab omnibus deseritur: ex quo furens ille contumax, fa-

voro

vore Michaelis Imperat. tuguria Eremitarum in Monte Olimpo degentium incendit: congregatque Conciliabulum sub Imperatoris præsidio, in quo Nicolaum Pontificem excommunicat, per subornationem Orientalium, quod dedit initium divisioni Græcorum à Romanis.

Moritur intereà Imperator, cui succedit Basilius, & iste investigans, quid fecerit Photius, & quid Pontifex decreverit contra illum. Photium throno decedere jubet, & Ignatium restitui: quod iste facere renuit, nisi accedat judicium Pontificis: Unde Imperator ad Adrianum II. successorem Nicolai mittit, ut definiat causam inter Photium, & Ignatium, moxque aliquos convocat Prælatos Pontifex, qui illicò Photium condemnant, & ipse, Missis Legatis cum authoritate Apostolica, jussit Constantinopoli congregari hoc concilium, in quo & Photius, & Iconomachi, qui rumorem de novo excitabant, condemnati sunt.

De Concilio Lateranensi primo, & nono inter Oecumenica.

HOc concilium fuit primum inter illa, quæ celebrata sunt in Occidente propter defectionem Græcorum à fide, & perversitatem Schismatis eorum. Celebratum fuit istud concilium An. D. 1122. anno 1123. contra Saracenos pro recuperanda Terra sancta, & pro concordia inter Sedem Romanam, & Henricum V. Imperatorem qui jura Ecclesiæ usurpabat, sub ipso Henrico Imperatore, & Calixto II. Pontif. Locus illius fuit urbs Roma in Palatio S. Joannis Lateranensis, & ob hoc dicitur concilium

Lateranense, in quo convenerunt ad minus trecenti Episcopi, plusquam quadrigenti Abbates, plurimi Conventuales Priores, Legati Græci, & Romani Imperii, Regum Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri Oratores, Summique Pontificis Legati. Causa hujus Concilii fuit hæc.

Cùm beneficia Ecclesiæ pinguiora essent, maximè in Germania, Imperatorum aviditas in illis conferendis inhiavit, renitentibus Pontificibus Romanis, præsertim Gregorio libertatis Ecclesiæ propugnatore acerrimo, qui Henricum IV. sacris privavit quia investituras, seu jus eligendi Episcopos usurpabat cum traditione Annuli, & Baculi Pastoralis. Alii Pontificum in hoc efferbuerunt, alii vi, & metu toleraverunt, ut Paschalis II. qui ab Henrico V. in carcerem conjectus est, donec idem jus illi concederet. Calixtus tandem II. confirmata in Henricum V. excommunicatione, Adalbertum Moguntinum Archiepiscopum suum Legatum in Germania constituit, qui Episcopos, Abbates, Principes & Populum commovens, pro libertate Ecclesiæ tuenda, ingentem exercitum comparavit, ex alia verò parte celerius accedebat Imperator, non cum minoribus militum copiis, ita quòd, cruento certamine lis videretur dirimenda; sed Abbas Ulspergensis pacem reddere Ecclesiæ tentans, à Pontifice, & Imperatore obtinuit, ut contentio deferretur duodecim Principibus ex utraq; parte electis; tandemque res est composita. Imperator Pontifici obedientiam reddidit, & Pontifex, jure electionum sibi reservato, contulit Imperatori regalia, ideſt jus conferendi Episcopis, & Abbatibus bona temporalia: & ut hæc conven-

ventio rata haberetur, habitum est Concilium Lateranense primum, in quo remisit Imperator Pontifici jus, quod prætendebat in investituras Prælatorum per Baculum, & Annulum, & Pontifex concessit illi regalia, quod utrumque factum est an. 1122. nono Kalendas Octob.

In hoc concilio, præter initum fœdus inter Imperat. & Pontif. multa adhuc facta sunt; condemnatus enim fuit Abbas Joachim, qui scripserat in Petrum Lombardum, quem vocabat Hæreticum, quod diceret Patrem, Filium, & Spiritum S. esse unam summam rem, quæ nec generaret, nec generaretur, dicens in hoc Abbas Joachim, Magistrum Sentent. admittere quantitatem in divinis. Convenerunt insuper Imperator, & Pontifex de bello inferendo contra Saracenos. Determinarunt denique Patres de Sede Patriarcharum, ut scilicet post Romanum Pontif primus esset Constantin. 2. Alexandr. 3. Antioch. & 4. Hierololimitanus. Canonem vigesimum fecerunt de confessione facienda saltem in anno proprio Sacerdoti, vel alteri ex ejus licentia: quinquagesimum, quo prohibetur Matrimonium intra quartum gradum inter affines, & consanguineos, & sexagesimum tertium, quo declaratur, simoniam committere Moniales, dum aliquid recipiunt (paupertatis prætextu) pro ingredientibus Monasterium, & jubentur excludi tam recipiens, quàm recepta de suo Monasterio in locum arctioris Regulæ, ad agendam ibi perpetuam pœnitentiam, sine spe reversionis.

De Concilio Lateranensi secundo decimo Generali.

ILlud celebratum fuit an. 1139. sub Innocentio II. & Conrado III. Hujus Synodi convocatæ hæc fuit causa. Mortuo Honorio II. à majori parte Card. electus est Innocentius II. aliqui tamen Petrum Leonis filium potentissimi Civis Romani, pseudo Pontificem sub Anacleti II. nomine creaverunt, qui propinquorum viribus innixus omnes Basilicas invasit, coegitque Innocentium cum Cardinalibus Galliam accedere; ubi à Rege Galliæ, Imperatore, Rege Angliæ, & multis aliis Principibus, & omnibus Episcopis horum Regnorum agnitus est in legitimum Pontificem; *Illum* enim *meritò recipit Ecclesia, cujus electio sanior inventa est, eligentium numero vincens, & merito* inquit D. Bernardus Ep. 125. Cùm autem noster Innocentius in Italiam reversus esset, Pseudo Pontifice mortuo, alium sub Victoris nomine suffecerunt Schismatici, qui libero motu se contulit ad Pontificem, Pontificalibus vestibus depositis.

Ipse verò legitimus Papa mox ut Romam rediit, concilium congregavit universale in Ecclesia Lateranensi, ubi mille circiter Patres accessere. In eo rescinduntur acta Schismaticorum; pristina disciplina in Ecclesia restituitur; inhibetur sub excommunicationis pœna, nè manus violentiæ iniiciantur in Clericum; condemnaruntque Petrum de Bruis, qui tenebat, infantes non debere baptizari ante rationis usum, nec alienam fidem prodesse illis, qui non possunt uti propria. Asserebat 2. non debere extrui Templa, & constructa demolienda esse. Negabat

bat 3. Crucem esse pingendam, quia fuerat Christo in deducus; unde ipsius species dehonestandæ erant, non venerandæ. Negabat 4. Sacrificium Missæ, & nullum Deo offerendum volebat. Tandem eleemosynas, oblationes, & reliqua bona, quæ fiebant pro mortuis irridenda. In quibus apparet, ipsum Petrum de Bruis esse omnium parentem Hæreticorum, qui post ipsum vixerunt.

De Concilio Lateranensi tertio, & generalium undecimo.

ANno Domini 1179. hoc concilium indixit Alexander III. sub Imperio Friderici I. contra Albigenses, & Vvaldenses, nomine Catharos. Albigenses in Aquitania renovare volentes errores Manichæorum, negando liberum Arbitrium, composuerunt exercitum ex centum millibus Militum, qui miraculosè in fugam, & destructionem positus est per Montisfortis ducem, qui mille quingentos habebat tantùm Milites; ipsi verò Hæretici in hoc concilio, damnati sunt. Vvaldenses autem, aliàs Pauperes de Lugduno, quia omnia dabant pauperibus ad exemplum cujusdam Civis Lugdunensis inter alios prædivitis, contra Papam, Indulgentias, Purgatorium, & alias Catholicas veritates insurgentes, illicò damnati fuere in concil. Lateranensi.

Non solùm extirpandæ Hæreses dederunt locum huic Synodo, sed etiam Antipapæ, quibus favebat Fridericus Imperat. Cùm enim Adrianus Pontifex discessisset è vivis, duo Pontifices creati sunt, Rolandus Senensis scilicet, dictus Alexander III. vigiti, & uno suffragiis Cardinalium: &

Octavianus Romanus, qui sub nomine Victoris IV. tantùm à tribus electus est: Ex hoc grave ortum est Schisma; Impetatoris enim opera, Germania, & una pars Italiæ non tantùm Victorem Papam coluerunt, sed ipso etiam mortuo, Guidonem Cremensem, & Joannem Victoris successores in legitimos Pontifices agnoverunt, Ex alia tamen parte, Gallia, Anglia, Hispania, pars Italiæ, cæteræque Provinciæ, Alexandri partes semper susceperunt. Cùm autem bellum grave suscitatum fuisset Friderico, in quo & debellatus est, cæpit resipiscere, ad pedes Alexandri se subjecit, firmam cum illo stabilivit pacem, & Schisma, quod duodeviginti annis duraverat, cessare fecit. Ipse verò Alexander se pacificum videns: Concilium generale convocavit in Lateranensi Basilica, in quo statuit, ad evitanda Schismata futura, nè deinceps quis in legitimum Pontificem haberi posset, nisi à duabus partibus Cardinalium eligeretur.

De Concilio Lateranensi quarto, inter generalia duodecimo.

AD hoc concilium convenerunt Romam plusquam quadrigenti Episcopi, & plusquam octingenti Abbates, & viri in Ecclesia illustrissimi, & hoc sub Innocent. III. & Friderico II. Imperat. an. 1215. Hoc concilium celebratum est pro Hæresibus extirpandis, moribus Ecclesiæ reformandis, & bello ineundo contra Turcas, qui Terram Sanctam invaserant. In hoc concil. adfuerunt Patriarchæ Constantinop. & Hierosolym. Antiochenus morbo correptus adesse non potuit, nisi per Legatum; nec Alexandri-

drinus nisi per Diaconum suum Germanum, quia ipse erat sub dominio Saracenorum. Legatorum denique fuit ingens multitudo, utpote Romani, & Constantinopolitani Imperatorum, Regum Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Hierosolymorum, Cypri, Arragoniæ, aliorumque Principum, & Magnatum, sicut & Civitatum: sic Abbas Uspergensis: qui hoc tempore floruit. Ibi etiam de reunione Græcorum, & Latinorum actum est. Post orationem Papæ habitam in co. c. ad omnes Prælatos, & Legatos Principum, citissimè trecenta millia undique militum congregata sunt, sub diversorum ductu; & hi omnes cruce accincti sunt, ut pateret ipsos bellum inire pro Christo. Primò Antiochiam, deinde finitimas regiones invaserunt, & postremò Hierusalem ceperunt obsidione, in qua urbe omnium Principum consensu, electus est in Regem Hierosolymorum strenuissimus Dux Gothofredus Bullonius, qui in Urbem primus irruperat. Regnaverunt ibi Fideles per nonaginta circiter annos; quo tempore elapso, sub Pontificatu Urbani VIII. & Guidone rege, capta à Saracenis Hierosolyma occupata fuit.

De Concilio Lugdunensi primo, tertio decimo Generalium.

DE hoc concilio à solo Pontifice Innocentio IV. congregato, propter litigium inter ipsum, & Imperatorem Fridericum II. nihil ex me dicam, sed audiendus est Matthæus Paris, fusiùs scribens acta hujus Concilii.

Anno Dom. 1245. cùm Dominus Papa Innocentius IV. propter multa pericula quæ immi-

imminebant Ecclesiæ, in Galliam se transtuliſſet, concilium convocavit apud Lugdunum, ad Vigiliam D. Petri, in majori scilicet Ecclesia. Locum ascendit eminentiorem habens Imperatorem Constantinop. à dextris, & alios Principes à sinistris. Ex opposito tres Patriarchæ Ordinati fuerunt. Constantinopol. Antiochenus, & Aquilejensis, cujus sessioni esse oppositum fuerunt alii, dicentes ejus Sedem esse destructam: hoc tamen composuit Papa. In Navi Ecclesiæ ad dexteram, & in eminentioribus locis sederunt Episcopi Cardinales, ex altera Cardinales Presbyteri, Archiepiscopi, & Episcopi post eos, & deinde Abbates, Procuratores Capitulorum, Nuntii Regum, & Legati Imperatoris Friderici. Post preces de solito factas orationem habuit Pontifex super verba Prophetæ, *Secundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo consolationes tuæ*: ubi ostendit dolorem suum esse multiplicem propter difformitatem Prælatorum, insolentiam Saracenorum, sævitiam Tartarorum, Schisma Græcorum, & persecutionem Ecclesiæ à Friderico Imperat. Posteà ostendit concordatum factum ab Imperat. munitum Aurea Bulla, concessum prædecessori suo Honorio, in quo per juramentum promiserat fidelitatem Pontif. tanquam vassallus domino: fatetur Regnum Siciliæ, & Apuliæ esse Patrimonium D. Petri, & ab eo teneri in feudum Ecclesiæ, agnoscit Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoleti, Exarchatum Ravennæ, & alias terras esse de temporali dominio Ecclesiæ. Quibus dictis, Judex Thadæus Imperatoris nuntius respondit ad omnia allegata cum eloquentia tali, ut grata fuerit omnibus ipsius responsio; ad

quam

quam Papa replicans, convicit omnes de vera perſecutione Imper. in Eccleſiam. Prælati poſtea inſurrexerunt contra Imperatorem, probantes, ipſum velle Eccleſiam reducere ad paupertatem primitivæ Eccleſiæ, ut ipſe gauderet bonis illius; Unde Pontifex, poſt inſtitutionem Octavæ Nativitatis B. Mariæ, poſt quædam decreta pro Terra ſancta recuperanda, poſt condemnationem Hæreſis Albigenſium, & Valdenſium, primò oretenùs pronuntiavit excommunicationem in Imperat. quam confirmavit ſcripto, quod legerunt Patres in Synodo, non obſtante appellatione Thaddæi ad futurum Papam, & Concil. Poſt excommunicationem illam, privavit Papa Imperatorem ſuo dominio, & Henricus Lantgravius accepit Imperium precibus Papæ, inquit Albertus Sardenſis, Porrò lecta ſententia excommunicationis, ſurrexit Pontifex, incepit, *Te Deum laudamus*, diſſolutumque eſt Concilium. In Concil. determinatum eſt, quòd Cardinales Pileo Rubro uterentur ad deſignandam eorum conſtantiam in Fide ſuſtinenda.

De Concilio Lugdunenſi ſecundo, quarto decimo Generalium.

GRegorius Decimus, ſub Imperio Rodulphi convocavit hoc Concilium, anno Domini 1274. in quo pluſquam mille Patres, & inter eos, pluſquam ſeptingenti ad minus convenerunt Epiſcopi, inter quos fuit Domino Bonaventura, qui multum contulit cum aliis Minoritis ad unionem Græcorum cum Latinis D. Thomas autem in itinere morbo correptus, mortuus eſt. Hujus

Concil.

Concil. Hiſtoria habetur ex Luca Vvadingo.

Injuncto primùm jejunio trium dierum à Pontif. tum Epiſcopis, tum Cappellanis ſuis, primo die poſt Kalendas Maii 1274. ſedibus præparatis in majori Eccleſia S. Joannis, & omnibus ſuum locum tenentibus. Pontifex in prima ſeſſ. triplicem cauſam hujus Concilii declaravit; nimirum ſubſidium Terræſanctæ, unionem Græcorum, & morum reformationem. Pro Græcorum unione miſit Pontifex quatuor Minoritas ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Andronicum filium ejus, ut teſtatur ipſemet Imperator in Epiſtola, quam ſcripſit ad Georgium X. ſub Sigillo Aureo, in qua ſe Fidem Romanam profiteri teſtatur in mediatione horum Fratrum Minoritarum.

Ante tertiam Seſſionem hujus Concilii, litteras accepit Pontifex à Minoritis de ſuo adventu cum Legatis Græcorum, ad quas ſummè gaviſus eſt Papa: unde fecit convocari omnes Prælatos, & coram ipſis ſermonem habuit Cardinalis Bonaventura, aſſumpto pro themate, *Exurge Hieruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & inde collige filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem*. Baruch. 5 & concione habita, lectæ ſunt prædictæ litteræ Minoritarum, aſſerentium ſe prope eſſe. Et revera paulò poſt advenerunt illi Fratres cum Nuntiis Imperatoris Michaelis Paleologi, & filiis ejus Andronici, necnon & Prælatorum univerſæ Græciæ, quibus obviam fuerunt omnes Prælati Concilii; Vicecancellarius Papæ, & totâ Cardinalium familia, qui omnes conduxerunt Græcos ad Palatium Pontificis: Papa verò ſtans in aula Palatii cum ſuo comitatu, illos benignè ad oſculum pacis recepit,

cepit, & Græci significaverunt in omnium conspectu, se venisse ad omnimodam obedientiam suæ sanctitati præstandam, profitendum Ecclesiæ Romanæ Primatum, & porrigendum Imperatoris diploma, in quo Fidem Catholicam se profiteri testatur, juxta institutionem, quam illi dederant Pontificis Legati, Minoritæ scilicet.

Misit cum sua Epistola Imperator confessionem suæ Fidei ad Concilium, juxta institutionem, quam ad illum misit Summus Pontifex, & cum litteris Imperatoris alias præsentaverunt Legati, à Prælatis Græciæ, inter quos viginti sex Metropolitani Fidei Romanæ Ecclesiæ subscripserunt, & unioni cum illa. Non potuit tamen induci Josephus Patriarcha Constantinopol. ut aliis consentiret, contendens suam Sedem esse primam: sed Prælati Græciæ promiserunt in suis litteris quòd si immobiliter se haberet, tunc ipsum à Sede eiicerent. Post quædam colloquia, proposita est Nunciis, Græcorum norma Fidei Romanæ, quam profiteri debebant suo, & illorum nomine, quorum gerebant vices, quod libenter acceptarunt: unde in die Apostolorum Petri, & Pauli solemne sacrum fecit Pontifex, & D. Bonaventura egregium habuit sermonem de pace ineunda & puritate Romanæ Fidei; & statim cantatum est Symbolum Fidei Constantinop. & dum ventum est ad articulum de Spiritu Sancto Græci cum Latinis lento cantu pronuntiaverunt, *qui ex Patre, Filioque procedit*. Quo facto Germanus olim Patriarcha Constantin. Nuntius, & consanguineus Imperatoris, Archiepiscopi, & alii Græci, gratias egerunt D. Papæ, qui statim Missam prosequutus est.

Fra-

Fratres Minoritæ prædicti, scilicet F. Hieronymus de Asculo, F. Remundus Berengar. F. Bonagratia, & F. Bonaventura de Mugello, induxerunt Tartaros ad idem fœdus iueundum cum Ecclesia Romana; unde ad Concilium adduxerunt eorum Legatos, quibus obviam fuerunt Cardinales, deductique ad Aulam Pontificiam, ubi agebant Prælati de rebus Concilii; summo cum honore recepti sunt. Interim cum dolore omnium moritur D. Bonaventura, quem Sixtus IV. & V. Pont. dicunt fuisse Præsidem in Concilio isto; quod tamen verum esse non potest, cùm semper adfuerit Gregorius; sed in privatis colloquiis, quæ fieri solebant tanquam præparatoria, nè res indiscussæ proponerentur in Concilio, semper primas tenuit. Tanta autem in hac Synodo præstitit Ecclesiæ, ut omnium sibi conciliaverit animos: præsertim Græcorum, qui ipsi dederunt nomen Eutychii, quod est eruditionis, & sapientiæ elogium: ipsi enim profectò debetur pacificatio inter Græcos, & Latinos, unde in Concilio præsenti Pontifex creaverat illum Cardinalem Episcopum Albanensem, quod nunquam contigerat, ut quis fieret Cardinalis Episcopus antequam esset Cardinalis Presbyter. Omnes Prælati cum Papa illius funus decorarunt præsentia sua, sicut & Imperator Constantinopolitanus, quod vix unquam compertum est. In hoc Concilio multùm agitata fuit quæstio inter Græcos, & Latinos de processione Spiritus S. ubi mira egit, & dixit D. Bonaventura; tandemque determinatum est, ut diximus, ipsum esse à Patre, & Filio, tanquam unico principio.

De Concilo Viennenſi , generalium quintodecimo .

ANno 1311. celebratum eſt hoc Concilium Viennæ in Delphinatu , ſub Papa Clemente V. Philippo Pulchro Francorum Rege , & Henrico VII. Imper. De hoc Concil. loquens S Antonius 3. p. Hiſt. Tit. 12. c. 3. dicit , *Clementem , qui promotus fuerat ad inſtantiam Regis Gallia , promiſiſſe illi in ſua promotione , quòd deleret Bonifacium VIII. ex Pontificum numero , qui illum Regem excommunicaverat , & Regnum dederat primo occupanti : ubi Rex pretendebat oſtendere , Papam eſſe Hereticum* . His nunquam aſſentiri voluit Concilium , immò declaravit , Bonifacium fuiſſe ſemper legitimum Pontificem: unde Papa , cûm non poſſet ſua promiſſa adimplere , declaravit decreto Concilii , omnes proceſſus, quos fecerat Bonifacius in Regem, fore nullos , nec intuitu illorum ullam unquam pœnam , aut detrimentum futurum , nec Regno , nec Regi , nec ejus filiis . In hoc Concil. pluſquam trecenti Epiſcopi undequaque adfuerunt .

Templariorum Ordo penitus deſtructus fuit in hac Synodo ; conſtitutio facta pro celebrando feſto Corporis Chriſti Feria 5. poſt Octavam Pentecoſtes ; & condemnati Fraticellorum , ſeu Begardorum , & Beguinarum errores , Virorum , & Mulierum Germaniæ, qui contumaciter aſſeverabant. 1. Quòd homo poſſet tantam perfectionem acquirere , ut fieret impeccabilis . 2. Quòd poſt talem perfectionem , non oporteret ampliùs homini orare , nec jejunare . 3. Quòd tales non ſint ampliùs ſubjecti obedientiæ , nec

Ec-

Ecclesiæ præceptis. 4. Quòd homo totalem beatitudinem possit sibi in hac vita comparare. 5. Quòd anima non indigeat lumine gloriæ ad Deum videndum. 6. Quòd exercere actus virtutum sit hominis imperfecti. 7. Quòd osculum mulieris sit peccatum, dum ad illum non inclinat natura: & quòd actus carnalis, seu simplex fornicatio non sit peccatum, dum tentatur exercens. 8. Quòd in elevatione Corporis Christi non debeat homo perfectus reverentiam exhibere, quia perfectioni suę detraheretur, si ob hoc ab altitudine contemplationis suæ descenderet.

Begardi, & Beguinę multis nominibus insigniti sunt, utpotè Fraticelli, Fratres de paupere vita, Bisochi, Fratres Ordinis Apostolorum, & Dulcinistæ, à quodam Dulcino Novariensi, quem sex millia hominum secuti sunt. Anno 1305. Bzovius pauperculæ S. Francisci Familiæ semper infensissimus eos dixit fuisse Fratres, & sorores Ordinis Tertii D. Francisci, sed de errore, & mendacio arguitur ab omnibus. Quantum ad ipsum Clementem V. qui hos Hæreticos condemnavit, agebat in Gallia, & jam inde ab hoc tempore, hoc est, Anno 1305. translata est Sedes Pontificia ab urbe Roma Avenionem Galliæ urbem, quam à Rege emit Clemens VI. & ipsa Sedes mansit Avenioni ad septuaginta, & quatuor annos Clementina Constitutiones Apostolicæ in jure Canonico insertæ ortum habuerunt ab illa Synodo.

De Conciliis Constantiensi, & Basileensi partim approbatis, & partim reprobatis.

QUoniam in hac Disp. mens fuit tantùm agere de legitimis Conciliis totaliter appro-

probatis, quæ sunt octodecim numero, ideò potuissemus abstinere à sermone horum, quæ partim approbarunt, & partim reprobarunt Pontifices: sed quia in illis aliquid consideratione dignum est, concernens superioritatem Concilii, vel ejus inferioritatem, respectu Papæ, ideò de illis mentionem aliquam facere debuimus, non obstantibus dictis nostris in q. 9. de Summi Pontif. infallibilitate, & q. 7. disp. præced.

Concilium Constantiense, ubi trecenti Episcopi convenerunt, & plusquam septingenti Patres, inchoatum fuit anno 1414. sub Joanne XXIII. & finitum ann. 1418. sub Martino V. Hoc Concilium fuit generale, quia congregatum fuit ad tollendum Schisma; divisio enim Cardinalium tres instituit Pontifices, nimirum Joannem XXIII. Benedictum XIII. & Gregorium XII. Fuit partim approbatum, in condemnatione nimirum Vvicleffi, Joannis Hussii, & Hieronymi Pragensis; & partim reprobatum, in hoc scilicet, quòd in primis Sessionibus Papam inferiorem Concilio declararunt. Unde, cùm dicitur, Martinum V. legitimum Pontificem, ejectis tribus illis Pontificibus, approbasse acta hujus Concilii: respondetur, approbasse quidem ea, quæ sunt *conciliariter* acta, idest, prævio, & maturo examine, quod factum non fuit in hac determinatione, ad quam omnes sine ulla perquisitione convenerunt, videntes nullum reperiri modum expeditiorem ad impedienda Schismata, nisi declarando Concilium esse supra Pontificem. Videantur, quæ diximus q. 9. de Summ. Pontif. & quæst. 7. disp. præced. Porrò, quæ facta sunt contra Pontif. in hoc Concilio, & in Basileensi, revoca-

ta

ta sunt in Concilus Florentinis, & Lateranensi.

Concil Basileense sub Martino V. & Eugenio IV. celebratum est, anno D. 1431. Inchoatum fuit Senis sub Juliano Cardinale S. Angeli, præside, & justis de causis Basileam translatum. Hoc Concilium fuit Oecumenicum, utpotè indictum à Sum. Pontif. qui ad illud delegavit. Talem Legationem approbavit Eugenius IV. post obitum Martini V. sicque inchoatum est Concilium Basileæ jussu Eugenii, ad quod ex omni parte quamplurimi convenerant Episcopi. Cùm autem ipse videret, Patres suscitatos ab aliquibus Principibus, sub prætextu reformandæ Ecclesiæ, plurima Romanæ Ecclesiæ tollere privilegia, statim suum Legatum revocavit, Concilium dissolvi jussit; & Ferrariam transtulit. Interim licèt Episcoporum plurimi abierint cum Legato, proinde Concilium fuerit dissolutum; alii remanentes sub præsidio Cardinalis Arelatensis, qui sibi præsidendi munus assumpserat, deposuerunt Eugenium, loco ipsius substituentes Amadeum Eremitam, dudum Sabaudiæ Ducem, sub nomine Felicis V. qui postea, mortuo Eugenio, suum Pontificatum, ad quem evectus fuerat invitus, cessit Nicolao V. successori Eugenii, ipse verò ad pristinum Eremum se contulit. Hoc Concil. nihil habet ratum, nec probatum, nisi qualdam constitutiones pro Beneficiis, quas, pacis causa, approbavit Nicolaus V. reliqua verò, quæ in aliis Conc. non sunt definita, reprobavit, juxta Prædecessoris sui sententiam; & sic in hac Synodo sancita, sunt contra Pontificem, nullum pondus habet.

De

De Concilio Florentino, quod fuit sextumdecimum inter Generalia.

DUm videret Eugenius IV. perversam intentionem aliquorum Concilii Basileensis Episcopos ab illa Synodo, & Legatum avocavit, præcipiendo ut Concilium dissolveretur. Videns autem ipsum continuari, anno 1439 congregavit aliud Concilium Ferrariæ oppositum Basileensi, quod Concilium posteà translatum est Florentiæ, & in illis actum est de unione Græcorum cum Latinis; ipsi enim suum Schisma renovarant ob Processionem Spiritus sancti à Filio, ob additionem factam hujus particulæ, *Filioque*: ob ignem Purgatorium, ob Principatum Papæ; ob azymum, vel fermentatum panem; ob transubstantiationem panis, &c. In omnibus controversiis convenerunt Græci cum Latinis in Concilio isto, in quo decantatum ex Symbolum ab utraque Gente, cum hac additione, *Filioque procedit*, quæ ter Græcè, ter Latinè repetita est. Quantum ad azymum: aut fermentatum panem, determinatum est in utroque consecrationem posse fieri, & sic servandum uniuscujusque Ecclesiæ usum.

In ultima Sess. Joseph. Patriarcha Constantinopolitanus morte subita obiit; sed antè mortem scripsit se agnoscere Pontificem Veteris Romæ habere jure merito Primatum Ecclesiæ totius; seque totaliter esse in Fide conformem Ecclesiæ Romanæ, quod scripsit 8. Junii anno 1430. in urbe Florentiæ: Intereà advenerunt paulò ante finem Concilii, Legati Patriarchæ Armeniorum, petentes suam Ecclesiam uniri cum

Romana, fidem ipsius, & Decreta Concilii Florentini piè, & sincerè amplecti volentes. Paulò post finem hujus Concilii ann. 1453. post diutinam obsidionem cepit Mahometes urbem Constantinopolim; ubi tantam exercuit crudelitatem, ut nulla oratione explicari valeat. In hoc Concilio actum est specialiter de materia, & forma Sacramentorum. Sessiones sexdecim hujus Concilii, primæ scilicet, celebratæ sunt Ferrariæ, cæteræ verò Florentiæ usque ad vigesimam quintam, quæ fuit ultima. His omnibus expletis, litteræ Unionis factæ sunt, quibus Joannes Paleologus Imperator, Patriarchæ, & alii Ecclesiarum Orientalium Prælati subscripserunt, sicut & Occidentales.

De Concilio Lateranense quinto, decimo-septimo Generalium.

INitium duxit hoc Concilium ann. 1512. sub Julio II. & Leone X. imperante Maximiliano: finitum est autem ann. 1517. Julius II. in sua electione promiserat se Concilium celebraturum pro reformanda Eccle-sia, & pace componenda inter Principes Christianos juxta Conc. Constantinop. in quo determinatum fuerat, ut quolibet decennio convocaretur. Requisitus autem de hoc multoties, vel non potuit, vel non voluit illud convocare; unde quidam Cardinales Concilium celebrarunt apud Pisas, convocatis omnibus Episcopis, tanquam ad generale Concilium. Hoc videns Pontifex, indixit Concilium Romæ apud Lateranum contra Conciliabulum Pisanum, sicut Concilium Florentiæ fuit contra Basileense indictum. Primò rationem reddidit Pontifex

de

de Concilii dilatione, propter exercitum Julii II. & Imperatoris, & exercitum Ludovici Regis Francorum, qui prope Civitatem Ravennatem conflictum habuerunt. 2. Legitur Bulla, in qua Concilium Pisanum & Acta ejus irritata fuerunt 3. Moritur Julius II. post Sess. 5. 25. Febr. ann. 1513. & eodem anno Martii 11. electus est Cardinalis de Medicis sub Leonis X. nomine. Sub eo in Sess. 6 fit electio 24. Prælatorum, qui adsit Papæ cum Cardinalibus in negotiis pertractandis. 4. Leguntur litteræ subscriptæ à Cardinalibus, qui Concilium Pisanum congregaverant, in quibus abjurant Schisma, quod fecerunt, fatentur se malè egisse, veniam de hoc expetunt, & pristinæ dignitati restituuntur in Consistorio secreto, venientes ad Papam, tamquam simplicis Cler. 5. In sess 10. die 4. Maii an. 1515. præsidente Leone X. approbantur Montes pietatis.

De Concilio Tridentino, Generalium ultimo.

HOc Concilium, quod multas, & longas habuit interruptiones, inchoatum est ann. 1545. & finitum ann. 1563. temporibus Caroli V. & Ferdinandi primi, sub Pontificatu Pauli III. ejus Legati erant Joannes Maria Cardinalis Episcopus Prænestinus, Marcellus Cervinus Presbyter Cardinalis Tit. S. Crucis in Jerusalem, & Reginaldus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis. Continuatum est Concilium suo Julio III. Pontifex cujus vices tenuerunt Marcellus Crescentius Presbyt. Cardinal. Sebastianus Pighinus Archiepiscop. Sipontinus, & Aloysius Lipomanus Episcop. Veronensis Denique consummatum est Concil. sub Pio

IV. cujus nomine præsederunt Hercules Gonzaga Presb. Card. Hierõymus Seripãdus Presb. Card. Juãnes Moronus Card. Episc. Ludovicus Simoneta Præsb. Card. Marcus Sitiens Diac. Card. & Bernardus Navagerius Presb. Card.

Postquam multoties desiderata fuit hæc Synodus, ad extirpandam Lutheranam Hæresim in Germania maximè grassantem, an. 1537. indicta tandem fuit Mantuæ à Paulo III. sed quia Dux nimiam poscebat pecuniam pro militari præsidio, ad tuendam urbem contra exteros, indictum est anno sequenti Vicentiæ, quod acceptare noluerunt Veneti, quia nuper pace initia cum Solimano, timuerunt nè Solimanus præsumeret, Venetos omnes Christianos Principes in hoc Conc. excitaturos contra ipsum. Tandem an. 1542. celebrari jussum est Trid. ubi reverà initium duxit an. 1545. sed an. 1547. translatum est Bononiam ob intemperiem aeris, & morbos graves; ubi interruptum fuit post 7. Sessionem, per quadriennium, & deinde celebratæ sunt posteà adhuc tres aliæ Sessiones sub Paulo III in illa urbe Bononia. Mortuo autem hoc Pontifice, resumptum est Conc. Trid. sub Julio III. ubi celebratæ sunt sex Sessiones, à decima scilicet usq; ad 16. inclusivè, & posteà suspensum est Conc. ad ann. 1561. quo tempore sub Pio IV. Julii III. successore celebrari cæpit, ac deniq; sequenti anno consummatum est, & sub hoc Pontif. factæ fuerunt 9. Sessiones; in toto enim Concilio 25 celebratæ sunt; 10. sub Paulo III. sex sub Julio III. & 9. sub Pio IV. De Luthero, Calvino, & aliis Hæresiarchis jam dictum est.

CAPUT III.

De Conciliis particularibus.

ÆQuum est, ut à generalibus Conciliis ad particularia descendamus; non quòd de

de omnibus loqui mens noſtra ſit, ſed ut ſaltem de principalioribus dicamus aliqua. Per particularia Concilia illa intelligimus, quæ non ſunt Oecumenica, ſeu Generalia; ſed vel Nationalia, aut Provincialia dicuntur. Porrò, ut jam inſinuavimos, Concilia Nationalia ſunt illa, quæ induuntur à Patriarchis, ſeu Primatibus, & in quibus conveniunt Prælati illius Patriarchatus, vel Primatiæ. Provincialia verò ea ſunt, quæ ab Archiepiſcopis congregantur, & ex Epiſcopis componuntnr Suffraganeis.

De Conciliis particularibus primi ſæculi.

IN primo ſæculo multotie convenerunt Apoſtoli, ut diximus initio capitis: ſed conventio, quæ facta eſt ſub D. Petro an. Chriſti nati 15. contra Cerinthum, ſolemnior eſt inter alias: unde ab aliquibus vocatur Concilium generale; ab aliis ſaltem Nationale, aut Provinciale. Videantur, quæ jam dicta ſunt de illo Concilio.

Ideò celebratum eſt Concilium hoc Jeroſolymit. ob diſſenſionem ortam inter Chriſtianos Antiochiæ, quorum aliqui noviter de Judaiſmo converſi credebant obſervandam eſſe legem Moſaicam cum Chriſtiana, & hujus diſſenſionis Author fuit Cerinthus ex Epiphanio. Toſtat. in 17. Matth. q. 13. putat, Jacobum protuliſſe definitivam ſententiam, in quantùm erat Jeroſolymorum Epiſcopus, quod falſum eſt; fuit enim Petrus, qui pronuntiavit, ut probavimus in fronte cap. præced Nam in quacumque Diæceſi reperiatur. Pontifex, præſidet, & ſubditos habet Epiſcopos. Porrò ut executioni demandaretnr Concilii hujus definitio, miſſi ſunt, qui eam deferrent, ac promulgarent Antiochiæ.

Fuit aliud Concilium in hoc sæculo Antiochiæ celebratum sub D. Petro annò 57. in quo præ cæteris determinatum est, ut homines credentes in Jesum Christum, qui anteà vocabantur Discipuli, Christiani deinceps appellarentur. Multiplici autem ratione vocati sunt Christiani, à Christi nomine, non Jesuitæ à nomine Jesu; quia scilicet nomen Jesu est Hebraicum, & nomen Christi est Græcum: unde quia mutatio nominis Discipulorum in nomen Christianorum facta est in Græcia, & non in Judæa, nempe Antiochiæ, ideò potiùs dicti sunt Christiani, quàm Jesuitæ. Deindè, nomen Jesu respicit divinitatem, idem est enim Jesus, ac Salvator, & salvare ad Deum pertinet; nomen autem Christi est nomen humanitatis, nam Christus idem est, ac unctus (divinitate scilicet) unde cùm Christiani sint uncti unctione Baptismi & Confirmationis tanquam milites, ideò jure hoc nomine vocatur Christiani.

De Conciliis secundi sæculi.

TRia prima fuerunt, *Romanum* sub Victore Papa ann. 198. *Palæstinum* eodem anno, & *Ponticum* pariter. In illis determinatum fuit Pascha celebrandum esse, non quarta decima Luna Martii more Judæorum, sed die Dominica post illam quartamdecimam diem Lunæ, prout tradiderunt Apostoli. Ann. eodem Asiatici celebrarunt Concilium, vocatum *Asiaticum*, in quo determinatum celebrandum esse Pascha quarta decima die primi Mensis, etiam in Dominicam non incideret: sed per Victorem Papam hoc Concilium reprobatum est, & per Concilium Nicænum. Concilium *Gallicum* celebratum est sub Iræneo Lugdunensi Episco-

Episcopo tempore Victoris Papæ, in quo statuerunt Prælati die Dominica sequenti quartam decimam Lunæ Martii celebrari debere Pascha.

De Conciliis tertii sæculi.

CONcilium *Africanum* sub Zephirino celebratum est ann. 217. Tertullianus enim, dum adhuc verus esset Catholicus, volens omnia, quæ sunt hæreticorum, deiici ab Ecclesia, persuasit Agrippino Carthaginensis Ecclesiæ Episcopo, Baptismum ab hæreticis collatum esse invalidum, & reiterandum consequenter; unde Agrippinus Numidiæ, & Africæ Episcopos in Africam convocans, de consensu Patrum affirmavit iterandum esse Baptismum hæreticorum, sed hoc Concilium reprobatum est à Summo Pontifice Stephano I. Concilium *Africanum*, seu Carthaginense, convocatum fuit anno 258. à D. Cypriano, qui sicut Agrippinus, sentiebat rebaptizandos esse conversos ab hæreticis, & sic pleniorem conventum Episcoporum convocavit, nimirum 70. ubi statutum est, tale Baptisma esse iterandum; sed denuò hoc Concilium reprobavit Stephanus, quod audiens Cyprianus incunctanter majorem numerum Episcoporum congregavit ex Mauritania Africa, & Numidia usque ad 85. qui recenter pronuntiaverunt nec verum Baptisma, nec veram remissionem peccatorum posse ab hæreticis conferri. Quod rursus in Concilio Romano reprobavit Pontifex Stephanus. Ab hac opinione resilierunt posteà, tum Cyprianus, tum alii Episcopi. Et in Concilio Nicæno Generali primo determinatum est, Baptizatus ab hæreticis rebaptizandos non esse. Concilium *Arabicum* celebratum fuit sub Fabiano Papa, an. 249.

hæreticos, animas hominum mortales esse affirmantes, cum corporibus extingui, & in novissimo die resuscitari cum illis. Doctissimè hos hæreticos expugnavit Origenes. Concilium aliud celebratum fuit Carthagine, anno 254. sub Cypriano Episcopo tempore Cornelii Papæ ob hæresim Novati Romanæ Ecclesiæ Presbyteri, qui docebat non recipiendos esse ad ablutionem Fideles, qui in persecutione fidem negaverant quantumvis essent pœnitentes. In hoc Concilio determinatum est, ut lapsi ad Pœnitentiam admitterentur, non verò ad Communionem, nisi post tempus pœnitentiæ peractum. Concilium *Romanum* primum celebratum, anno 254. tempore Cornelli Papæ præcedens Decretum confirmavit, addendo, quòd Sacerdotes lapsi, prævisa pœnitentia, & satisfactione, in Ecclesia recipiantur, sed ad Communionem reducantur laicam. Concilium Romanum secundum, an. 255 sub Cornelio Papa condemnavit Novatianum. Concilium Africanum an. 257. sub Stephano Papa excommunicavit Geminium post mortem; quia ex hac vita discedens Fortunatum Presbyterum testamento suo filiorum tutorem nominasset: sed potiùs dicendum est, quòd Concilium eum excommunicatum declaraverit, quia in hoc excommunicationem incurreret latam à præcedenti quodam Consilio Africano. Aliud Concilium *Africanum* celebratum est, anno 258. sub eodem Papa contrà Basilidem, & Martialem Episcopos, qui dejecti fuerant à suis sedibus propter abnegationem fidei, & in illis restitui prætendebant. Concilium aliud fuit celebratum *Romæ*, anno 293. sub Dionysio Papa, in quo alius Dionisius Alexan-

xandrinus Episcopus justificatus fuit de Sabellianismo, quod illi imputabant Pentapolitani. Concilium *Antiochenum* bis celebratum est contra Paulum Samosatenum, qui Christum purum hominem docebat, anno scilicet 266. & 272. Concilium *Narbonense* celebratum fuit, an 230. in quo per miracula Paulus Episcopus Narbonensis probavit suam innocentiam contrà duos ex Diaconis suis, qui clanculùm calceamenta muliebria projecerant in ejus cubiculum. Concilium *Lugdunense* fuit celebratum anno 258. contrà Martianum Arelatensem Archiepiscopum, qui infectus erat errore Donatiani; unde Faustinus Archiepiscopus Lugdunensis metuens, ne tale venenum inficeret suas oves, Concilium hoc indixit; in quo scripserunt Prælati ad Summum Pontificem, ut Martianum ejiceret e throno.

De Conciliis quarti sæculi.

CONcilium *Romanum* sub Melchiade convocatum est contrà Donatistas; an. 313. ferre non valentes ordinationem Ceciliani ad Episcopatum Carthaginensem, cui præficere volebant Schismaticos. Concilium *Arelatense* celebratum est tempore Constantini, & Silvestri Papæ primi in causa Donatistarum, qui à Papa Melchiade ad hoc Concilium appellaverant; sed talis permissio illis data est, non ex rigore juris, sed ex indulgentia, volentibus per hoc Pontifice, & Imperatore videre an se converterent Donatistæ post tale iudicium. Concilium *Ancyranum* celebratum tempore Silvestri Papæ I. anno Christi 314. determinavit idem ac præcedentia, quod scilicet non reciperentur ad Ecclesiæ communionem illi, qui in persecutione defecerant à fide, nisi prævia

pœnitentia. Concilium *Neocesareense* sub Silvestro, anno 314, determinavit Presbyterum convivio secundarum nuptiarum interesse non debere, cum secundis nuptiis imponatur pœnitentia: non quòd sint illicitæ, sed quòd incontinentiam manifestent. Concilium *Romanum* sub Sylvestro, an. 315, in quo præsente Constantino Imperatore, ac matre illius Helena, disputaverunt doctissimi Episcopi contra doctissimos Judæos, Scribas & Pharisæos, in qua disputatione victoria declarata est pro Christianis per Cratonem, & Zenophilum Philosophos ad id delegatos. Ob hoc in Christianos, & Imperatorem seditionem moverunt Judæi Concilium *Alexandrinum* primum contra Arium celebratum est, an. 314. sub Sylvestro, in quo damnatur ipse hæreticus, à communione eiicitur, & spoliatur Præsbyteratus Ordine. Ob eundem finem celebratum est aliud Concilium *Alexandriæ* an. 319. ad quod Sylvester Osium Episcopum misit Legatum. Concilium *Laodicenum* in Phrygia celebratum est sub Sylvestro an 320. pro reparanda disciplina. Concilium *Romanum* celebratum est sub Sylvestro an 324. coram Constantino, & ejus matre. In eo ordinati sunt gradus Ecclesiæ, determinando quot deberent esse Presbyteri Romæ, Diaconi, Subdiaconi, Acholythi, Exorcistæ, Notarii, &c. Concilium *Romanum* aliud celebratum est, an. 325, pro confirmatione Concilii Nicæni sub Sylvestro. Concilium *Gangrense* in minori Asia, Paphlagoniæ scilicet, congregatum est anno 324. sub eodem Sylvestro contra errores Eustatii Episcopi Sabastensis in Armenia, qui inter alios errores nuptias improbabat. Concilium *Alexandrinum*, an. 339, celebratum est &

& in hoc Ariani videntes Constantium Imperatorem Athanasium exulem restituisse suæ Ecclesiæ, novas calumnias excogitarunt, quibus non obstantibus, in sede confirmatur à Catholicis in hoc Concilio. In Concilio *Antiocheno* denuo Ariani Athanasium deposuerunt, & Gregorium Cappadocem substituerunt, anno 350 Plura alia celebrata sunt, tum contra Arianos, tum pro Arianis, quæ prolixius esset retexere.

De Conciliis quinti sæculi.

CONcilium *Africanum* celebratum est sub Anastasio, anno 401. ut invenirentur media, quibus Donatistæ è Schismate suo possent redire ad Ecclesiam. Consilium *Mileuitanum* primum sub Innocentio celebratum est, anno 402. contra Pelagium, Mileum, seu Milevum, est civitas Numidiæ in Africa. *Conciliabulum*, quod dicitur *ad Quercum* celebratum Fuit anno 402. In quo Theophilus Alexandrinus Patriarcha accusavit Chrysostomum, quod faveret Origenistis, ipsamq; Eudoxiam Imperatricem excitavit contra illum. Hæc Synodus habita est in loco *ad Quercum* dicto, qui fuit suburbium Chalcedonis. Aliud Concilium *Africanum* sub Innocentio pro Donatistis reconciliandis, celebratum est Carthagine, an 403. In Alio Concilio *Africano* habito Carthagine, anno 404. decreta fuit legatio ad Honorium Imperatorem contra Donatistas, qui non tantum communionem Catholicorum contemnebant, sed ipsos exagitabant armata manu. In *Toletano* Concilio decretum est, ne causidici, aulici, vel sæculari militiæ diditi ad Clericatum reciperentur. In Concilio *Africano* Innocentius maxime commotus

est adversùs accusatores D Chrysostomi, prohibuitque, ne cum Theophilo, & Episcopis Orientalibus haberetur communicatio, anno 407. Collatio, quam alii vocant Concilium, Carthagine habita est inter Donatistas, & Catholicos per tres dies jussu Honorii Imperatoris anno 411. In illa affuit D. Augustinus. In Concilio Cirtensi convenerant Augustinus, & plures Episcopi cum Silvano Numidiæ Primate, ut remedium afferrent mendaciis Donatistarum, qui cum victi essent, calumniabantur Catholicos, quod corripuissent judicem: unde dignos exilio declarat illos Honorius, Synodus *Diospolitana* in Palestina sub præside Eulogio Cæsariensi, declaravit anno 425. Pelagium Monachum esse Catholicum. Ipsa reprobata fuit ab Innocentio I. Concilium Carthaginense Pelagium, & Celestium tanquam hæreticos damnavit, anno 416. Sicut & Concilium *Milevitanum* 2. & alia sequentia. Concilium *Romanum* celebratum est an. 430. sub Celestino contra Nestorium, qui favebat Pelagianis, & dicebat B. Mariam non esse Matrem Dei. Concilium *Arausicanum* 1. celebratum est sub Leone I. anno 441. Concilium *Constantinopolitanum* generale Eutychem condemnavit sub Leone anno 448. Concilium *Ephesinum* reprobatum Eutychem absolvit. Concilium *Viennense*, an. 474. habitum est; in quo sub Simplicio Papa B Mammertus Viennensis Episcopus decrevit jejunium in triduo præcedenti Ascensionem Domini propter plura prodigia, quæ in hac civitate visa sunt. Concilium *Arelatense* condemnavit Prædestinatianos, anno 445. Omitto cætera.

De

De Conciliis sexti sæculi.

CONcilium *Agathense*, an. 505. collapsam disciplinam in vigorem restituit. In Concilio *Gerundensi* decretum est ann. 517. Cathechumenos esse baptizandos solùm in Pascha, & Pentecoste. In Concilio Arelatensi, anno 524. decretum est, ut Diaconus non Ordinetur ante 25. annos, & Sacerdos ante 30. Concilium *Arausicanum* 2. Cesario Arelatensi tempore Felicis 4. congregatum est an. 529. contrà Pelagianos, Massilienses, ac Prædestinatianos de gratia, & libero arbitrio. In Concilio Romano Bonifacius II. Vigilium Diaconum sibi successorem delegit, quod ipsemet reprobavit in Concilio Romano 2. ann. 530. Concilium Constantinopol. an. 536. celebratum est contrà Antimum, & complices, qui adhærebant errori Eutychiano. Concilia plura habita sunt in hoc sæculo in civitate Aurelianensi, & Parisiensi, & aliis in locis.

De Conciliis septimi sæculi.

IN hoc sæculo, multa celebrata sunt Concilio Romæ, quorum primum fuit sub Gregorio I. Joann. 601. In quo Pontifex consulere volens quieti Monachorum, quos perturbabantur Episcopi, multa pro illis constituit. Septemdecim fuerunt congregata *Toleti*. Ad hæc adiicienda sunt Concilia, *Byzacenum* ann. 602. *Numidia* 604. *Tarraconense* 614. *Matiscoense*, 618. *Hispalense*, *Rhemense* 630. *Alexandrinum*, coactum sub Honorio à Cyro Monotelita, 633. *Aurelianense* 750. *Clipiacense* in territorio Parisiensi, Gallicè *Clichy* 662. *Cabilonense* 650. *Emeritense* in Lusitania 666. *Anglicanum* 672. *Bracarense* 675. *Mediolanense* 679. *Rothomagense*

genſe 682. *Caſaraugustanum* 691 *Trajectenſe* 697. *Aquilejenſe* 698. & plura in Gallia.

De Conciliis octavi ſæculi.

PRæter concilia Romana, quæ multa fuerunt in hoc ſæculo, & in quorum primo prohibetur ſub Anathemate, ut nullus audeat presbyteram, aut Diaconam in conjugium ducere, fuerunt indicta plurima alia; ſed antea ſciendum eſt, quod per Presbyteram, & Diaconam intelligantur illæ fœminæ, quæ ex mutuo conſenſu à viris ad ſacros Ordines promotis relinquebantur, & caſtitatem tenebantur ſervare. Celebrata inquam, fuerunt, Concilium *Anglicanum* anno 705. Conciliabulum *Conſtantinopolitanum* à Joanne Monotellita 712. *Sueſſionenſe* 744. *Gentiliacenſe* 767. *Vvormatienſe* 770. Aliud ibidem 772. *Bavaricum* 772. *Paderbonenſe* 777. *Lipienſe* 780. *Colonienſe* 782. *Forojulenſe* 791. *Ratisponenſe* 792. *Francofordienſe* 794. *&c.*

De Conciliis noni ſæculi.

HOc ſæculum vidit concilia, *Altinenſe* an. 802. *Conſtantinopolitanum* an. 805. & Conventum optimatum Galliæ, in quo Carolus Magnus Regum in tres filios diviſit 806. jubens præcipuè, ut tres illi Fratres defenſionem Papæ ſuſciperent. Fuerunt inſuper concilia *Aquisgranenſe* 800. *Arelatenſe* 813. *Turonenſe* 813. *Cabilonenſe* 813. *Moguntinum* 812. *Rhemenſe* 813. *Noviomenſe* 814. *Aquiſgranenſe* 816. *Attiniacenſe* 822. *Romanum* 826. *Pariſienſe* 829. *Compendianum* 833. *Metenſe* 835. *Lugdunenſe* 836. *Conſtantinopolitanum*, in quo damnatis Iconoclaſtis, ejectoque Joanne Patriarcha hæretico, Methodius defenſor fidei Catholicæ ſubrogatus fuit, anno 842. *Bellovacen-*

ſe

cense, in quo depoſito Ebbone, *Hincmarus* datus eſt Eccleſiæ Rhenenſi 843. *Meldense* contra Laicos bona Eccleſiaſtica detinentes 845. *Turonense* 849. *Moguntinum* ſub Rabano Archiepiſcopo contra *Godeſcalcum* hæreticum Presbyterum 848. *Sueſſionense* ſed poſtea reprobatum, *Romanum*, quod depoſuit 853. Anaſtaſium *Presbyterum* Cardinalem. *Cariſiacum* 866. *Tullense* 859. Conſtantinopolitana plura Conciliabula, ſeu Photiana. *Confluentinum* 860. in quo concordia ſancita eſt inter quinque Reges Galliæ. *Silvaneſtense* 863. Plura concilia Romana. *Sueſſionense*, *Trecense*, *Euormatiense*, *Metense*, *Colonienſe*, &c.

De Conciliis decimi ſæculi.

IN fine ſæculi præcedentis Stephanus VII. exhumare facerat Formoſum Pontificem, & initio hujus ſæculi ſub Joanne IX. celebratum eſt Concilium *Romanum* anno 904. in quo improbantur facta à Stephano contra Formoſum. Eodem anno ob eandem cauſam Concilium *Ravennate* celebratum eſt. Concilium *Sueſſionenſe* celebratum fuit pro correctione morum, & diſciplina reſtituenda anno 909. concilio *Duisburgenſi* 927. excommunicantur Metenſes, qui Epiſcopum ſuum Bennonem excæcarant *Sueſſionenſe* 941. celebratum fuit in cauſa Hugonis, & Arnaldi, qui ſe Rhemenſes Archiepiſcopos profitebantur. Aliud ob eandem cauſam celebratum fuit *Viroduni* 947. Tandem in concilio *Engilenheimenſi* Arnaldus judicatur legitimus Epiſcopus, & damnatus Hugo tanquam invaſor 948. *Trevirense* 948. in quo excommunicatur Hugo

Co-

Comes adversarius Ludovici Regis Gallorum. In Concilio *Meldensi*, anno 962. mortuo Arnaldo, Hugo se in Ecclesiam intrudere volens, ad hoc indignus judicatur. Plura Concilia celebrata sunt Romæ, inter quæ celebratum est unum 997. in quo constitutum fuit, ut Imperator à septem electoribus institueretur. Alia etiam plura habita sunt in totius orbis Christiani partibus.

De Conciliis undecimi sæculi.

CONcilium *Francofordiense* celebratum est, an. 1006 in quo Ecclesia Bambergensis in Episcopalem erecta est. *Bambergense* 1011. composuit controversias ortas inter Episcopos, qui convenerant ad consecrationem Ecclesiæ Bambergensis, *Salegustiadiense* 1022. propè Moguntinum habitum est. *Aquisgranense* 1022. *Moguntinum* 1033. *Lemovicense* 1031. *Pampilonense* 2032. *Triburiense* 1035. *Sutrinum* 1046. in quo se Pontificatu abdicavit Gregorius VI. Duo *Romana* contra Simonia suo 1047. *Romanum* aliud 1050. in quo damnatur Berengarius. *Vercellense* pro Lanfranco contrà Berengarium celebratum est 1055. *Lugdunense* 1055. in quo per Hildebrandum Cardinalem Subdiaconum Legatum Victoris Papæ, missum in Galliam, ut Simonia extirparetur, quæ vulgariter in Gallia, & Italia committebatur; damnatus est Archiepiscopus quidam de hoc crimine accusatus, & hoc miraculosè, non obstante correptione, quam fecerat circà illos, qui eum accusaverant: cùm enim illi præciperet Cardinalis, ut diceret, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, ultima verba numquam pronuntiare potuit; Videns autem hos Archiepiscopus accusatos, procidit ad pedes Cardinalis, & se

con-

confessus est Simoniacum ; undè postea depositus à Sacerdotali, & Episcopali officio, libera voce decantavit . *Gloria Patri , & Filio , & Spiritui sancto* . Quòd ità perterruit Simoniaces , ut plures Episcopi illicò confessi fuerint , se hoc crimine esse maculatos : qui ideò sine alia accusatione suis sedibus renuntiarunt . Concilium *Romanum* 1059. in quo Berengarius post abjuratam tertiò suam hæresim , Fidem Romanam confessus est . Multa alia omittimus in hoc sæculo celebrata , quæ prolixiùs esset retexere.

De Conciliis duodecimi sæculi.

CONcilium *Londinense* celebratum est ; anno 1102. in quo incontinentes Clerici depositi sunt . *Trecense* 1804. in quo justificatur Episcopus Silvanectensis de Simonia per columniam accusatus . *Moguntinum* 1105. quo Henricus Quartus Rex Germaniæ, & tertius Imperator à Clemente III. Pseudo-Papa coronatus , Imperio privatur . *Medinense* 1108. pro investitura non accipienda à Laicis . *Pictaviense* 1109. *Rhemense* 1109. *Lateranense* 1112. in quo revocatur privilegium vi extortum ab Henrico V à Paschali Papa , pro concedendis beneficiorum investituris ; & ipse Imperator excommunicatus est , sicut in Viennensi, an. 1112. Multa in hoc sæculo celebrata sunt Concilia ob eandem rem , Concil. *Trecense* 1127. Templariis militibus habitum album assignavit . In Concilio *Claromotensi* Anacletus Antipapa , & invasor Sedis Apostolicæ condemnatur 1130. authoritate Innocentii Papæ , sicut in Stampensi, Rhemensi & Placentino sequentibus. *Suession.* 1139. damnavit Abailard. malè

de

de SS. Trinitate sentientem, sicut & *Senonense* 1140. *Hierosolymitanum* 1143. damnavit errores Armeniorum, *Vezelinum* in Burgundia 1145. Cruciatam assignavit contra Turcas. *Parisiense* contra Guilbertum Porretanum Pictaviensem Episcopum 1247. sicut & *Rhemense* 1148. *Baviacense* ob causam dissortii inter Ludovicum Regem Galliæ, & Eleonoram Filiam Ducis Aquitaniæ 1151. *Turonense*, quo Victor Antipapa; ejusque fautores judicio octodecim Cardinalium, & 124. Episcoporum excommunicati fuerunt. 1193. *Arbrixcense*, quo Henricus Rex Angliæ à sacrilega nece S. Thomæ Cantuariensis secundo absolvitur. anno 1172. &c.

De Conciliis duodecimi sæculi.

CConcilium *Romanum* celebratum fuit in hoc sæculo anno 1213. in quo per Papam Innocentium III. Otho Imperator IV. privatus est Imperio. *Melodunense* in Gallia 1216. propter excommunicationem ab Innocentio IV. contra Philippum Augustum latam. In Concilio apud *Montem Pessulantem*, Simoni Monfortiano Tolosanus Commitatus, ex quo ejecerat Albigenses, datus fuit 1215. *Tolosanum* contra Albigenses tempore S. Ludovici 1228. Multa fuerunt celebrata *Sanquintini* pro libertatibus Ecclesiæ. *Parisiense* sub D. Ludovico contra Blasphematores. *Oxonienſe* in Anglia pro reformatione morum 1222. *Tarraconense* ob Valdenses Hæreticos 1242. *Salisburgense* pro Hospitalariorum, Templariorum, & Teutonicorum Ordinibus conjungendis, 1291. *Londinense* pro electione Judæorum. anno 1297. quo inhibetur Principibus, nè Sacerdotibus imponant vectigalia. Multa alia celebrata sunt, præsertim in Gallia.

De

De Conciliis quarti decimi seculi.

CONcilium *Romanum* An. 1302. tempore Bonifacii VIII. excommunicavit Philippum Regem Francorum. *Moguntinum*, in quo tractata est causa Templariorum 1310. tempore Clementis V. *Compendiense* 1301. pro immunitate Ecclesiastica tempore Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri. Nationale apud *Parisios* propter dissidia inter hunc Regem, & Pontificem 1302. Tria Concilia *Ravennatensia*. *Toletanum* 1514. tempore Joannis XX. vulgo XXII. *Avenionense* contra Nicolaum V Antipapam eodem tempore. *Parisiense* 1329. pro tuenda Ecclesiæ Jurisdictione. *Lavaurense* 1368. *Parisiense* tempore Schismatis inter Bonifacium IX. & Benedictum XIII. Plura alia omittere cogit brevitas nostra.

De Conciliis quinti decimi saculi.

AQuilejense fuit celebratum in Austria à Gregorio duodecimo anno 1409. ad tollendum Schisma. *Pisanum* celebratum est ob eundem finem: Cardinales enim Gregorii XII. & Benedicti XIII. videntes utrumque Pontificem contra præcedens jusjurandum molle se à Papatu abdicare, Pisas petiere; & cum maximo Prælatorum conventu damnarunt hos Pontifices tanquam perjuros, Schismaticos, & papis Ecclesiæ inimicos, an. 1409. eorumque loco præfecerunt Presbyterum Cardinalem Basilicę sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Ordinis minorum, qui Alexander V. vocatus est. Aliqui hoc concilium illegitimum reputant, quia fuit sine authoritate Rom. Pont. indictum; sed alii dicunt, fuisse canonicum, quia Gregorius XII. illud non recusabat, sed tantùm nolebat congregari Pisis Deinde,

Deinde, congregatum est, non ad res fidei definiendas, sed ad tollendum schisma, dum illi Pontifices erant dubii, & incerti; & ideò jure poterant Cardinales indicere, & celebrare hoc Concilium, cùm nulla alia via pateret ad reddendam Ecclesiæ pacem. Porrò inter generalia reponitur hoc Concilium, *Salisburgense* aliud celebratum est, An. 1420. *Turonense* An. 1448. pro reformandis moribus Ecclesiæ. *Lugdunense* pro schismate tollendo inter Nicolaum, & Felicem; & illi cessit iste, Ann. 1449. *Toletanum* 1472. ad Clerum, & populum reformandos.

De Conciliis sexti decimi sæculi.

PArisiense indictum sub Antonio à Prato Senonensi Archiepiscopo contra insurgentes Lutheranos, Anno 1528. *Colonienſe* sub Hermano Archipræsule, qui factus est postea Hæreticus, Anno 1536 *Moguntinum* Anno 1549. *Mediolanense* sub S. Carolo Borromæo sanctæ Praxedis Cardinali, An. 1565. quinque alia postea sub eodem Præsule ibidem celebrata sunt. *Aquilejense* celebratum est, Ann. 1596. Concilium *Tolosanum* sub Francisco de Joyosa Cardinali, Archiepiscopo Tolosano, tempore Henrici III. & Sixti V. celebratum est Anno 1590.

De Conciliis decimi septimi sæculi.

MUlta Concilia in nostro præsenti sæculo celebrata sunt; sed de illis tantum pauca referemus, quæ habita sunt in Gallia. Primas tenet Collatio *Fontanobliaudensis*, Anno 1600. inter Cardinalem Perronium, & Philippum Plessium Mornæum, Normanum nobilem, & Calvinistam, in amplissimo Regis Christianissimi Henrici IV. Episcoporum Principumque conflu. Prædictus Mornæus, Salmuri præfectus, li-

bruin

brum ediderat Gallico idiomate. *De Missæ abusibus, & antiquo sacra historia usu* : qui cùm perveniſſet ad manus Epiſcopi Ebroicenſis Jacobi *Davi*, iſte pluſquam quingenta Patrum, & Scholaſticorum loca truncata, vel falſa, ſe demonſtraturum pollicebatur in præfato libro : Quod cùm audiviſſet Pleſſius, petiit à Rege, ut à ſua majeſtate delegati deſignarentur, quibus præſentibus ſuæ doctrinæ comprobaretur veritas : Rex conſenſit, ſicut & Nuntius Pontificis ; conditionemque accepit Perronius; & in illa altercatione, quæ fiebat coram Rege, Epiſcopis, Miniſtris, & deputatis, tanta confuſione percuſſus eſt Philippus, ut poſt prandium, inſalutato Rege, abire voluerit, nunquam in arenam deſcenſurus, agnoſcens ſuos Miniſtros illi falsò ſuggeſſiſſe tot loca, quæ vel corrupta, vel falſa, vel malè interpretata comprobata fuerant. Habitum fuit poſteà Concilium *Narbonenſe*, præſide Archiepiſcopo, & Primate, Anno 1609. Concilium *Senonenſe* ſub Jacobo Davio Perronio Archiepiſcopo Senonenſi celebratum eſt Pariſiis ſub Ludovico XIII. propter librum anonymum de Eccleſiaſtica, & politica poteſtate An. 1612. Concilium *Aquenſe* eodem anno indictum eſt, & propter eandem rationem, Concilium *Burdigalenſe* ſub ſuo Archiepiſcopo Franciſco *de Sourdis* Cardinali, & Primate Aquitaniæ celebratum eſt 1624. Multoties denique factus eſt totius Regni Galliæ Prælatorum conventus, quorum ultimus actualiter celebratur Pontiſaræ in conventu noſtro ſtrictioris Obſervantiæ, hoc Anno ſcilicet 1670.

Qui plura de Conciliis Generalibus, & particularibus habere voluerit, videat Franciſcum

cisçum Loverium, Baronium, Galterum, Binium, Carranzam, Corrolianum, & Dominum Bail, & alios, qui tusè hanc doctrinam tractarunt.

CAPUT QUARTUM.

Brevem Summorum Pontificum Chronologiam continens.

TAndem aliquando ad ultimum Caput quartæ partis devenimus, in quo mens noſtra eſt, breviter ſucceſſionem Pontificum texere, tempuſque annotare, quo in cathedra D. Petri ſederunt. Quod ut clariùs, & diſtinctiùs fiat, hanc Chronologiam diſtinguemus per ſæcula exordium ſumpturi à tempore, quo Chriſtus cœlum conſcendens D. Petrum ſucceſſorem ſuum univerſæ Eccleſiæ, tanquam ſuum Vicarium, præfecit.

De Pontificibus primi ſæculi.

SAnctus Petrus Apoſtolorum Princeps: ex vico Bethſaida apud Galilæam, filius Joannis, frater Andreæ, Antiochiæ fuit primò Epiſcopus ſeptem annis; poſteà Romæ, ſedit an. 25. menſ. 2. dieb. 3. deinde Martyrio coronatus eſt cum D. Paulo anno poſt Paſſionem Dom. 38. & hoc ſub Nerone Imperatore.

S. Linus, Italus natione, è regione Tuſciæ, ſedit ann. 11. menſibus 3. diebus 12. Martyrio coronatus eſt temporibus Neronis à Saturnino conſule. Ordinavit, ne ſine velo mulieres Eccleſiam ingrederentur. Ejus tempore Joſephus vixit, qui edidit multa de Judæorum antiquitatibus, bello, & captivitate: ipſum Romam adduxerunt Titus,

Titus, & Vespasianus ex Judæorum debellatione redeuntes.

S. Cletus Romanus, sedit an. 12. mense uno, diebus 12. & Martyrium subiit sub Domitiano, temporibus Titi, & Vespasiani. Suasione D. Clementis Pontificatum accepit, tantum onus anteà recusans. Ejus tempore D. Lucas professione Medicus, Antiochenus natione, sociusque Pauli in multiplici peregrinatione Evangelium scripsit cum Actibus Apostolorum.

S. Clemens Romanus è regione cælii montis, quem D. Petrus destinaverat in successorem suum, ut patet ex Epistola, quam ipse Clemens ad Jacobum scripsit, sedit an. 9. mens. 2. & 10. diebus. Ipsius modestia, & humilitas fecerunt, ut ante eum Pontificatum tenerent Linus, & Cletus. In mare Clementem cum ancora jussit proiici Trajanus; sed ad littus projectum est corpus ipsius, quo loco fons miraculosus scaturire cepit.

De Pontificibus secundi sæculi.

SAnctus Anacletus, anno Christi 104. Græcus natione, Athenienſis scilicet, sedit annis 9. mensibus 2. diebus 10 Multa edidit decreta; præsertim, ne barbam, & capillos longiores haberent Clerici; ne consecrarentur Episcopi sine tribus Coepiscopis; & nè Clerici accusarentur, præterquàm ab idoneis, & probatissimis viris.

S. Evaristius natione Græcus; & patre Judæo, nomine Juda de civitate Bethleem, sedit annis 9. mensibus 10. diebus 2. Titulos Romæ divisit Presbyteris; ordinavit ut septem Diaconi adessent prædicanti Episcopo, statuitque, nè populus in accusatione Episcoporum admitteretur.

S. Alexander Romanus sedit an. 10. mens. 7. die-

diebus 2. ordinavit, ut in Missa ante consecrationem diceretur, *Qui pridie*, *quàm pateretur*, *&c.* Modum faciendi aquam benedictam docuit, voluitque illam in domibus privatis reservari ad expellendos dæmones, & malas cogitationes repellendas. Mixtionem aquæ cum vino in sacrificio Missæ instituit, panemque azymum admitti tantùm debere.

S. Sixtus Romanus sedit an. 10. mens. 3. diebus 2. Prohibuit laicis, & fœminis ne vasa sacra tangerent, decerevitque, ut in Missa diceretur, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *&c.*

S. Telesphorus Græcus Anachoreta factus Pontifex, sedit an. 11. mens. 3. diebus 22. Renovavit observationem Quadragesimæ temporibus Apostolorum institutæ, quæ penè extincta fuerat causa persecutionum in Ecclesiam grassantium. Permisit celebrationem Missæ media nocte Nativitatis Domini: aliis verò temporibus celebrationem Missarum prohibuit ante nonam qua hora Christus mortuus est, & Spiritus sanctus descendit super Apostolos.

S. Hyginus Grecus civis Athenienſis filius, sedit annis 4. mensibus 3. diebus 4. patrinum, & matrinam voluit adesse, dum baptismus fieret.

S. Pius Italus ex Aquileia, sed annis 9. ex Eusebio, & aliis, 10. mens. & diebus 4. Familiariter conversabatur cum Hermete, qui illi libellum Pastorale nominatum dedicavit: in quo refert, quòd Angelus Domini illi præceperit, cùm veniret ad eum in habitu Pastoris, ut Pascha Die Dominica post Lunam Martii celebraretur.

S. Anicetus Syrus, sedit annis 4. juxta Platinam, mensibus 4. diebus 3. Confirmavit, quòd Clerici barbam, & capillos non nutrirent; sed caput desuper in modum sphæ-

ræ

tæ raderent, ut Laicis essent exemplo pudicitiæ, & honestatis.

S. Soter natione Campanus ex Fundis, sedit an. 9 mensibus 3. diebus 21. Statuit ut fæminæ etiam Deo sacratæ vasa sacra non tangerent: ut sacrificans secum saltem unum Sacerdotem sibi coadjutorem haberet: ut nullus post cibum, aut potum etiam minimum sacrificaret: ut nullus se abstineret ab Eucharistiæ susceptione die Jovis in Cœna Domini.

S. Eleutherius natione Græcus, sedit annis 15. mensis 3. diebus 2. Epistolam ad Provincias Galliæ scripsit, in qua edocet nullas escas esse vitandas: quia universas tribuit Dominus in cibos Fidelium.

S. Victor ex Africa, sedit an. 10. mens. 3. diebus 10. Sub eo multa Concilia de tempore Paschatis celebrandi congregata sunt, in quibus fuit definitum hoc festum celebrari debere Dominica sequente quartam decimam lunam Martii.

De Pontificibus tertii sæculi.

SAnctus Zephirinus Romanus, mortuo Victore, qui Pontificatum inchoavit anno 194. & decessit an. 204. sedit an. 18. mens. 7. diebus 10. Sanguinem Christi in vaso vitreo consecrandum voluit, quod postea abrogatum fuit, & determinatum sola vasa aurea argentea, vel stannea ad hoc esse apta.

S. Calixtus Romanus sedit an 5. vel 6. mens. 10. & totidem diebus. Præcepit jejunium quatuor temporum, quod ex traditione Apostolica jejunabatur; voluitque in illis fieri Ordinationes, quæ fiebant semel tantum in anno, mense Decembri scilicet.

S. Urbanus Romanus sedit an. 4. aut 6. mens. 10. diebus 12. ex Platina, Multos hic

convertit ad fidem, inter quos illustriores fuerunt Tiburtius, & Valerianus sponsus S. Ceciliæ.

S. Pontianus Romanus sedit an. 9. mens. 5. diebus 2. In Sardiniam insulam relegatus à Maximino, ibi postea mactatus est.

S. Antherus ex Græcis Pontificatum tenuit; sed quot annis sederit, plane incertum est. Platina asserente, ipsum sedisse an. 11. mense uno, diebus 12. & Galtero dicente, intra mensem primum sui Pontificatus martyrio coronatum fuisse; eo quòd Notarios nstituerit, qui gesta Martyrum describerent. Declaravit Episcopum de Diœcesi in Diœcesim transire posse, sed sola necessitatis, non utilitatis propriæ causa.

S. Fabianus Romanus sedit an. 14. mens. 11. diebus 11. Dum ageretur de Pontificis electione, columba super illum apparuit, quæ suæ electionis fuit causa. Privatum hæreticum excommunicavit, & sanctum Chrisma singulis annis confici voluit die Jovis sancta.

S. Cornelius sedit an. 2. mens. 2. dieb. 3. sub eo primum schisma advenit; cùm enim Novatianus Romanus vidisset Cornelium ad sedem Petri promotum esse, ex ea ipsum deiicere voluit, & clandestina trium Episcoporum electione se intrusit in Pontificatum, opera Novatiani, qui Romam accesserat, ut Ecclesia perturbaret; unde multa crimina contra Cornelium adinvenit, ut ab eo Episcopi alienarentur. Hoc tempore duæ contrariæ hæreses, obortæ sunt: Novatianus nullum admitti volebat in Ecclesiam, qui anteà à fide defeciset, quacumque pœnitentia præmissa: Feliciissimus verò prætendebat, etiam ante pœnitentiam

tiam factam, omnes illicò admitti debere.

S. Lucius Romanus sedit annis 3. mens. 3. dieb. 3. Præcepit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi in omni loco, & tempore Episcopum comitarentur, propter testimonium probatæ vitæ, & ad vitandas hæreticorum impostoras.

S. Stephanus I. Romanus sedit an. 5. mens. 5. diebus 2. Decrevi, hæreticos non esse rebaptizandos; ad templum Martis ductus, templum oratione subverti fecit fulgure, & tempestate, postea verò sacrificans inventus decollatus est.

S. Sixtus II. Græcus sedit an. 2. mens. 10. dieb. 23. Ex Athenis in Græcia eratoriundus. Martyrii palma coronatus est, & tertia die post ipsius mortem ejus Diaconus Laurentius martyrium subiit.

S. Dionysius ex Monacho Papa factus regnavit annis 6. mens. 2. dieb. Presbyteris Ecclesias divisit, Parochiasque constituit, & Diœceses.

S. Felix Romanus sedit annis 4. mens. 3. dieb. 5. Ordinavit, ut in sacro loco semper sacrificaretur, nisi gravi instanti necessitate.

S. Eutichianus Tuscus, sedit annis 8. & juxta alios uno tantùm, uno die, & uno mense. Propria manu 342. Martyres sepelivit, ordinavitque benedictionem fructuum, & specialiter racemorum, in condemnationem Manichæorum, qui eos ex malo principio ortos prædicabant.

S. Cajus Dalmata sedit annis 11. mens. 4. dieb. 12. Hic distinxit Ordines per gradus, incipiendo ab Ostia ritu usque ad Episcopatum; prohibuitque, ne quis ad Episcopatum ascenderet, nisi anteà his omnibus insignietur.

S. Marcellinus Romanus sedit an. 6. mens. 2. dieb 16. à Diocletiano coactus idolis sacrificare, tanto commotus postea dolore, ut in Concilio Sinuessano, cinere conspersus, & cilicio circonvolutus, condignam à Patribus pœnitentiam petierit; ipsum tamen renuit Concilium condemnare. Ipse posteà ad Diocletianum audacter accessit, obiiciens illi sua crimina; unde ab illo ad mortem damnatus fuit.

De Summis Pontificibus quarti sæculi.

SAnctus Marcellus Romanus sedit annis 5. mens. 6. 21. anno scilicet Christi 304. Hujus suasione Lucina sancta mulier Romana viginti quinque titulares erexit Ecclesias; quod audiens Maxentius Imperat. Lucinam relegavit in exilium, Marcellum verò ad mortem damnavit.

S. Eusebius Græcus sedit annis 6. uno mense, & 13. diebus. Sub eo Crux Christi inventa est, & festum de ejus Inventione institutum.

S. Melchiades Afer sedit an. 3. mens. 7. diebus 9. iussu Maximiani martyrio addictus fuit.

Hìc notandum est, omnes præcedentes Pontifices cum isto, qui fuit vigesimus tertius subiisse martyrium, posteà verò Ecclesiæ persecutio cessavit post mortem Diocletiani, & Maximiani, quibus successit Constantinus primus Imperator Christianus.

S. Sylvester Romanus sedit an. 23. mens. 10. dieb. 11. latuit aliquo tempore in montem Soractem Imperatoris adhuc Pagani persecutionem fugiens; ex quo rediens posteà baptizavit Constantinum, & eius authoritate Concilium indixit Nicææ Bithyniæ; in quo Arius, Photinus, & Sabellius damnati fuerunt.

S. Marcus Romanus, quem alii dicunt sedisse uno

se uno tantum anno, & alii duobus, mens. 8. diebus 20 Ordinavit, non quòd Episcopus Ostiensis consecraret Pontifices, hoc enim multò antiquius erat, sed ut pallio insigniretur; pallium verò maximæ authoritatis signum erat soli Summo Pontifici proprium, sed ipsum pro libito confert, maxime Archiepiscopis. Statuit etiam Symbolum Concilii Nicæni post Evangelium decantandum esse in Missis solemnioribus.

S. Julius Romanus sedit an. 15. mens. 2. dieb. 6. aut 10. Celebrari fecit Romæ Concilium 116. Episcoporum contra Arium, & eius discipulos, qui non obstante Concilii Nicæni damnatione, Athanasium relegaverant; fulti authoritate Constantii Imper. Ariani.

S. Liberius Romanus sedit an. 6. mens. 3. dieb. 4. ex Platina, sub Constantio Constantini filio, à quo ejectus est in exilium, eo quòd hæresi Arianæ subscribere nollet; quo durante exilio, Sacerdotes elegerunt Felicem, qui damnavit Ursacium, & Valentem Arianos Presbyteros: sed de hoc alibi sufficienter dictum est.

S. Felix II. Romanus sedit vivente Liberio an. 1 mens. 3. dieb. 23. Postquam infregit omne commercium cum Arianis, ab illi occisus est. Videantur, quæ diximus agendo de Summo Pontifice.

S. Damasus Lusitanus sedit an. 19. mens. 3. dieb. 11. Ordinavit, ut decantarentur Psalmi in Ecclesia cum *Gloria Patri* in singulorum fine. Huius tempore aliqua Schismatis species oborta est; nam Ursinus, seu Ursicinus potuit fieri Pontifex, collecta seditiosorum turba: unde alterutrum defendentibus populis, humano sanguine multa loca,

etiam sacra, repleta fuerunt, nihilominus tamen ejectus est Ursinus, & Damasus remansit, qui primus versioni Hicronymi dedit authoritatem, cùm anteà sola Septuaginta interpretum versio in pretio esset.

S. Syricius Romanus sedit an. 15. mens. 11. diebus 25. Hujus tempore extitit D. Hilarius Pictaviensis Episcopus, qui 12. libros adversus Arianos conscripsit. Statuit Syricius, ut baptismus non celebraretur, nisi in Paschate, & Pentecoste.

S. Anastasius Romanus sedit an. 3. dieb. 10. Condemnavit errores Origenis; Statuit quòd assistentes Missæ starent, dum legeretur Evangelium: prohibuitque, ne extranei admitterentur ad Ordines propter Manichæos, qui suos ad Ordinationes Christianorum admittebant, ut fidem eorum corrumperent.

De Pontificibus, qui in quinto seculo regnaverunt.

S Anctus Innocentius Albanus sedem tenuit an. 15. mens. 2. dieb. 15. Arcadium, & sponsam suam Eudoxiam D. Chrisostomum persequentes excommunicavit, pœnitentes verò posteà absolvit. Ursaicum Chrysostomo suffectum damnavit cum sibi adhærentibus Episcopis, Pelagianumque Monachum, & Cælestium, qui in detrimentum gratiæ libero arbitrio fovebant.

S. Zozymus Græcus sedit an. 1. mens. 3. diebus 12. sub eo Alaricus Gothorum Rex Romam invasit. Prohibuit, ne ex illegitimo concubitu procreati Ordinaretur, Cereum Paschalem sacravit, & tabernas prohibuit Sacerdotibus.

S. Bonifacius Romanus sedit an. 3. mens. & dieb. 7. Hujus tempore moritur D. Hieronymus.

nymus in Bethleem ætat. 91. insurrexitque in Ecclesiam Julianus Pelagianus, qui duas epistolas conscripsit, qua ad Augustinum misit Bonifacius, ut illi responderet; quod fecit illicò Augustinus per libros contra Julianum Bonifacio dedicatos.

S. Cælestinus Romanus sedit an. 8. mens. 10. dieb. 18. Hujus tempore celebratum est Concilium Ephesinum contra Nestorium, etiamque contra Pelagium. A pueritia educatus fuit in Monasterio, invitusque Ordinatus fuit in Episcopum. Dum esse autem Pontifex, in Angliam, ubi se receperat Pelagius, misit D. Germanum Altisiodorensem, D. Lupum Trecensem, & D. Severum Trevirensem, ut huic hæretico resisterent.

S. Sixtus III. Romanus sedit an. 8. dieb. 29. Accusatus fuit ab Anicio Basso, cujus accusationis judicium devolvit sponte ad Concilium, à quo mox justificatus fuit, & Bassus condemnatus.

S. Leo Tuscus sedit an. 21. uno mense, & dieb. 13. Doctrina, & Virtute eximius fuit, & ob hoc Magnus cognominatus. Ejustempore contra Eutychetem congregatum est Concilium Chalcedonense, in quo duæ in Christo naturæ proclamatæ sunt, & Manichæorum libri combusti. Ecclesiam ab hæreticis penè discerptam restituit; reverentiam Sanctorum imaginibus decrevit sub Anathemate; secretæque Missæ addidit hæc verba, *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.*

S. Hilarius Sardus sedit an. 6. mens. 3. dieb. 10. Tres universales Synodos, Nicenam, Ephesinam, & Calcedonensem confirmavit, Eutychem damnavit, & Nestorium; Principatum sanctæ Ecclesiæ Romanæ approbavit, cogitque Anathema Imperatorem, ut impedi-

ret conventicula, quæ Romæ Manichæi congregare prætendebant:

S. Simplicius Tiburtinus sedit an 15. mense uno, diebus 7. Romam in quinque Ecclesias distribuit, scilicet D. Petri, D. Pauli, D. Laurentii, D. Joanni Lateranens. & S. Mariæ Maioris. Primatum Ecclesiæ Romanæ confirmavit.

S. Felix III. sedit annis 8. mens. 11. dieb. 17. Audiens Acatium Constantin. fraude ab exilio revocasse Petrum Eutychianum, utrumque damnavit.

S. Gelasius Afer, sedit an. 4. mens. 8. diebus 17. Romam à fame imminente præservavit; Hymnos composuit; Anastasium Imperatorem Constantinop. Hæreticis faventem excommunicavit, sicut & Vvandalorum Regem, qui partes Arianorum tenebat. Multa insuper fecit decreta, præsertim super sacram Scripturam, Scriptores Ecclesiasticos, & Concilia, quorum aliqua approbavit, reprobavit alia.

Anastasius II. Romanus, sedit an. 1. mens. 10. dieb. 24. Hic misit Legatos ad Anastasium Imperatorem, ut nomen Acatii aboleret; cui semper favens Imperator, & cum Photino complice communicans, excommunicatus est. Cùm denique Pontifici semper resisteret, punitione divina viscerum effusione mortuus est.

S. Symmachus Sardo, qui sedit ann. Christi 498. Pontificatum tenuit, annis 15. mensibus 6. diebus 22. Cùm contentione magna fuit ordinatus; alii enim Symmachum elegerunt in Lateranensi Ecclesia, alii alium, nomine Laurentium, in Basilica B. Mariæ. Ob hoc apud Ravennates congregatum fuit Concilium, in quo Symmachi electio confirma-

firmatur, Theodorico Rege præsente. Fertur, Symmachum, Eugenium Episcopum Carthaginensem cum 220. Episcopis sustentasse in Sardinia proscriptos à Trasamundo Vandalorum Rege.

De Pontificibus sexti saculi.

S Anctus Hormisdas Campanus an. Christ. 314 sedit an. 9. dieb. 18. Regibus fuit charus, hæreticis exosus, & in Ecclesiam magnificus. Præcepit Joanni Episcopo Constantinop. ut ab hæresi Eutychianorum desisteret; quod facere recusavit Joannes, quia ipsi prorsus favebat Anastasius Imperator, qui ob hoc fulmine percussus interit.

S. Joannes Tuscus sedit ann. 2. mens. 8. dieb. 8. Ex omni parte expellebat Arianos, quorum Ecclesias veris Christianis restituebat; quod ægrè ferens Theodoricus Rex Italorum, coegit Joannem adire Imperatorem Justinianum Constantinop. sedentem; misitque cum eo duos oratores, qui suaderent Imperatori restitutionem Ecclesiarum, quæ ablatæ fuerant Arianis, quod facere recusavit Imperator; unde rediens Pontifex, in carcerem conjicitur apud Ravennam jussu Theodorici, ubi fame, & fœtore interiit.

S. Felix IV. Samnius sedit an. 4. mens. 2. dieb. 13. per spatium 58. dierum dilata fuit ejus confirmatio, quia tyrannicè illius nominationem usurpaverat Theodoricus.

Bonifacius II. Romanus sedit annis 2. diebus 2. Ordinatus est cum Dioscoro; unde ex divisione Cleri, schisma fuit inter utramq; per spatium 29. dierum, quo tempore mortuus est Dioscorus, & quievit seditio.

Joannes II. sedit ann. 2. mens. 6. dieb. 6. Excommunicavit Contumeliosum Episcopum in Gallia, & ejus diœcesim D.

Cæsario Arelatensi Episc. commendavit. Anathemate etiam percussit Antonium Constantinop. Episcopum, hæresim Arii profitentem.

S. Agapetus sedit mens. 11. & 20. diebus. Ipsum misit Theodatus Gothorum Rex ad Imperatorem Justinianum, ut cum illo reconciliaretur Rex, qui jusserat in exilium mitti Amalasunthem Atalantis Regis matrem jussisset; illam occidi: Hoc facile impetravit ab Imperatore Pontifex, sicut & resipiscentiam suam ab hæresi Eutychetis.

S. Silverius Campanus sedit uno an. mens. 5. & diebus 12. Legitimo matrimonio ex Hormisda ante Ordinationem procreatus, in sedem intrusus fuit authoritate Theodati Regis; & ob hoc à Clero Romano reprobatus demum tamen approbatus fuit ad vitandam schisma.

Vigilius Romanus sedit an. 18. mens. 6. dieb. 26. Factione Theodoræ Imperatricis hæreticæ ad sedem evectus est, vivente Silverio, à quo excommunicatus fuit; sed post mortem Vigilii, à Clero Romano legitimè creatus est Pontifex, cùm vitam omnino immutasset: & postquam ad Pontificatum pervenit, fortiter se opposuit hæreticis, non obstantibus comminationibus Belisarii, & Theodoræ.

Pelagius Roman. sedit ann. 11. mens. 10 dieb. 18. ordinavit, quòd hæretici, & Schismatici à sæcularibus judicibus condemnari possent.

Joannes III. Roman. sedit an. 12. mens. 11. dieb. 16. Sanctorum cæmeteria reparavit: Ædem Apostolorum Jacobi, & Philippi à Vigilio inchoatam absolvit.

Benedictus Rom. sedit an. 4. mens. 1. dieb. 26. post decem menses sedis vacantis bellorum causa promotus est, & deinde dolore moritur, videns Longobardos Italiam cum Roma invasisse.

Pela-

Pelagius II. Rom. sedit an. 18. mens. dieb. 10. sine approbatione Imperatoris, quæ necessaria pro tunc habebatur, creatus fuit: unde postea misit Constantinopolim S. Gregorium, quasi ut veniam peteret, & ipsius electionem illicò ratam habuit Imperator.

S. Gregorius Magnus Rom. Ex sæculari factus Monachus, ex Cardinali sit Pontifex cum summo gaudio populi, & Cleri eligentis; consecratus tamen non fuit, nisi post sex menses; dum advenit confirmatio Imperat. Hæreticos fortiter expugnavit; honorem voluit deferri quatuor primis Conciliis ut Evangelio; & superbiam repressit Joannis Constantinop. qui se Oecumenicum Episcopum, seu Universalem vocabat; ubi ipse Gregorius nominari voluit Servus servorum Dei. Regnavit ann. 13. mens. 6. diebus 10.

De Pontificibus septimi sæculi.

POst D. Gregorium, qui promotus fuit an. 594. creatus fuit Pontifex Sabinianus Tuscus an. 604. Iste sedit ann. 1. mens. 12. dieb. 26. Tantam invidiam conceperat in D. Gregorium, ut libros ipsius incendio voluerit destinare.

Bonifacius III. Rom. post vacantiam unius fere anni, ascendit Sedem Apostol. quanto verò tempore sederit, controvertuntur Doctores, Platina tenente, ipsum regnasse mens. 9. aliis aliter sustinentibus. A Phoca Imperat. obtinuit, quòd sedes Romana prima omnium diceretur, quem titulum usurpaverat Constantinop. malis Imperatoribus sustinentibus, eo loco primam sedem esse debere, ubi caput erat Imperii.

S. Bonifacius IV. ex urbe Valeria apud Marsos natus, sedit annis 6. mens. 8. dieb. 13. Obtinuit à Phoca templum, Pantheon an-

tea vocatum, quòd mutavit in Ecclesiam B. Mariæ, & omnium Martyrum.

S. Deusdedit, seu Theodatus Rom. sedit an. 3. dieb. 23. Fuit vir tantæ virtutis, ut leprosum deosculando, ipsum sanaverit.

Bonifacius V. Neapolitanus, qui anno quinto sui Pontificatus mortuus est, ad Ecclesias confugientes immunitate donavit. Sub illius Pontificatu Mahumetus Arabs ex patre pagano, & matre Judæa magnum incendium excitavit in Christianos.

Honorius Campanus sedit an. 12. mens. 11. dieb. 17. Fortunatum Patriarcham hæreticum expulit, cui Primogenitum substituit, Basilicam D. Petri reparavit, eamque ex ære cooperire fecit.

Severinus Rom. sedit mens. 13. & dieb. aliquot. Ab Exarcha Italiæ confirmatur fuit: populi enim, & Cleri electio rata non habebatur, nisi accederet confirmatio Imper. aut Exarcharum.

Joannes IV. Dalmata sedit an. 1. mens. 9. dieb. 11. Romæ Concilium coegit, in quo damnata fuit Expositio, quam Sergius hæreticus Episc. Constantin. publicare faciebat sub Imperatoris nomine.

Theodorus Græcus sedit an. 6. mens. 5. dieb. 18. Ad eum inter fluctus Ecclesiæ, Orientales Epistolas Synodales miserunt quibus ipsum Patrem Patrum, & Papam universalem nominabant.

S. Martinus Tuscus sedit an. 6. mens. 1. dieb. 26. A Constantio Imperat. requisitus, ut subscriberet edicto cuidam faventi Monothelitis, hoc fortiter recusavit; immò congregavit Romæ 120. Episcopos, & cum illis damnavit Theodorum. Tyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Monothelitas.

Hoc

Hoc audiens Imperator Romam misit ducem Olympium, ut ex parte Imperatoris cogeret Papam ad subscriptionem edicti, vel illum carceri manciparet, ad hoc, ut durante ejus captivitate, alii prælati reciperent jussa principis. Cùm autem non potuisset Olympius separare caput à membris jussit alteri, ut vi Martinum trucidaret, ab illo S. Eucharistiam recipiendo in templo B. Mariæ ad præsede; quod exequi non voluit ob subitam excæcationem. Postea tamen ductus est Constantinopolim, ubi exilio, fame, & ærumnis consummatus martyrium finivit.

S. Eug. I. Ro. sedit an. 2. mens. 9. dieb. 24. Hic fuit benignitate illustris, sed pietate illustrior.

S. Vitalianus Signiensis in Campania sedit an. 14. mens. 6. Sub eo Constantinopolim accessit, inscio marito, Cælarea Persarum regina cum aliquo numero Christianorum, ubi baptizata fuit, & ad maritum redire recusavit, nisi antea Christianus fieret: unde uxorem imitando, ad eumdem locum accessit cum ingenti Primatuum copia, ubi omnes baptizati sunt: sicque Persarum regnum fidem recepit.

Adeodatus Roman. sedit an. 4. mens. 1. dieb. 5. ex Monacho Papa factus. Multum ampliavit Monasterium D. Hieronymi, in quo educatus fuerat. Omnibus propter mansuetudinem charus erat.

Donus sed Domnus, vel Domnion Rom. sedit uno an. 5. mens. 10. dieb. 20. sub illo convocata fuit Synodus Constantinopolitana sub Agathone cœpta, finita verò sub Leone II. Doctrina, & sanctitate Ecclesiam Ravennatem à longo tempore segregatam à Romana, ad unionem reduxit.

S. Agatho Monachus ex Sicilia, sedit 2. an. 6. mens.

mens. 15, Inchoavit, diximus, concilium Constantinopolit. contra Monothelitas. Virtute tanta donatus fuit, ut Leprosum sanaverit osculo.

S. Leo junior, seu secundus, Siculus, mensibus decem sedit. Condemnavit in conc. Constant. quod absolvit, cum Cyro, Sergio, Pyrrho, Paulo, & aliis, Macharium, Stephanum, Polichronium, &c. qui ab hæresi reddere nolentes in diversa Monasteria detrusi sunt.

S. Benedict. II. Roman. sedit mens. 19. dieb. 12. Illi Constantinus Imperatores decretum misit, ut quem Clerus, & Populus elegissent, illicò haberetur in Pontificem, nulla expectata authoritate Imperatoris, aut Exarchæ, quæ requirebatur anteà.

Joannes V. Antiochenus in Syria, sedit anno, tempore, quo mortuus est Constantius.

Canon ex Thracia, sedit ann. 11. mens. 3. Illo mortuo, Paschalis Archipresbyter, & Papæ Thesaurarius copiosam pecuniæ summam dedit Platinæ Exarchæ, ut eligeretur in Pontificem; quod tamen non fecit Platina, licèt argentum receperit.

S. Sergius Antioch. sedit an. 13, mens. 8. dieb. 24. His cùm esset de aliqua turpitudine accusatus, miraculosè justificatus fuit voce infantuli ipsum innocentem dicentis. Cùm ante ipsius electionem Populus, & Clerus maximè divisi essent, una parte postulante Paschalem, & alia Theodorum, omnes convenerunt, ut utroque excluso, eligeretur Sergius ad vitandum schisma.

De Pontificibus octavi sæculi.

JOannes VI. Græcus, ann. 701. successit S. Sergio, qui electus fuerat ann. 687. Hic sedit ann. 3, mens. 3. Ejus tempore vixit Beda,

Beda, ob sanctitatem, & modestiam dictus Venerabilis.

Joannes VII. Græcus, sedit an. 2. mens. 7. dieb. 17. Hic creatus est eo tempore, quo Justinianus recuperavit imperium, ex quo expulsus fuerat à Tiberio, & Leontio.

Sisinius Syrus, viginti tantùm vixit diebus; ita podagra, & chiragra laboravit, ut neque pedibus, neque manibus uteretur; ipsi tamen semper adfuit patientia incredibilis.

Constantius Syrus sedit ann. 7. diebus 20. Statuit, quòd sanctorum patrum imagines, quæ antea ablatæ fuerant è templo S. Sophiæ collocarentur in porticu D. Petri; & quòd nomina Imperatorum hæreticorum in instrumentis publicis non inscriberentur.

S. Gregorius II. Rom. sedit an. 19. mens. 9. diebus 5. Hic misit ad Germanos Bonifacium Episcopum, qui illos ad fidem convertit: restitit fortiter Imperat. Leoni Isaurico, qui Iconomacus nominatus fuit: & sub eius Pontificatu Carolus Martellus Palatii Magister in Gallia dimicavit contra Saracenos prope urbem Turonem, quorum trecenta septuaginta quinque millia occisa sunt, ubi ex parte Francorum vix mille, & centum remanserunt in prælio.

S. Gregorius III. Syrus natione, sedit an. 10. mens. 3. diebus 24. Hic præcepit in quadam Synodo, ne inter consanguineos contraherentur matrimonia, qualiter nunc in jure cautum est.

S. Zacharias Græcus, sedit ann. 10. mens. 3. dieb. 14. Totam Italiam, quam bellorum commotione turbatam invenerat, pacavit; Longobardus Ducem Spoleti persequentes suâ modestia, & humilitate sedavit, regnumque

Gab-

Galliæ devolvit Pipinio propter auxilia, quæ præbuerat Martellus Ecclesiæ.

Stephanus II Romanus tertio, vel quarto die sui Pontificatus à vivis discessit; unde ab aliquibus à Pontificum Rom. seriem dimittitur.

Stephanus III. Rom. sedit annos 5. mense uno, vel circiter. Occasione Longobardorum Italiam persequentium Galliam accessit, ubi Pipini duos baptizavit filios, Carolum, & Carolomanum.

S. Paulus Ro frater Stephani II. sedem tenuit ann. 10. mense uno. Nocte qualibet cum familiaribus suis cubicula ægrotantium, & pauperum visitabat, sicut & carceres, cohortans unumquemque verbis, & eleemosynis, ut paupertatem, morbos, & captivitatem patienter sustinerent.

Stephanus IV. Siculus, quem alii vocant Tertium ratione prædicta loquendo de Stephano II. sedit ann. 4. mens. 5. diebus 24. Mortuo Paulo Constantinus creatus fuit Papa illegitimè, & consecratus ab Episcopo Præneslino, cujus manus aridæ manserunt illicò, quòd indignum consecravisset. Ipso Constantino Pontificatu spoliato, electus est Stephanus IV.

Adrianus Rom. sedit an. 23. mens. 10. dieb. 17. Desiderio rege Longobardorum Italiam invadente, & territorium Ecclesiasticum, ac Romam vi, & armis occupare tentante, Carolus Magnus in favorem Adriani, exercitum paravit, accessit Italiam, Desiderium que fugavit omnino. Hujus Pontificis tempore celebratum est Concilium II. Nicænum contra Iconomachos.

Leo III. Romanus sedit ann. 20. mens. 5. dieb. 17. Maximè vexatus fuit à Romanis, qui ipsum,

ipsum, licèt verè pium, & sanctum, Pontificatu spoliaverunt, & conjecerunt in carcerem catenis ferreis oneratum: Cùm exisset autem è carcere, industria Albini cubicularii sui Carolum Magnum adivit, qui ipsi restituit Papatum: postea verò Papa Carolum Magnum coronavit Imperatorem, à quo tempore devolutum est imperium ad Germanos.

De Pontificibus noni seculi.

STephanus V. Roman. successit Leoni III. an. 816. & sedit mens. 7. d eb. 3. Hic Galliam accedens benignissimè ab Imperat. Ludovico I. acceptus fuit; quippè qui ter se coram illo, toto corpore prostravit, dicens, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, cui respondit Pontifex, *Benedictus Dominus, qui oculis nostris alterum Davidem concessit*; Postea ipsum coronavit Pontifex Imperatorem.

Paschalis Rom. Monachus, virtute plenus, & scientia, sedit annis 7. mense 3. diebus 17. summa populi acclámatione, sed cum resistentia propria creatus est.

Eugenius I. Rom. sedit annis 3. mense 2 diebus 23 Cùm ad Ludovicum Galliæ Regem, & Imperatorem Germaniæ misisset legatos, Michaelem Imperatorem Constantinop. Concilium petens ut examinaretur, an restituendæ essent imagines, nec nè, prædictos Legatos misit Romam Lodovicus ad Eugenium, cujus intererat.

Valentinus Romanus vir sanctitate plenus, vixit tantum per 40 dies. Post ipsum electus est

Gregorius IV. Rom. qui sedit per annos 16. Sedem occupare noluit nisi antea ab Imperatore Ludovico confirmatus esset. Festum omnium Sanctorum instante Imperat. Ludov. instituit.

Sergius II. Roman. annis 3. sedit. Sergius

iste

iſte fuit primus, cujus nomen mutatum fuit in Pontificali conſecratione.

S. Leo IV. Roman. ſedit ann. 8. menſ. 3. dieb. 6. Ipſius tempore Baſiliſcus veneno territorium Romanum inficiebat, qui ſubitò mortuus eſt, accedente cum proceſſione ſolemni Pontifice imaginem B. Mariæ Virginis deferente. Hoc accidit ſecundum Galterum Aſſumptionis die, & juxta Platinam die 8. poſt hoc feſtum: unde octavam Aſſumptionis inſtituit Leo. Hìc dicunt hæretici Joannam Papiſſam, natam in inſula Moguntina apud Anglos ſediſſe, quod purum eſſe commentum alibi probavimus.

Benedictus III. Roman. ſedit ann. 2. menſ. 6. dieb. 9. Hic Pontificalibus ornamentis ſpoliatus fuit, & graviter verberatus Antipapæ Anaſtaſii imperio.

Nicolaus cognomento Magnus, natione Romanus, ſedit ann. 7. menſ. 9. dieb. 13. Hic in cavernis, & antris abſconditus delituit, ne in Pontificem eligeretur.

Adrianus II. Romanus ſedit 5. an. menſ. 9. dieb. 12. Sub ipſius Pontificatu Synodus Conſtantinopolitana decrevit, Photinum eſſe è ſede expellendum, & Ignatium reſtituendum.

Joannes VIII. Rom. ſedit an. 10. dieb. 2. Tres Reges Galliæ, Imperatores conſecravit. Carolum Calvum, Ludovicum II. & Carolum III.

Martinus I. Gallus, quem alii vocant II. ſedit ann. 1. menſ. 5.

Adrianus III. Romanus ſedit ann. 1. 2. vel 3. menſ. Hic prohibuit, ne in electione Pontificum expectaretur Imperatorum confirmatio, ut tota eligendi libertas apud Populum, & Clerum maneret.

Stephanus VI. ab aliis V. vocatus, Rom. ſedit

sedit 6. annis 11. diebus. Hujus tempore Carolus Grossus nominatus, Imperator, & Rex Galliæ, è throno expulsus fuit à Primatibus ob nimiam stupiditatem mentis, & corporis.

Formosus Roman. sedit 5. ann. 9. mens. Hic aliàs suum Episcopatum Portuensem reliquerat, ut in Galliam fugeret metu Joannis Papæ, qui eum Romam redire renuentem excommunicavit, posteà verò à Martino revocatus, absolutus est, in pristina dignitate restitutus, & tandem Summus Pontifex creatus.

Stephanus VII. aut VI. Roman. sedit an. 1. mens. 3. Multi inter hunc, & Formosum interponunt Bonifacium Antipapam, sub nomine Bonifacii V.

Romanus ex Tuscia natus 5. vel 4. mens. tantùm sedit.

De Summi Pontificibus decimi saculi.

THeodorus VI. Romanus: diebus tantùm 20. sedit, & decreta, seu statuta Formosi restituit.

Joannes IX. Monachus Rom. sedit 2. ann. dieb. 5. Concil. Ravennæ coegit, ubi abrogatum fuit quicquid à Stephano statutum fuerat.

Benedictus IV. Romanus sedit 3. ann. & 4. mens. Hujus tempore morum corruptio, ubique communis erat, attamen hic Pontifex omni pollebat virtutum genere.

Leo V. Ardeatinus sedit dieb. 40. Hoc electo, familiaris ejus nomine Christopherus, vi & factionibus Papam detrusit in carcerem, ipsiusque sedem usurpavit, quam & occupavit 40. dierum spatio, & totidem diebus.

Christophorus Romanus mens. 7. sedit: sed quia pravis mediis Pontificatum obtinuerat, similibus dejectus, & in Monasterium relegatus.

Sex-

Sergius III. similiter Rom. sedit 7 annis mense 4 diebus 16 Hic è Monasterio Christophorum egredi jussit, non causa libertatis illi dandæ; sed ut illico in carcerem conjiceretur.

Anastasius III. Rom. sedit 2. annis & 2 mense Ipsi successit

Laudo Sabinus, qui sedit 6 mensibus, & diebus 11 Cujus tempore Itali, Germani, & Galli multa inter se bella inierunt, quia Formosus Pontifex Imperium à Gallis ad alios transtulerat.

Joannes X. Ravennas: sedit annis 13 mense 2. 3 diebus, Hic maximè in bellum propendebat, in quo à militibus Guidonis Comitis comprehensus, & in carcerem detrusus suffocater. Usurpavit pro tunc sedem Joannes quidam, ex qua illicò ejectus est; unde Joanni X. canonice successit.

Leo VI. Rom. qui regnavit tantùm mense 7. & diebus 15 Semper pacificare conatus est Populum Romanum multis factionibus agitatum, per ignorantiam, & pravam gubernationem præcedentium Pontificum.

Stephanus VIII. Roman. sedit annis 2 mense 1. diebus 12.

Joannes XI. sedit annis 2 mense 10. dieb. 15 Hujus tempore erupit fons sanguineus prope Genuam, qui signum fuit futuræ calamitatis.

Leo VII Roman sedit annis 3. mense 6. diebus 10 cujus successor fuit.

Stephanus IX. Germanus Hic sedit 4 annis mense 4 diebus 13. Ab initio Pontificatus tantam persecutionem sustulit propter seditiones Romanorum, quòd ipsius memoria ære digna sit.

Martinus III. Rom. sedit 3. annis mense 6. dieb. 10. Ubi Pontificatum tenuit, illico defe-

ruit

ruit bellum, ut se totum Orationi daret.

Agapetus II. Rom. sedit 9. an. 7. mens. 10. dieb. Hujus tempore mortuus est Odo Abbas Cluniacensis.

Joannes XII. Rom. sedit an 9. 3. mens. dieb. 5. Corruptæ, & praværitæ fuit, de quo admonitus ab Imperatore Othone, fugit, in nemoribus detulit, & cum non compareret, Clerus, & Imperator in Pontificem elegerunt Leonem, qui dictus fuit VIII. licèt Antipapa, unde absente Imperatore, Joannes restituitur.

Benedictus V. Rom. sedit 6 annis, & 5 diebus. Hic creatus fuit ab amicis Joannis, & summè vexatus à Leone VIII. Immò Imperator Otho, qui præferebat Leonem Joanni, totam Romæ viciniam vastavit, Benedictum ejecit, & Leonem restituit.

Joannes XIII. Rom. sedit 6 annis mense 11 diebus 5.

Domnus; vel Donus II. Rom. sedit tribus tantùm mensibus, ipsique successit

Benedictus VI. etiam Rom. qui sedit annis 1 mense 3 In carcere strangulatus fuit jussu Bonifacii, qui tyrannicè sedem invadens nominari voluit Bonifacius VII.

Benedictus VII. Rom. sedit annis 10. mense 6 Hunc graviter persecutus est Bonifacius, & ipsi successit.

Joannes XIV. Patavienſis Episcopus sedit 3 mense qui jussu Bonifaci VII. in carcerem detrusus moritur. Hoc tempore idem Bonifacius sedem adhuc tenuit 3 mense & ipso à vivis sublato successit

Joannes XV. Rom. qui sedit 8 tantùm mense & postea mortuus est permissione divina, eò quòd Ecclesiam negligens, & Prælatos condemnans, Thesauris Ecclesiasticis

ficis proximos suos carnales ditaret.

Joannes XVI. Rom. sedit 20. an. 6. mens. & 10. dieb. Hic à Baronio omittitur; sed hoc loco annumeratur ob conformitatem cum aliis Annalistis.

Gregorius V. è Saxonia, sedit 2. ann. 7. mens. & dieb. aliquot, Fuit creatus autho. ritate Imperatoris Othonis, cujus erat affi. nis.

Sylvester II. ex Aquitania in Gallia natus, sedem tenuit 4. an. mens. 1. dieb. 10. Mo. nachus erat ex Monasterio S. Benedicti Flo. ridi, prope civitatem Aurelianensem. Inter hunc Pontificem, & Gregorium V. al. qui numerant Joannem XVII. Græcum, qui per 10. menses sedem usurpaverat, à qua fuit ex. pulsus per Imperatorem Othonem, qui illi oculos effodi jussit.

De Summis Pontificibus undecimi saculi.

MOrtuo Sylvestro II. ann. 1103. eodem anno successit illi Joannes XVII. quem alii vocant XVIII. Hic sedit spatio quatuor mensium, & dierum viginti.

Joannes XVIII. sepe nominatus XIX. e. tiam Rom. sedit 4. an. & 4. mens. nec fecit aliquid memoria dignum.

Sergius IV. Rom. sedit an. 2. diebus 15. Hic ante Pontificatum, & in Pontificatu san. ctissimæ vitæ fuit.

Benedictus VIII. Tusculanus, sedit an. 11. mens. 1. dieb. 14. Hujus tempore invaserunt Turcæ urbem Jerusalem, mortuo Impera. tore Henrico, qui multùm Benedicto fave. bat: alium in Pontificatu admiserunt Roma. ni, nomine Gregorium, qui paulo post eje. ctus est, & Benedictus est restitutus.

Joannes XIX. Tusculanus, quem alii vo. cant XX. sedit an. 11. mens. 1. dieb. 9. Aliqui

dicunt

dicunt hunc fuisse Episcopum Portuensem, dum creatus fuit Pontifex; alii verò nullo Ordine sacro initiatum asserunt.

Benedictus IX. etiam Tusculanus sedem occupavit per diversa intervalla 10. an. mens. 4. & 9. dieb. Hunc ejecerunt Romani tanquàm omnibus ingratum, & nullius æstimationis, ejusque loco substituerunt Joannem Sabinæ Episcopum, sub nomine Sylvestri III. ille postea restitutus est, & Sylvester ejectus, Benedictus autem prævidens, quòd iterùm posset deiici, Pontificatui cessit, qui devolutus est Gregorius VI.

Gregorius VI. Rom sedit 2. an 9. aut 8. mens. Hìc ab aliquibus dicitur Pontificatum emisse è Benedicto IX. unde Henricus II. Synodum celebrare fecit, in qua Benedictos, qui vendiderat, Gregorius qui emerat, & Sylvester, qui se intruserat, condemnati sunt, & sedi renuntiare coacti.

Clemens II. Hermanus è Saxonia, sedit tantùm 1. an. vel circiter, & summè vexatus fuit à Benedicto IX. sedem recuperare prætendente.

Damasus II. ex Bavaria sedem tenuit tantùm diebus 23. quam vi, & sine consensu Cleri, & populi Romani occupaverat.

S. Leo VIII. ex Germania sedit ann. 5. mens. 1. dieb. 6. Primus condemnavit hæresim Berengarii. Qui hunc vocant Leonem IX. non attendunt, quòd Leo VIII. quem collocant in præcedenti sæculo, erat verè Antipapa.

Victor II. ex Suevia sedit 2. an. mens. 3. dieb. 14. Synodum coegit Florentiæ, in qua multos Episcopos dignitate sua privavit, causa fornicationis, & simoniæ.

Stephanus X. Lotharingius sedit 7. mens. dieb.

dieb. 8. Hunc aliqui vocant Stephanum IX. illi succeſſit non Benedictus, X. Antipapa, ut volunt aliqui, ſed

Nicolaus II. Sabaudus, qui ſedit an. 2. menſ. 6. Hic habito Concilio apud Laterannum, ſtatuit, ut ſi quis pecunia, aut gratia humana, aut populari, vel militari tumultu ſine canonica electione Cardinalium fuerit in ſede collocatus, is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus dicatur.

Alexander II. Mediolanenſis ſedit an. 11. menſe 6. dieb. 22. Aliqui cùm Imperatore in Pontificem habere volebant Gilbertum Parmenſem, virum potentiſſimum: at Agnes Imperatoris uxor non alium voluit quàm Alexandrum anteà lectum.

S. Gregorius VII. Tuſcus ſedit an. 12. menſ. 1. dieb. 3. Hic Henricum IV. Imperatorem, qui multis injuriis Eccleſiam affecerat, omni regia adminiſtratione privavit, anathematizavit, nec eum abſolvi permiſit, donec depoſito ornatu regio in aſpera hyeme nudis pedibus ad Pontificem accedent, veniam peteret.

Victor III. Beneventanus ſedit an. 1. Anteà erat Abbas Montis Caſſini; hunc dicunt aliqui fuiſſe necatum veneno in Calicem injecto opera Henrici, cui non permittebat Pontifex, ut Beneficia venderet argento. Urbanus II. Gallus ex Diœceſi Rhemenſi, ſedit an. 12. Hic Ciſtercienſium Ordinem ſua authoritate confirmavit; Ejus etiam tempore ortum duxerunt Carthuſiani.

Paſchalis II. Tuſcus, ſedit 18. an. 6. menſ. 7. dieb. Hìc latitans, & nolens eligitur à Clero: Sub ejus tempore floruerunt D. Anſelmus, D. Bernardus.

De

De Summis Pontificibus duodecimi ſæculi.

GElaſius II. Capuanus ſedit anno 1. dieb. 4. Roma fugit, ſe in Galliam ſubducens, ubi moritur in Monaſterio Cluniacenſi.

Calixtus II. Burgundus ſedit annis 5. menſ. 10. dieb. 12. Hic electus eſt in Monaſterio Cluniacenſi, in quo obierat Gelaſius, & ubi multi Cardinales congregati erant; ſtatimque audivit ſe confirmari ab illis, qui erant Romæ.

Honorius II. Bononienſis, Cluniacenſis Monachus ſedit an. 2. menſ. 1. dieb. 17. Sub eo floruit Hugo à S Victore.

Innocentius II. Romanus ſedit an. 14. menſ 7. dieb. 13. Competitorem habuit, nempe Petrum Romanum, civem Romanum, Anacletum vocatum, quem Romani, abſente Innocentio, crearunt; & quem poſt dies aliquot Lotharius Imperator expulit, ut Innocentium reſtitueret. Sub hoc Pontifice congregatum eſt primum Concilium Interamnenſe ex mille Patribus compoſitum contra Antipapas, pro recuperanda Terra Sancta, & propter alias rationes.

Cœleſtinus II. Tuſcus ſedit menſ. 5. dieb. 13. Hic omnium conſenſu creatus eſt Pontifex ſub Conrado Suevo Imperatore Germanorum.

Lucius II. Bononienſis, ſedit menſ. 11. dieb. 14.

Eugenius II. Piſanus, ſedit 8 an. 4. menſ. 20. dieb. Hunc induerat Monachum Clarevallenſem D Bernardus, qui ad illum ſcripſit libros de Conſideratione.

Anaſtaſius IV. Rom. ſedit an. 1. menſ. 4. dieb. 24. Hujus tempore florebat Richardus à S. Victore.

Adrianus IV. Anglus, ſedit an. 4. menſ. 10. Ipſum fecit Cardinalem Albanenſem Eu-

genius, & Legatum misit in Norvegiam; ubi tam efficaciter hujus regni populos admonuit, ut fidem Christi susceperint.

Alexander III. Senensis, sedit an. 21. dieb. 9. Sub hoc facta est seditio inter Guelphos, & Gibellinos, quæ totam penè Italiam subuertit. Guelphi authoritatem Papæ tuebantur: Gibellini partes tenebant Imperatoris contra Papam. Sub eo factum est concilium Lateranense pro reformatione Ecclesiæ. Contra hunc tres Cardinales Octavium civem Rom. Papam fecerunt, & incæpit Schisma, quod per viginti annos duravit.

Lucius III. Lucensis, sedit ann. 4. mens. 2. dieb. 27. Ex urbe ejectus fuit, quia Consulum nomen abolere nitebatur; Multa suæ urbi nativæ contulit privilegia. Ejus tempore vixit Petrus Comestor.

Urbanus III. Mediolanensis, sedit an. 1. mens. 10. dieb. 25. quo tempore occupata à Saladino urbs Hierusalem, Crux sancta ablata, & plurimi Christiani occisi an 1186.

Gregorius VIII. Beneventanus, sedit mens. 1. dieb. 27. qui ampliſſimam Epistolam ad omnes Principes Christianos scripsit, ut ad recuperationem urbis Hierosolymitanæ excitarentur; sed interea moritur Pisis.

Clemens III. Rom. sedit annis 3. mens. 5. Hic omnes Principes urget, ut contra Sarracenos insurgant: & ad hoc conveniunt Imperator Fridericus Philippus Rex Galliæ, Richardus Rex Angliæ, Odo Dux Burgundiæ, Veneti, & aliis cum multis Prælatis hæcque omnia sub Guillelmo Rege Siciliæ.

Cælestinus III. Rom. sedit an. 6. mens. 7. dieb. 11. qui nihil in sua vita prætermisit, quo terra Sancta recuperaretur.

Innocentius III. ex Anagnia, sedit an. 18. mens.

mens. 7. dieb. 13. Hujus tempore mota est hæresis Albigensium apud Tholosam, quam procurante Pontifice, B. Dominicus, adjuvante Comite Montisfortis, mira celeritate compescuit: Sub eo celebratum est Concilium generale Lateranense IV. initio sequentis sæculi an sc. 1215.

De Summis Pontificibus tertii-decimi saculi.

HOnorius III. Rom. qui sedit 10. an 8. mens. primum locum tenuit inter hujus sæculi Pontifices an. 1216. Hic Ordines BB. Dominici, & Francisci confirmavit, Fidericum 2. anathemate notatum privavit Imperii dignitate.

Gregorius IV. ex Anagnia, sedit an. 4. mens. 4. dieb. 26. Hic retulit inter Sanctos B. Dominicum, & B. Franciscum.

Cælestinus IV. Mediolanensis, sedit tantum dieb. 18. & sedes vacavit postea uno, & viginti mens. quia plures Cardinales in carcere detinebat Fridericus Imperator.

Innocentius IV. Genuensis sedit ann. 21. mens. 6 dieb. 21. Hic statuit, ut Cardinales Galero rubeo uterentur ad honestandam eorum dignitatem; veste ejusdem coloris, ut monerentur, se semper debere esse paratos ad effusionem sanguinis pro Religione Christiana. Sub eò volumen Decretalium editum est, & conc. generale habitum Lugduni contra Fridericum; qui personaliter comparere renuens, authoritate totius concilii Imperio, & Regno Siciliæ Privatus fuit.

Alexander IV. ex Anagnia sedit an. 6. mens. 5 dieb. 13. Hic retulit in numerum SS.

B. Claram virginem, libroſque Guillelmi à S. Amore contra paupertatem conſcriptos condemnavit.

Urbanus IV. Trecenſis in Gallia, ſedit an. 3. dieb. 14. Feſtum Corporis Chriſti inſtituit.

Clemens IV. Narbonenſis, ſedit an. 3. dieb. 21. Hic erat in juribus famoſiſſimus, Mortua uxore factus eſt Epiſcopus, deinde Cardinalis; & tandem abſens electus eſt in Papam; Cùm haberet duas filias ex uxore mortua, uni in Monaſterio collocatæ triginta tantùm libras dedit; alteri pro dote maritali, trecentas libras numeravit, ſub ea conditione, ut nihil unquam peterent: Voluit ut ſuus nepos Clericus tres Præbendas habens ex illis unam tantùm retineret.

Gregorius X. Placentinus, ſedit 5. an. 2. menſ. dieb. 10. Hic creatus eſt Pontifex dum eſſet in Aſia, exercitum Chriſtianorum ducens contra Infideles, ſub eo celebratum eſt Concilium 11. univerſale Lugduni, cui adfuerunt mille Patres pro recuperatione Terræ ſanctæ, & contra hæreſim Græcorum. In eo definitum eſt, Spiritum ſanctum procedere æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno; nec duabus ſpirationibus, ſed unica.

Innocentius V. Tarantuſianus ſedit menſ. 6 dieb. 2. Hic ex ordine Prædicatorum aſſumptus eſt in Pontificem.

Adrianus V. Genuenſis ſedit diebus 40.

Joannes XX. Luſitanus, quem alii vocant XXI. ſedit menſ. 8. Definivit contra eos, qui dicunt Chriſtum, & ejus Diſcipulos nihil habuiſſe, & in his quæ habuit, nullum illi fuiſſe jus; declaravit, inquam contra eos, hoc

hoc esse hæreticum. Damnati sunt sub eo errores Joannis de Poliaco Doct. Paris. qui tenebat confessos Fratribus habentibus licentiam generalem, teneri adhuc proprio Sacerdoti confiteri, quòd Papa, posito canone *utriusque sexus*, non possit dare talem generalem potestatem: immò nec Deus, quin confessus teneatur adhuc confiteri peccata sua proprio Sacerdoti, quem dicebat esse proprium Curatum.

Nicolaus III. Rom. sedit an. 3. mens. 8. dieb. 15. Hic ex ordine S. Francisci assumptus fuit, cujus regulæ explicuit ambiguitates.

Martinus IV. Turonensis sedit an. 4 mens. 1. dieb. 7. Cùm electus fuerit in urbe Viterbiensi noluit in ea coronari, nec consecrari; timens nè hæc civitas interdicta esset propter excessus, & atroces injurias Cardinalibus in illa factas; unde urbem Orvietensem eo fine petiit.

Honorius IV. Rom. sedit an. 21. die 1. & postea vacavit sedes mens. 10. Cùm enim plures Cardinales in conclavi congregati essent in Ecclesia S. Sabinæ, multi subito morbo correpti, mortui sunt; unde electio ad aliud tempus dilata fuit.

Nicolaus IV. Tusculanus, sedit an. 4. mens. 1. dieb. 8. Assumptus est ex Ordine Minorum; Romam propter seditiones deseruit, & urbem Reatinam petiit; ubi Cardinales creavit ex omnibus Religiosis Ordinibus, quos æqualiter diligebat.

Celestinus V. Italus, sedit ferè mens. 6. Erat Abbas ex Ordine S. Benedicti, Petrus Moronus dictus. Ante illum sedes vacaverat per biennium, & tres menses propter discordiam Cardinalium. Cùm ab eremitica vita, quàm priùs ducebat, non declinaret, vi-

sus est parum idoneus ad regendam Ecclesiam; quod agnoscens ipse Cælestinus ad privatam vitam remeavit, potestatemque dedit Cardinalibus, ut alium eligerent Pontificem.

Bonifacius VIII. ex Anagnia sedit an. 8. mens. 9. dieb. 7. Hunc dicunt aliqui astutiis decepisse Cælestianam, ut Pontificatui renunciaret. Excommunicavit Gallorum Regem Philippum Pulchrum, & titulum Regni Gallici dedit Alberto primo Imperatori domus Austriacæ, ut hac occasione semper inter se conflictarentur hi Principes. Anagniæ captus est Pontifex per Nogaretum, & in carcerem detrusus, ubi miserè periit; unde de eo dictum est, *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo mortuus est ut canis.*

De Summis Pontificibus quarti decimi sæculi.

BEnedictus XI. Tarvisinus, sedit mens. 8. dieb 17. Ab aliis dicitur IX, ab aliis XI. Ex ordine Dominicanorum assumptus fuit; absolvitque Philippum Pulchrum Regem Galliæ ab excommunicatione fulminata à Bonifacio VIII. Inter Beatos meritò numeratur.

Clemens V. Burdigalensis, sedit ann 8. mens. 10. dieb. 1. Transtulit sedem ex urbe Roma Avenionem, ubi ipse, & successores manserunt annis 70. Sub eo Concilium Oecumenicum Viennense celebratum est contra Saracenos, Templarios, & mores corruptos Ecclesiasticorum.

Joannes XXI. Gallus ab aliis XXII. ab aliis XXIII. dictus, sedit an. 19. mens. 4. Ex Cancellario Galliæ factus Papa, Constitutiones Extravagantes edidit, sicut præcedens Pontifex Clementinas.

Benedictus XI. Tolosanus Monachus Cisterciensis, sedit an. 7. mens. 3. dieb. 17. Hic Censuras.

suras Ecclesiasticas confirmavit, quas anteà Joannes fulminaverat contrà Ducem Bavariæ. Imperium Romanum invadere conantem.

Clemens VI. Lemovicensis, sedit an. 10. mens. dieb. 18 Hic emisse fertur Avenionem à Rege Franciæ, quam urbem transtulit in jus Pontificium.

Innocentius VI etiam Lemovicensis, sedit an. 9 mens. 10. diebus 6. Præbendas Ecclesiasticas non nisi probatissimis Sacerdotibus, vita, & doctrina dedit; jussitque, ut omnes Prælati ad Ecclesias suas proficiscerentur.

Urbanus V. adhuc Lemovicensis, sedit an. 8. mens. 4. Absens electus est, dum esset in Italia, legatione fungens versus Vicecomites, Abbas erat S. Victoris Massiliæ.

Gregorius XI. adhuc Lemovicensis, sedit an. 7. 2. mens. dieb. 27. Hic sedem Pontificiam Romam retulit, quæ anteà erat Avenione, & ab hoc tempore Gallorum nullus factus est Pontifex, nè iterùm sedes mutaretur.

Urbanus VI. Neapolitanus, sedit an. 21. mens. 8. Sub hoc ingens Schisma in Ecclesia obortum est: Urbanum enim hunc creaverunt Itali, manseruntque Romæ, Galli verò elegerunt Pontificem in Italia sub nomine Clementis VI. qui se Avenionem recepit. Alter in alterum censuris sæviebat, duravitque Schisma usque ad Concilium Constantiense.

Bonifacius IX. Neapolitanus, sedit an. 14. mens. 9. Triginta tantùm annorum erat, dum elevatus fuit ad Pontificatum, Huic Annatarum creatio attribuitur. Mortuo Clemente VII. illegitimo Pontifice Petrus de Luna, Benedictus XII. dictus, Avenione sufficitur.

De Summis Pontificibus quinti-decimi sæculi.

INocentius VII. Sulmonensis, sedit 2. an. dieb. 23. Sub eo Tamerlanes cum ingentibus copiis Bajazetum devicit: iram Dei se dicebat.

Gregorius XII. Venetus, sedit 2. an. 7. mens. dieb. 5. Promisit se dimissurum Pontificatum, si Benedictus idem faceret; sed Benedicto fugiente in Cataloniam revocavit promissum Gregorius; undè uterque in Concilium Pisis habito à Cardinalibus deponitur, & tertius sufficitur, nimirum.

Alexander V. Cretensis, qui sedit mens. 10. dieb. 8. Hic ex Ordine Minorum assumptus fuit.

Joannes XXIII. ab aliis XXIV. Neapolitanus, sedit 2. an. 15. diebus. Sub eo incæpit concilium Constantiense, & tunc erant tres Pontifices; Joannes, qui degebat Bononiæ, Gregorius Arimini, & Benedictus in Hispania. Hi tres sede privati sunt à concilio; & illis sufficitur.

Martinus V. Rom. qui sedit an. 14. mens. 3. Ab aliis vocatur Martinus III. Sanctissimæ vitæ erat & doctissimus. Ipsius pedes deosculatus est Sigismundus Imperator.

Eugenius IV. Venetus, sedit an. 15. mens. 11. 21. diebus. Sub eo congregatum est concilium Basileense, in quo factionibus depositus fuit, & ejus loco intrusus est Dux Sabaudiæ. Hic posteà cessit Pontificatui, & eo depositio, Eugenius concil. Ferrariæ congregavit, quod causa pestis, Florentiam translatum est, in quo Ecclesia Græca unita est Romanæ. Pragmatica Sanctio instituitur.

Nicolaus V. ex urbe Lunæ in Italia natus, sedit an. 8. dieb. 19. Sub eo Mahumetus II. urbem Constantinopolitanam invasit, in qua crudelitates exercuit incredibiles: Tunc cessarunt Schismata Ecclesiæ.

Calixtus

8. ex genere Borgia oriundus erat.

De Summis Pontificibus sexti decimi saculi.

Pius III. Senensis mens. 1. sedit: Sobrius, cassus, & humilis erat; sed exemplum sequens sui avunculi Pii II. intentionem habebat expellendi Gallos ex Italia; de quo multùm irati sunt Romani, & affines ipsius Pontificis.

Julius II. Genuensis sedit an. 10. Sub eo incepit Conc. Later. sub sequenti Pont. perfectum.

Leo X. Florentinus sedit an. 8. mens. 8. diebus 21. Erat ex illustri familia de Medicis. Pragmaticam Sanctionem abolevit, & Concordatum inijt cum Francisco I. Rege. Cruciatam publicavit per totum orbem Christianum. Hujus tempore Martinus Lutherus suas hæreses insinuare cœpit.

Adrianus V. ex Flandria, sedit an. 1. mens. 8. dieb. 6. vir tanta dignitate planè dignus.

Clemens VII Florentinus ex familia de Medicis, sedit an. 10. dieb. 8 Hic excommunicavit Henricus VIII. Angliæ Regem, quod causa fuit, cur ipse Princeps se in Ecclesiæ Anglicanæ caput erexerit, Pontificem agnoscere renuens.

Paulus III. Rom. ex Farnesiorum familia, sedit an. 15. dieb. 19. Hic contra hæreses Lutheri Concil. Generale indixit, Primò Mantuæ: Secundò Vincentiæ: Tertiò Tridenti; sed in his locis nihil factum est: unde quartò rursus Tridenti inchoatum fuit an. 1545.

Julius III. Aretinus, sedit an. 5. mens. 1. dieb. 21. Sub eo continuatum est Concil. Trid.

Marcellus II. Etruscus Pontificatum tantùm tenuit 21. vel 22. diebus.

Paulus IV. Neapolitanus, sedit an. 4 mens. 2. dieb 27. Posteum sedes vacavit 4. mens. Erat ex illustrissima Caraffarum familia.

Pius IV. Mediolanensis, sedit 5. an. mens.

8. ex genere Borgia oriundus erat.

De Summis Pontificibus sexti decimi saculi.

Pius III. Senensis mens. 1. sedit: Sobrius, castus, & humilis erat; sed exemplum sequens sui avunculi Pii II. intentionem habebat expellendi Gallos ex Italia; de quo multùm irati sunt Romani, & affines ipsius Pontificis.

Julius II. Genuensis sedit an. 10. Sub eo incepit Conc. Later. sub sequenti Pont. perfectum.

Leo X. Florentinus sedit an. 8. mens. 8. diebus 21. Erat ex illustri familia de Medicis. Pragmaticam Sanctionem abolevit, & Concordatum iniit cum Francisco I. Rege. Cruciatam publicavit per totum orbem Christianum. Hujus tempore Martinus Lutherus suas hæreses insinuare cœpit.

Adrianus V. ex Flandria, sedit an. 1. mens. 8. dieb. 6. vir tanta dignitate planè dignus.

Clemens VII. Florentinus ex familia de Medicis, sedit an. 10. dieb. 8. Hic excommunicavit Henricus VIII Angliæ Regem, quod causa fuit, cur ipse Princeps se in Ecclesiæ Anglicanæ caput erexerit, Pontificem agnoscere renuens.

Paulus III. Rom. ex Farnesiorum familia, sedit an. 15. dieb. 19. Hic contra hæreses Lutheri Concil. Generale indixit, Primò Mantuæ: Secundò Vincentiæ: Tertiò Tridenti; sed in his locis nihil factum est: unde quartò rursus Tridenti inchoatum fuit an. 1545.

Julius III. Aretinus, sedit an. 5. mens. 1. dieb. 21. Sub eo continuatum est Concil. Trid.

Marcellus II. Etruscus Pontificatum tantùm tenuit 21. vel 22. diebus.

Paulus IV. Neapolitanus, sedit an. 4 mens. 2. dieb 27. Post eum sedes vacavit 4. mens. Erat ex illvstrissima Caraffarum familia.

Pius IV. Mediolanensis, sedit 5. an. mens. 11. 8.

11. 8. dieb. Sub eo finitum est Concil. Trident.

B. Pius V. insuper, sedit an. 6. mens. 3. dieb. 19. Ex Prædicatorum Ordine fuit assumptus. Vir erat sanctissimus, qui omnes Christianos, tùm Persas, tùm Muscovitas, tùm Abyssinos armavit contra Turcas. Sub eo initum est prælium, quod vocatur Lepantium, in quo Infideles à Christianis devicti sunt.

Gregorius XIII. Bononiensis, sedit an. 12. mens. 11. Hic Kalendarium reformavit per detractionem 10. dierum in mense Octobr. an. 1572 & transferens Æquinoctium vernale ab 11. ad 21. diem Martii.

Sixtus V. anteà vocatus Felix Perettus, ex Marcha Anchonitana oriundus, & ex Minorum Ordine assumptus, sedit 5. an. 4. mens. 12. diebus. Hic purgavit Italiam Bannitis, qui infinitas exercebant immanitates. Admiranda Romæ construi fecit ædificia. Laureto nomen civitatis, & Sedem Episcopalem contulit, retulitque D. Didacum inter Sanctos.

Urbanus VII. Rom. sedit tantùm 15 dieb. vel circiter. In Juribus Civili, & Canonico versatissimus erat. Cum summo omnium dolore mortuus est.

Gregorius XIV. Mediolanensis, sedit 10. mens. 10. diebus. Erat anteà Episcopus Cremonensis, & ex Sfondrati familia.

Innocentius IX. Bononiens. sedit tantùm 2. mensibus, & mortuus est veneno, ut dicunt; eò quòd non tam faveret Hispanis, ut prætendebant in ipsius electione.

Clemens VIII. Florentinus ex Aldobrandinorum familia, sedit an. 13. 1. mens. 5. dieb. Virtuosissimus fuit, omnes qualitates Pontifici debitas perfectissimè possidens.

De

De Summis Pontificibus decimi septimi,

LEO XI. à Baronio pro decimo tantùm bitus, Florentinus, sedit tantùm 27 vocabatur anteà Alexander *De Medicis* chiepiscopus Florentinus, Cardinalis, qui l gationem fungens in Gallia, F anciæ, & H paniæ pacem dedit apud Vervinum an. 159

Paulus V. Rom ex Burgheſiorum familia sedit an. mens. 8 dieb. 13. Semper piè vixit summamque adhibuit diligentiam, ut com motiones hæreticorum Germaniæ, & Boh miæ pacificaret. Nomen dedit Christianiſſ mo Regi Ludovico XIII.

Gregor. XV. Bononienſis, sedit an 2. me 5. Quieti Eccleſiæ, & totius orbis Chriſtia maximè invigilavit. Admirabili prudentia vocavit Antonium *de Dominis* Archiepiſc pum Spalatenſem in Dalmatia ab hæreſibus quas evomuerat contrà ſacram Hierarchiam & Monarchiam Eccleſiæ.

Urbanus VIII Florentinus, anteà Car nalis Barberinus, ſedit an. 21. De tota Chriſt nitate ſemper benè meritus fuit. Apud He ricum Magnum Legatione functus eſt, total que vires adhibuit, ut litigia Principum com ponerentur, vel pax conſervaretur inter illos.

His nuperrimis annis in Pont fices habuimus Innoc. X. Alexand. VII Clem. IX & Clem. X feliciter hodie regnantem; cu'us conſervati invigilare debet totus orbis Chriſtianus pro mirabili ipſius virtute, & ardentiſſimo ze quem quotidie ingubernanda Eccleſia adhibe

Hic animadvertendum eſt, quòd alii plu Pontifices, alii pauciores admittant; cu cauſa eſt, quod aliqui aliquos recenſent illeg mos; alii pro canonicis illos habent; vel ali non adſcribunt numerum Pontificum illos, q parum in Pontificatu vixere.

FINIS.